LITURGIAE PRACTICAE

COMPENDIUM

SIVE

SACRORUM RITUUM

RUBRICARUMQUE MISSALIS

BREVIARII ET RITUALIS ROMANI

COMPENDIOSA ELUCIDATIO.

AUCTORE

J. B. FALISE,

DIOEC. TORNAC. PRESBYTERO.

EDITIO IN GERMANIA ALTERA EMENDATA ET AUCTA.

JUXTA TERTIAM EDITIONEM PARISIENSEM.

RATISBONAE, 1876.

TYPIS ET SUMPTIBUS GEORGII JOSEPHI MANZ.

LOVANI APUD P. DESBARAX. TILBURGI APUD BERGMANS.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/liturgiaepractic0000jbfa

Ad lectorem.

Pauca de hoc libro accipias, benevole lector.

In eo cum non modo caeremonias et rubricas brevi calamo exponere, sed etiam certa a probabilibus et dubiis secernere intenderim; textum integrum librorum liturgicorum referre primum curavi, qui textus per litteram (R.) in ipsius fine appositam dignoscitur. Non tamen eodem semper ordine, quo in praefatis libris textus ille relatus est, quod de Breviario praesertim fateor; verum, ut mihi persuasum est, nihil ex iis, quae ad rubricarum adaequatam notitiam conducunt, omisi.

Post litteram rubricae, definita a Sacrorum Rituum Congregatione paucis indicavi, cum notatione (S. C.) aut (S. R. C.) et in fine operis tum causam, tum diem, quo decretum prodiit in notis addidi. Interdum annotantur quoque resoluta a S. Congregatione Concilii Tridentini, sub hac notatione (S. C. C.), aut a s. Officio (S. C. Inquisitionis).

Quae dicta sunto de doctrinis certis. Quoad opiniones plus minusve probabiles, auctores, qui in liturgica primum sibi vindicant locum adivi, eorumque sententias retuli. Notationem vero (AA.) adhibui, cum agatur de opinione vel omnino communi, vel paucis exceptis; quae notatio specialiter occurrit, cum AA. legem rubricarum ad casum particularem applicant. Cum autem in varias abeunt sententias, littera nominis initiali, ut infra indicatur, usus sum.

Generaliter loquendo, cum unicum profero auctorem, solus est in re discutienda; idem esto ordinarie judicium, cum duo vel tres referuntur. Verum illam, quam indicavi, non ideo amplector sententiam. Rarius in controversiis meam dico opi-

Qc: 4026

nionem, semper tamen est prior ex relatis, nisi ex structura phrasis aliud clare pateat. Demum consuetudinem romanarum ecclesiarum, cum sit tantae auctoritatis, afferre non neglexi; qui usus per unum * patefit.

Nunc verbulum de abbreviatis notationibus, quas adhibui. (R.) Rubrica missalis, aut Breviarii, aut Ritualis. (S. C.) vel (S. R. C.) S. Rituum Congregatio, (S. C. C.) Concilii s. Congregatio, (Caer. Ep.) Caeremoniale Episcoporum, (CC.) Caeremoniale Capucinorum, (RT.) Rituale Tullonense, (G.) Gavantus, (M.) Merati, (By.) Bauldry, (Bi.) Buongiovanni, (Bs.) Bissus, (B.) Baldeschi, (Cas.) Castaldus, (D.) Dumoulin, (V.) Vinitor, (Q.) Quarti, (Gu.) Guyetus, (L.) Lohner, (Li.) Laboranti, (aP.) A Portu, (Hg.) Hagerer, (H.) Halden, (Cor.) Corsetti, (Cav.) Cavalieri, (T.) Turrinus, (Tet.) Tetamus, (P.) Pavone, (J.) Jansens, (Brff.) Baruffaldi, (Cat.) Catalani, (Ben. XIV.) Benedictus XIV, (Miscell. theol.) Miscellanea theologica, quae ab anno 1847 ad 1852. Leodii prodierunt, et tandem (Rev. theol.), seu aliud menaeum prioris continuatio.

Peritorum virorum monita secutus, in editionibus posterioribus caeremonias a regulis proprie dictis separavi, hincque exivit pars prior et posterior. Quae ultima utique prior logice esse debuisset, sed ad potiorum auctorum placitum et exemplum, primas partes de jure ac merito augustissimi Missae sacrificii caeremoniis dandas esse persuasum habui.

Ad calcem voluminis tandem amandatae sunt quaedam annotationes, animadversiones, et dies datae decretorum S. R. C.; demum claudit opus duplex index alphabeticus, alter rerum, alter officiorum et Sanctorum.

Indicem generalem totius operis infra (pag. XI — XVI) positum adesis, ut pateat materiarum divisio et ordinatio.

Vale, benevole lector, et pro me Deum adprecare.

Operis approbationes.

Secundae editionis Parisiensis approbatio a Reverendissimo Episcopo Lucionensi data.

Jacobus-Maria-Josephus, Dei et S. Sedis apostolicae gratia, Episcopus s. ecclesiae Lucionensis, omnibus has visuris.

Nobis reddita ratione secundae editionis operis, cui titulus: *Caeremoniale Romanum, ac liturgiae practicae compendium, sive sacrorum rituum, rubricarumque Breviarii et Ritualis compendiosa elucidatio, ad usum ecclesiarum, quae ritum romanum sequuntur, Auctore D. Falise.* Cum praedictum opus ex diuturnis, patientibus et eruditis inquisitionibus partum sit, et multum adjuvare possit illos, qui paulo penitius cognoscere cupiunt sacrae Liturgiae Romanae regulas.

Cum indicet et compendiose tractet, quidquid solidum et practicum de ritibus sacris dixerunt commentatores Missalis, Breviarii, Ritualis aliorumque librorum liturgicorum. Cum sit quoddam commentarium connexum et gratissimum de his tribus libris liturgicis. Cum caeteroquin auctor monitus sedulo nonnullos emendationes ipsi propositas utiliter adhibuerit, multaque addiderit in melius vergentia; praelaudatum opus appro-

bavimus et approbamus, ejusque lectionem nostris carissimis cooperatoribus, qui sacrae liturgiae Romanae cognitionem satis completam acquirere volent, suademus.

Datum Lucioni, in nostro palatio episcopali, sub chirographo et sigillo nostro, et sub chirographo Secretarii nostri, die Dominica 6. post Pentecosten, in festo commemorationis omnium Sanctorum Summorum Pontificum, 8. Julii anni Domini 1855.

† **Jac. Mar. Jos.**, epus. Lucion.

Ex mandato Reverendissimi episcopi

P. Guibert,
canon. hon. a secret.

Secundae editionis approbatio ab Archiepiscopo Parisiensi data.

Maria-Dominicus-Augustus Sibour, divina misericordia et Sedis apostolicae gratia, Archiepiscopus Parisiensis. Post judicium Examinatoris a Nobis designati, et conclusiones propitias a *studiorum Congregatione* deductas, approbavimus et hisce praesentibus approbamus librum, cui titulus:

Liturgiae practicae compendium, auctore D. Falise, secunda editio.

Datum Lutetiae Parisiorum, sub sigillo insignium nostrorum, sub chirographo vicarii nostri generalis, praesidis, nec non secretarii *Studiorum Congregationis*, hac 31. Julii 1855.

Secretarius congregationis studiorum,
Jul. Flandrin, can. hon.

Studiorum congregationis praeses,
L. Bautin, vicar. gen.

Epistola Eminentissimi Cardinalis Gousset Rhemensis Archiepiscopi ad DD. Leroux et Jouby typographos.

Accepi exemplar operis, quod edidistis sub titulo: *Liturgiae practicae compendium.* Vos congratulor, quod librum clero vere utilem, praesertim vero sacerdotibus Galliae ad unitatem liturgicam redeuntibus in lucem protuleritis. Auctorem vero congratulor, quod in juris textu praecipue institerit, potius quam in consuetudinibus et usibus particularibus, qui cum plus minusve uniuscujusque arbitrio committantur, labefactare possunt unitatem, quam speciali cura servare student tum Sancta Sedes, tum Episcopi, qui ad jus commune redeunt.

Magno cum affectu et devotione subscribor.

Rhemis, 7. Febr. 1856.

† **Th.** Card. **Gousset,**
Archiepiscopus Rhem.

Sancti Dionysii Episcopatus in Insula Borbonensi.

In sua tertia synodo dioecesana s. Dionysii, 12. Septembris 1856 habita, Illustr. DD. Desprez, hodiedum archiepiscopus Tolosanus, aiebat Nr. 26: Ad nostrae dioeceseos usum aeque assumimus, utpote claritate et methodo praecellente, Caeremoniale Romanum, liturgiae practicae compendium, auctore D. Falise, editio altera.

Tertiae editionis approbatio ab Illustr. Episcopo Montispessulani data.

Carolus Thomas Thibault, divina misericordia et sanctae Sedis apostolicae gratia, Montispessulani Episcopus etc. etc.

Examini subjectae Caeremonialis Romani et liturgiae practicae compendii, auctore D. Falise, tertia editione; cum ex relatione favorabili nobis constet, hoc opus liturgicis praescriptionibus conforme esse, et divinorum officiorum caeremonias magna cum luciditate in eo explicari; praedictum opus approbavimus et approbamus.

Datum Monte-pessulano, in nostro episcopali palatio, sub chirographo nostro, sub insignium nostrorum sigillo, et sub Secretarii nostri ex adverso chirographo, 11. Septembris anni Domini 1860.

† **Carolus,** epus. Mont. Pessul.

Ex mandato:

L. Euzet can. ad honor.
Reverend. Episcopi a Secretis.

Approbatio tertiae editionis a RR. Episcopo Bellovacensi data.

Josephus Armandus Gignoux divina misericordia, et sanctae sedis apostolicae gratia, Episcopus Bellovacensis, Noviodunensis et Silvanectensis. Juxta expositionem nobis factam de tertia editione *Caeremonialis Romani et liturgiae practicae compendii,* auctore R. D. Falise; judicamus hoc opus utilissimum omnibus, quae ecclesiae Romanae liturgiae regulas apprime cognoscere volunt, necnon quidquid optimi quique commentatores maxime solidum et practicum de ritibus sacris scripserunt; approbavimus igitur, prout his praesentibus approbamus praedictum opus, et speciatim nostrae dioeceseos Sacerdotibus illud commendamus. Datum Bellovaci sub chirographo nostro, sub insignium nostrorum sigillo, et sub chirographo ex adverso secretarii episcopatus, hac 14. Novembris 1860.

† **Jos. Arm.,** epus. Bellov. Noviod. et Silvan.

Ex Illustr. Episcopi mandato
Laurent, can. ad hon. a Secretis.

E Cancellaria episcopali Engolismensi.

Reverende Domine (ad auctorem directa).

Clero meo tuum liturgiae practicae compendium, utpote optimum indicem, qui ipsum tuto dirigeret in caeremoniis sacris, caeremoniale exspectans a provinciae Burdigalensis episcopis redigi jussum jam commendaveram. Etsi vero *Ecclesiarum parochialium caeremoniale* in eo sit, ut edatur, opus tuum tamen nobis maxime utile erit in multis quaestionibus, non tractatis in illo parvo caeremoniali; additiones tuae tertiae editioni adjectae, de qua ratio mihi reddita est, ad ejusdem pretium etiam conferent.

Non possum, Reverende Domine, non tibi gratulari zelum tuum pro cultus divini decentia, et tibi gratias agere pro auxilio pretioso, quod praebent opera tua episcopis et sacerdotibus, qui, sicut tu, sanctas regulas curant.

Suscipias, Reverende Domine, affectus mei testimonium.

† **Ant. Car.**, epus. Engol.

Engolismae, 14. Nov. 1860.

Tertiae editionis approbatio a Cancellaria Tornacensi data.

Opus, cui titulus: Caeremoniale Romanum, et liturgiae practicae compendium etc., auctore R. D. Falise approbamus.

Cum opus illud tanto successu propagatum sit, tam intra quam extra Belgium, laude nostra non indiget. Auctori toto corde gratulamur.

J. B. Ponceau, Vic. Gen.

Tornaci, 19. Decbr. 1860.

Editionis latinae approbatio.

Opus, cui titulus: „Sacrorum Rituum Rubricarumque Missalis, Breviarii et Ritualis Romani compendiosa elucidatio“, auctore J. B. Falise, Dioec. Tornac. presbytero, Wirceburgi typis Richterianis impressum, approbamus.

D. Wirceburgi, 4 Augusti 1862.

Ordinariatus episcopalis.

Dr. **Reissmann**, Vic. Gen.

Hohn, Act.

Index generalis totius operis.

Pars prior.

Sacrorum Rituum expositio.

Sectio prima.

De ritibus Missae privatae.

Caput primum.

De caeremoniis communibus.

pag.

§ I. Regulae generales caeremoniarum 1
§ II. De reverentiis 4
§ III. De diverso vocis tono . 7
§ IV. Quid a Sacerdote observandum in accessu ad Altare . 7

Caput secundum.

Ritus servandus in celebratione Missae privatae.

§ I. De praeparatione Sacerdotis celebraturi 9
§ II. De ingressu Sacerdotis ad Altare 12
§ III. De principio Missae et confessione facienda . . . 15
§ IV. Ab Introitu usque ad finem Epistolae. 18
§ V. De Graduali usque ad Offertorium 21
§ VI. De Offertorio usque ad Canonem 24
§ VII. A Canone usque ad finem Consecrationis 32
§ VIII. A fine Consecrationis usque ad Agnus Dei . . . 37
pag.
§ IX. Ab Agnus Dei usque ad ablutiones 43
§ X. A purificatione calicis usque ad finem Missae . . . 47

Caput tertium.

Missae speciales, et functiones Missae privatae annexae.

§ I. De Missa pro defunctis . . 53
§ II. De Missa privata coram ss. Sacramento exposito . 55
§ III. De Missa privata, quae celebratur coram Episcopo, aut Praelato in territorio suae jurisdictionis 57
§ IV. De Officio duorum capellanorum in Missa privata ab Episcopo celebrata . . . 60
§ V. De consecratione particularum, purificatione pyxidis . 65

Sectio secunda.

Ritus diversarum functionum in minoribus ecclesiis.

Caput primum.

De Missa cantata.

§ I. Animadversiones generales . 68
§ II. De Missa cantata cum duobus tantum acolythis . . 70
§ III. De Missa cum acolytho, thuriferario et duobus ceroferariis 72

Caput secundum.

De praestantioribus sacris functionibus persolvendis.

pag.

Monitum 74
§ I. De benedictione candelarum in festo Purific. B. M. V. 76
§ II. De benedictione cinerum in capite jejunii 80
§ III. De Dominica Palmarum . 83
§ IV. De feria V in Coena Domini 86
§ V. De feria VI in Parasceve . 91
§. VI. De Sabbato sancto . . 97

Capus tertium.

De caeterarum functionum ritibus.

§ I. De Vesperis 106
§ II. De repositione ss. Sacramenti, seu Salute . . 107
§ III. De Processionibus . . 107
§ IV. De exequiis 108

Sectio tertia.

Caeremoniale functionum in majoribus ecclesiis.

Caput primum.

Animadversiones generales.

§ I. De cantu et organo . . 110
§ II. De incensatione, de osculo pacis et de osculis . . 120
§ III. De disciplina in choro servanda 123
§ IV. Disciplina in Choro servanda in quibusdam anni diebus 127
§ V. Officium Presbyteri assistentis 130
§ VI. Monita generalia ad ministros tum sacros tum inferiores 132
§ VII. De praeparandis pro Missis solemnibus 136
§ VIII. Ritus servandi in Missa solemni, cum in tabernaculo ss. Sacramentum includatur 140
§ IX. De Missa solemni, coram ss. Sacramento exposito . 182

pag.

§ X. De aspersione aquae benedictae 192
§ XI. De Communione in Missis solemnibus 196
§ XII. De Missa celebrata coram Episcopo in paroeciis suae dioecesis 198

Caput secundum.

De annuis solemnitatibus.

§ I. De benedictione et processione candelarum in festo Purificationis B. M. V. . 204
§ II. Ritus servandi in Dominica Palmarum . . . 210
§ III. Ritus servandi Feria V in coena Domini . . . 214
De mandato seu lotione pedum 220
§ IV. De ritibus servandis feria VI in Parasceve . . 222
§ V. De ritibus servandis in Sabbato sancto . . . 236

Caput tertium.

De Vesperis, Matutinis, Processionibus et aliis solemnibus functionibus.

§ I. De caeremoniis servandis in Vesperis solemnibus . . 246
§ II. De caeremoniis observandis ad Matutinas solemnes, ad minores horas et ad Completorium 251
§ III. De expositione et repositione ss. Sacramenti . . 257
§ IV. De processionibus . . 263
§ V. De caeremoniis exequiarum 269

Sectio quarta.

Caeremoniale functionum pontificalium.

Caput primum.

De Missa pontificali.

§ I. De praeparandis in Missa et in Vesperis pontificalibus . 277
§ II. De ministris necessariis in officiis pontificalibus . . 281

Pag.

§ III. Caeremoniae Missae pontificalis 289
§ IV. Missa coram Episcopo, Missa pontificalis in faldistorio etc. 310

Caput secundum.

De Vesperis et aliis functionibus.

§ 1. Caeremoniae servandae in Vesperis pontificalibus . . 314
§ II. De Missa pontificali pro defunctis 319
§ III. De ritibus et caeremoniis observandis in quibusdam festis 321
§ IV. De visitatione pontificali 325

Pars posterior.

Rubricarum Missalis, Breviarii et Ritualis Romani brevis explanatio.

Sectio prima.

De rubrica ejusque fontibus.

Notiones praeviae 328

Caput primum.

De libris liturgicis.

§ I. Missalis Romani rubricae . 330
§ II. Breviarii Romani rubricae 337
§ III. Ritualis Romani rubricae . 347

Caput secundum.

De S. Rit. Congregationis decretis.

§ I. De S. R. Congreg. potestate, ejusque diversis decretis . 356
§ II. Quod obligent omnia decreta in materia universali . 359
§ III. Solvuntur difficultates . 362

Caput tertium.

De auctoritate rubricistarum . 365

pag.

Caput quartum.

De consuetudine in re liturgica 373

Sectio secunda.

Rubricae generales Missalis.

Caput primum.

De Missa generaliter.

§ I. De loco, ubi Missa celebranda est 378
§ II. De tempore celebrationis Missae 381
§ III. De iis, qui Missam celebrare non possunt . . . 382
§ IV. De Missae qualitate . . 383
§ V. De Missis votivis . . . 385
§ VI. De Missa defunctorum . 390
§ VII. De Missa in aliena ecclesia 394
§ VIII. De implenda obligatione dicendi Missam . . . 396

Caput secundum.

De partibus Missae in specie.

§ I. De Psalmo Judica me . 597
§ II. De Introitu 398
§ III. De Hymno Gloria in excelsis 398
§ IV. De Orationibus . . . 399
§ V. De Epistola et Evangelio 409
§ VI. De Symbolo 410
§ VII. De Offertorio, de Praefatione et Canone Missae . 413
§ VIII. De caeteris Missae partibus 417
§ IX. De ordinanda Missa ex supradictis rubricis . . . 418

Caput tertium.

De requisitis ad celebrandam Missam.

§ I. De paramentis et linteis . 419
§ II. De coloribus paramentorum 421
§ III. De confectione linteorum et paramentorum . . . 424
§ IV. De praeparatione Altaris et ornamentorum ejus . . 429

pag.
§ VI. De iis, quae Missae sacrificio immediate inserviunt . 433
§ VII. De materia sacrificii . 435
§ VIII. De forma sacrificii Missae 438
§ IX. De intentione ministri . 439
§ X. De dispositionibus ministri 440
§ XI. De sacrificio interrumpendo et complendo . . . 442
§ XII. De nonnullis accidentibus particularibus 443
§ XIII. De bina Missa ab eodem Sacerdote celebrata . . 446

Sectio tertia.

Rubricae generales Breviarii.

Caput primum.

De diversis officiis . . . 450

Caput secundum.

De relatione officiorum inter se.

§ I. Regulae occurrentiae festorum 454
§ II. Regulae de commemoratione festorum 459
§ III. Regulae concurrentiae festorum 461
§ IV. Regulae translationis festorum 465

Caput tertium.

Regulae in recitatione officii servandae.

§ I. Ordo Breviarii Romani . 468
§ II. De recitatione Matutini . 471
§ III. De Laudibus . . . 485
§ IV. De Prima 491
§ V. De horis Tertia, Sexta et Nona 495
§ VI. De Vesperis 496
§ VII. De Completorio et fine Officii 497

Sectio quarta.

Rubricae Missalis et Breviarii kalendario universali applicatae.

pag.

Caput primum.

Diarium liturgicum.

§ I. De festis mensis Januarii . 500
§ II. De festis mensis Februarii 508
§ III. De festis mensis Martii . 511
§ IV. De festis mensis Aprilis . 513
§ V. De festis mensis Maii . . 516
§ VI. De festis mensis Junii . 527
§ VII. De festis mensis Julii . 522
§ VIII. De festis mensis Augusti 532
§ IX. De festis mensis Septembris 540
§ X. De festis mensis Octobris . 546
§ XI. De festis mensis Novembris 551
§ XII. De festis mensis Decembris 558

Caput secundum.

Proprium de Tempore, complectens juxta ordinem ecclesiasticum de Tempore, Dominicas, ferias ac festa mobilia.

§ I. De Adventu 571
§ II. De officiis de Tempore a Nativitate Domini usque ad Dominicam Septuagesimae . 575
§ III. De officiis de Tempore a Septuagesima usque ad hebdomadam sanctam . . . 580
§ IV. De hebdomada sancta . 586
§ V. De tempore paschali . . 587
§ VI. De Dominica a Pentecoste usque ad Adventum . . 596

Caput tertium.

De festis specialibus.

§ I. De Patrono et Titulari . 599
§ II. De dedicatione ecclesiarum 607
§ III. De officiis particularibus, concessis, votivis, aut ad libitum 610
§ IV. De officio Beatae Mariae in Sabbato 611
§ V. De officio in honorem Sanctorum, quorum habentur reliquiae 612
§ VI. De officiis in fine Breviarii positis 615

pag.

Sectio quinta.

Rubricae Ritualis Romani.

Caput primum.

De iis, quae in Sacramentorum administratione generaliter servanda sunt 618

Caput secundum.

De Sacramento Baptismi.

§ I. De necessariis in administratione Baptismi 622
§ II. De tempore et loco administrandi Baptismum . . 628
§ III. De Baptismo parvulorum et de reiteratione Baptismi 630
§ IV. Ordo et caeremoniae servandae in Baptismo parvulorum 632
§ V. De Baptismo in necessitate et de caeremoniis supplendis 636
§ VI. De Baptismo adultorum . 638

Caput tertium.

De Sacramento Poenitentiae.

§ I. Animadversiones generales 643
§ II. De modo administrandi Sacramentum Poenitentiae . 645
§ III. De modo absolvendi ab excommunicatione, suspensione etc. 648

Caput quartum.

De Sacramento Eucharistiae.

§ I. De generaliter observandis in administratione hujus Sacramenti 650
§ II. De caeremoniis servandis in distributione sacrae Communionis 655
§ III. De Communione infirmorum 660

Caput quintum.

De Sacramento extremae Unctionis 665

pag.

Caput sextum.

De Sacramento Matrimonii . . 670

Caput septimum.

De functionibus pastoralibus Sacramentis adnexis.

§ I. De benedictione mulieris post partum 676
§ II. De visitatione et cura infirmorum 677
§ III. Modus juvandi morientes. — Ordo commendationis animae 681
§ IV. De sepultura ecclesiastica 685

Caput octavum.

De benedictionibus.

§ I. Ordo ad faciendam aquam benedictam 689
§ II. De benedictionibus domorum, fructuum etc. . . 690
§ III. De nonnullis specialibus benedictionibus . . . 695

Caput nonum.

De processionibus 701

Caput decimum.

De exorcizandis obsessis a daemonio 708

Caput undecimum.

Formulae scribendae in libris habendis a Parochis.

§ I. De libro baptizatorum . . 712
§ II. De libro confirmatorum . 713
§ III. De libro matrimoniorum . 714
§ IV. De libro status animarum 716
§ V. De libro defunctorum . 717

Appendix I.

Instructio Clementina pro Oratione XL Horarum . . . 718

pag.

Appendix II.

De nonnullis materiis canonicis ad s. Liturgiam spectantibus.

§ I. De Sodalitatibus . . . 728
§ II. De ecclesiarum consecratione, pollutione etc. . . 729
§ III. De Altari fixo construendo 730

pag.

Notationes 735

Index alphabeticus rerum, quae in hoc opere continentur . . 763

Index alphabeticus tum officiorum, tum festorum Domini, B. M. V. et Sanctorum, quorum fit mentio in operis decursu 777

Sacrorum Rituum Expositio.

Sectio prima.

De ritibus Missae privatae.

Caput primum.

De caeremoniis communibus.

§. I. Regulae generales caeremoniarum.

1. Ad *jungendas manus ante pectus,* extenduntur et junguntur digiti, pollice dextro supra sinistrum posito in modum crucis (R.). Manus parumper tantum a casula distent, nec frontem nec terram versus, sed naturaliter ad coelum quasi per transversum erigantur (B. aP. Li.*)

Post consecrationem vero Sacerdos pollices et indices utriusque manus (nisi quando hostiam consecratam vel tangere vel tractare debeat), non disjungit usque ad ablutionem post Communionem (R.).

2. Si *junctae manus super altari deponendae sunt,* digiti minimi frontem Altaris contingant: ac residuo manuum inter Altare et se retento, pollicem dextrum super sinistro in modum crucis ponat (R.). Haec semper observanda cum manus junctae super Altari ponuntur, etiam post consecrationem, ast tum pollex cum indice utriusque manus junctus manet (S. C.).

Junctas manus super Altari positas tenet Sacerdos ad has septem Missae preces: *Oramus te, Domine; In spiritu humilitatis; Suscipe, sancta Trinitas; Te igitur; Supplices te rogamus,* ad preces ante Communionem, et ad *Placeat* (R.).

Quando Sacerdos se inclinat ad Altare, manus junguntur ante pectus, nec in Altari deponuntur[1], ad *Munda cor meum,* ad *Sanctus* et ad primum *Agnus Dei* (R.).

3. Quando sunt *elevandae manus* ante pectus, palma sinistrae palmam dextrae respicit, et extremitas digitorum latitudinem et altitudinem humerorum non excedit (R.). Quae distantia servanda est a Sacerdote, quando disjungit et statim jungit manus, et cum disjungit, extremitate digitorum lineam rectam efformat (AA.), jungendo manus ad *Dominus vobiscum* parumper elevat (Caer. Ep.).

. Nullibi praescribitur, ut ponantur manus super Altari, antequam eleventur et extendantur; item nisi id rubrica exigat, non junguntur, sed elevantur et extenduntur immediate: v. g. ad *Gloria* et *Credo* (AA.).

4. Si *conclusio Orationis* est *per Dominum,* ad illa verba Sacerdos manus jungit; et se inclinat ad crucem, dum dicit: *Jesum Christum.* Ad conclusionem vero *qui tecum,* vel *qui vivis,* jungit manus ad verba *in unitate,* non inclinato vel verso ad crucem capite.

5. *Ad signum crucis efformandum,* apposita sinistra extensa infra pectus (R.), supra cingulum, et extra spatium, in quo efformandum est crucis signum (By. G. aP. L. Li.); palmam manus dextrae ad se vertit, digitis unitis et extensis, et ita a fronte ad pectus et ab humero sinistro ad dextrum signum crucis format (R.).

6. Antequam *alios vel rem aliquam benedicat* Sacerdos, jungit manus (R.). Excipiuntur tum benedictio aquae antequam in calicem infundatur[2], tum benedictio specierum ante utramque consecrationem, quia tunc sinistra est impedita (Li.).

---

[1] Juxta A Portu, extremitates digitorum essent ad coelum erigendae; Romae tamen versus altare diriguntur.

[2] Exceptioni tamen non datur locus, quando Missa celebratur cum Diacono et Subdiacono.

Dum benedicit, sinistram super Altare ponit (modo Sacerdos huic adstet), nisi aliter indicetur. Tum parvum digitum vertit rei, cui benedicit, ac benedicendo totam manum dextram extendit, omnibus illius digitis pariter junctis et extensis (R.).

Benedictio fit per duas lineas, alteram rectam, et transversam alteram, quae lineam rectam per medium intersecet (AA.).

Ad signandum simul calicem et hostiam, lineam rectam (quae extremitate parvuli digiti notatur), a medio pallae ad hostiam ducit, non deprimendo manum; lineam vero transversam, cum extremitate ejusdem digiti ceteris conjuncti, super pallae anteriorem oram, ducit. Crux brevior fit super hostia aut calice seorsum (AA.), nec est necesse demittere manum super hostiam, et elevare propter calicem, quum liceat ad eamdem altitudinem, quamquam partiales, illas efficere (M. H. Li. aP.).

7. *Quando osculatur Altare* manus extensas hinc inde in Altari deponit. Post consecrationem tamen pollices ab indicibus non disjunguntur; sed super corporale (R.), ante consecrationem vero extra corporale ponuntur (AA.), nisi forsan largum nimis foret (J.). In omni etiam deosculatione sive Altaris, sive libri, sive alterius rei, non efformatur signum crucis pollice vel manu super id, quod osculandum est (R.).

8. *Quando oculi sunt ad crucem elevandi* secundum rubricas, non itidem elevandum est caput (M. J. aP. By.). Nonies in Missa haec fit elevatio, scilicet: 1° ad *Munda cor meum;* 2° *Suscipe, sancte Pater;* 3° infra totam Orationem *Offerimus tibi, Domine;* 4° ante *Veni, Sanctificator;* 5° ante *Suscipe, sancta Trinitas;* 6° ad haec verba Praefationis: *Deo nostro;* 7° ante *Te igitur;* 8° ad *elevatis oculis* in consecratione hostiae,[1] et 9° ad *Benedicat vos* (R.).

Statim post eorum elevationem oculi sunt demittendi, nisi ad oblationem calicis (AA.).

9. Quando una manus est adhibenda, altera suspensa non remanet in aere, sed vel in Altari, vel in Missali, aut pectore ponitur, secundum circumstantias (AA.).

[1] In hostiam et calicem, ad elevationem, intenti debent esse oculi (R.).

§. II. De reverentiis.

1. Reverentia seu salutatio generice sumitur pro *inclinatione* et *genuflexione* (T. G. By. Li. aP.). Rubricae enim interdum hac voce utuntur ad designandam genuflexionem, etsi ordinarie inclinationem indicet.

2. Inclinatio triplex ab auctoribus distinguitur. Inclinatio *profunda corporis,* in qua ita curvatur corpus, ut, brachiis extensis, possint extremitate digitorum tangi genua. In *mediocri* possunt, curvatis humeris, conspici pedum extremitates. *Simplex,* sola capitis inclinatione fit. Hanc vero A Portu et alii in *levem, mediocrem* et *profundam* subdividunt. Et revera Caeremoniale Episcoporum annotat, ad nomen Jesu profundius quam ad nomen Mariae caput esse inclinandum. Ast, recte observat Turrinus, in hisce tam minutis distinctiones non esse multiplicandas.

3. *Inclinatio corporis profunda* absque dubio facienda in Missa: 1° in accessu ad Altare, in quo SS. Sacramentum non asservatur; 2° ante initium Missae ad hujusmodi Altare; 3° infra *Confiteor;* 4° ad *Munda cor meum;* 5° ad *Te igitur;* 6° ad *Supplices te rogamus* (R.).

4. *Inclinatio mediocris* fit: 1° ad *Deus tu conversus;* 2° *Oramus te, Domine;* 3° *In spiritu humilitatis;* 4° *Suscipe sancta Trinitas;* 5° *Sanctus;* 6° ad tres Orationes, quae sequuntur *Agnus Dei;* 7° ad *Domine, non sum dignus* (R.).

5. *Inclinatio capitis* fit: 1° In medio Altaris, antequam descendat Sacerdos ad incipiendam Missam; 2° ad *Gloria Patri* ad finem Psalmi *Judica me;* 3° ad *Gloria Patri* Introitus; 4° sexies infra *Gloria in excelsis,* scilicet ad *Deo, Adoramus te, Gratias agimus tibi, Jesu Christe, Suscipe deprecationem nostram* et *Jesu Christe;* 5° quoties profertur *Oremus* ante Collectas, et Orationes post Communionem, et *Jesum Christum,* quo terminantur; 6° transeundo ante medium Altaris, ut loco ministri deferat librum ad cornu Evangelii; 7° ter infra *Credo*; ad *Deum, Jesum Christum, Simul adoratur;* 8° ad *Oremus* Offertorii; 9° *Deo nostro* ante Praefationem; 10° *Tibi gratias agens* ad binas consecrationes; 11° ad *Memento* vivorum; 12° ad

Oremus ante *Pater noster;* 13° ad *Agnus Dei;* 14° ad *Per eumdem Christum* ante *Nobis quoque;* 15° ad *Placeat,* et *Omnipotens Deus* ante benedictionem; 16° quotiescumque pronuntiat nomen Jesu, inclinat cruci caput[1] (excepto ad Evangelium, quo tempore libro fit inclinatio); itidem ad nomen Mariae, vel Sancti, cujus celebratur Missa, vel de quo fit specialis commemoratio, vel ad nomen Papae regnantis. Hae omnes inclinationes fiunt versus librum (R.). Ad nomina Sanctorum, in Missis defunctorum (S. C.), seu de quibus fit memoria in Oratione *A cunctis* tantum, non inclinandum est caput (AA.). Inclinatio tamen fit, quando in titulo Epistolae vel Evangelii, Sancti, cujus celebratur Missa vel specialis fit commemoratio, nomen pronuntiatur (T. aP. *Rer. Théol.).* Nomen exprimat, oportet, Sanctum ipsum, qui colitur; hinc non inclinandum caput ad nomen *Maria* in Communione Assumptionis (S. C.); 17° ad *Gloria Patri* post *Lavabo,* et ad invocationem sanctissimae Trinitatis (S. C.); 18° ad nomen *Jesu Christi* immediate ante sumptionem (S. C.) et infra Orationem *Deus, qui humanae* (AA.).

6. De *plurima inclinatione* controvertunt auctores. 1° Quaenam debetur inclinatio imagini in sacristia? Laboranti cum A Portu, Bauldry, Buongiovanni, Turrino, Merati, Arnaud, Lohner, Castaldus, Corsetti et Pavone etc. sententiam communem, ut ajunt, secuti, profundam corporis inclinationem requirunt. P. Levavasseur eamdem sequitur sententiam, quam tamen contrariam textui rubricarum judicamus, cum ibi legatur, *facta reverentia cruci.* Addamus et istam rationem, quod Sacerdos birreto tectus vix profunde se inclinare queat. Demum absurdum nobis videtur, quod inclinatio profundior cruci sacristiae quam Altaris sit facienda, ut dicetur infra quaesit. 5°.

2° An inclinandum caput ad *Memento* defunctorum post consecrationem? Affirmant A Portu, Lohner, Bauldry, Hagerer etc. cum aliis non paucis. Pavone negat, cum rubrica solum dicat: *intentis oculis ad Sacramentum.* Quod verum est. Ast non facile intenduntur oculi in hostiam absque aliqua capitis inclinatione.

---

[1] Nisi saepius brevi intervallo repetatur (By. Cav. Pav.). Tunc enim fiunt per modum unius.

3° Sacerdos, qui crucem Altaris veneratur post Missam, an profunde corpus, an vero solum caput inclinare tenetur? Prisci auctores, ac inter modernos, Baldeschi et De Conny profundam corporis inclinationem requirunt. Sed rubrica evidenter contrarium disponit. „Ibi in medio vertens se ad illud, „*caput inclinat* . . . . et facta reverentia accipit birretum a „ministro.“ Itaque inclinandum solum caput. Verum ita objiciunt auctores: rubrica supponit et alteram cruci salutationem praeter capitis inclinationem faciendam; additur etenim: *facta reverentia*. Ast non serio; ita enim duplex distincta requireretur inclinatio, altera capitis, corporis altera: et si tabernaculum adforet, post genuflexionem, etiam tunc corporis inclinatio esset facienda: quod utique non praescribit rubrica. Adest insuper ratio, cur post Missam inclinatio capitis tantum sit facienda; dignior tum enim est Sacerdos, quippe qui corpore Domini nostri Jesu Christi refectus, christophorus est.

4° An rubrica praescribit inclinandum esse caput, quoties Sacerdos vel ad medium Altaris accedit, vel ab eo discedit? v. g. quando Celebrans, calice deposito, transit ad librum? Affirmant plerique auctores. Ast plures ex modernis negative respondendum autumant, cum de ea inclinatione sileat rubrica, imo S. Congregatio Rituum de hac re consulta respondit: *serventur rubricae*. Romae haec ultima sententia, quae nobis arridet, in praxim transiit. (V. *Rev. théolog.* 3. série, pag. 500; *Martinucci, Manuale sacr. Caerem.*)

7. Genuflexio fit vel unico vel utroque genu; posterior non adhibetur in Missa privata ordinaria. Quando simpliciter est genuflectendum, dextrum genu in terram demittitur, manibus in Altari hinc inde depositis ad corpus sustinendum (R.). v. §. 1, n. 7.

Genuflexio fit in *plano*, quando Sacerdos celebraturus accedit ad Altare, ubi Sanctissimum asservatur, et quando finita Missa discedit ab Altari. Antequam confessionem incipiat, et quando in Missa redit ad Altare, in infimo gradu genuflectit.

Quando genuflectendum est ad *Adjuva nos* vel *Veni, sancte Spiritus*, vel alium Versiculum, genuflectit tantum in initio Versus, et statim se erigit (AA.).

§ III. De diverso vocis tono.

1. Nonnullas Missae partes alta et distincta voce profert Sacerdos, ita ut ab assistentibus intelligatur et non perturbet alios, qui fortasse in eadem ecclesia tunc temporis celebrant (R.); nonnullas pronuntiat secreta voce ita, ut ipsemet se audiat, et a circumstantibus non audiatur (R.); reliqua voce media et aliquantulum elevata, ita, ut a proxime assistentibus et ministro audiatur (R.).

2. Voce secreta proferuntur *Aufer a nobis* et reliqua usque ad Introitum, *Munda cor meum,* cum *Jube Domine benedicere,* et *Per evangelica dicta;* Oratio *Suscipe, sancte Pater* et reliqua usque ad Praefationem exclusive, excepto *Orate, fratres;* Canon Missae usque ad *Per omnia* ante *Pater,* exceptis verbis *Nobis quoque peccatoribus; Amen* post *Libera me; Haec commixtio;* tres Orationes ante Communionem, et reliqua omnia usque ad Antiphonam, quae dicitur Communio, exclusive, exceptis verbis: *Domine, non sum dignus;* tandem *Placeat.*

3. Voce media: *Orate fratres, Sanctus, Nobis quoque peccatoribus,* et *Domine, non sum dignus* proferuntur.

4. Cactera clara voce dicuntur (R.); sed in Missa cantata, ea, quae non cantantur, proferuntur a celebrante voce submissa (R.), ita tamen, ut a ministris audiatur, qui ipsi respondere valeant (S. C.).

§ IV. Quid a Sacerdote observandum in accessu ad Altare

1. Quando sacristia est retro post Altare, accedendum est per cornu Epistolae et regrediendum per cornu Evangelii, in quantum fieri potest (S. C.), et minister paululum recedit, ut sinat coram se transire Sacerdotem (V. P. Cast. Cors. aP.).

2. Neminem resalutat, etiamsi salutem accipiat, nisi forte ante Praelatos vel Magnates transeat, et tunc caput coopertum plus minusve inclinat, prout eorum dignitas exigit (AA.).

3. Quando obviam ei fit alius Sacerdos regrediens ab Altari, capite cooperto se invicem salutant (B. M.), aut non salutant (aP. H. By.). Et si via est arctior, celebraturus viam cedit Sacerdoti de Altari redeunti.

4. Si obviam habet celebrantem, qui una cum ministris de Altari redeunt, viam ipsis cedit, inclinat se mediocriter, capite cooperto (B.). Idem observandum redeundo de Altari. Celebrans et ministri ipsum resalutant, capite detecto (B.).

5. Si transeat per chorum, ubi cantatur *Gloria Patri*, vel aliqua Oratio,[1] inclinat se reverenter ad Altare usque ad finem, et salutat Clerum (M. Cast. aP.).

6. Si transeundum est ante Altare majus, capite cooperto facit ad illud reverentiam (R.), profunda capitis inclinatione (AA.); minister genuflectit (V. B. M.).

7. Ante tabernaculum, ubi Sanctissimum asservatur, genuflectit (R.), unico genu et capite cooperto (AA.).

8. Si ante Altare, ubi celebratur Missa, in qua elevatur vel tunc ministratur Sacramentum, similiter genuflectit, et detecto capite (R.) duobus genibus procumbens (S. C.) birretumque ministro praebens (V.) illud adorat, nec ante surgit, quam Celebrans deposuerit calicem super corporale (R.) et resumpserit ipse birretum (S. C.). Non tamen genuflexus manet usque ad finem Communionis fidelium (S. C.). Cum genuflectit, non deponat birretum super calicem, sed ministro praebeat vel contra se apertum teneat (AA.).

9. Transeundo ante Sanctissimum expositum flectit utroque genu (AA.), caput cooperiens antequam surgat (S. C.).

10. Ante reliquiam sanctae crucis expositam unico genu flectit, capite cooperto; sed si in custodia reliquia servetur, caput ipsi simpliciter est inclinandum (S. C.).

11. Ante reliquias alicujus Sancti expositas caput coopertum inclinat (B. By. Cors. aP. G.*).

12. Si in templo obviam habet Sacerdotem Sanctissimum deferentem, genuflectit capite detecto, donec iste transierit; et quidem utroque genu, quando immorandum, seu subsistendum est (M. L. Hg. aP.). Minister birretum tenet (V.).

13. Transiens ante minora altaria, ubi Missa celebratur, non attendit (Hg. M. G. By. V. L.), etiamsi transitus fiat post consecrationem (*).

[1] Non egrediatur Sacerdos infra vel immediate ante Consecrationem alterius Missae. Minister, si adsint in via fideles, eos manu amovet, ut viam liberam praebeant Sacerdoti (B.).

14. Tandem si transeat ad latus summi Altaris, eadem observat haud secus ac si ante illud transeat. Itidemque fit cum ante majus Altare procedit, etiamsi longe ab illo distet. (Mél. théol.). [1]

15. In omnibus his casibus minister sistit et salutat cum celebrante (AA.).

Caput secundum.

Ritus servandus in celebratione Missae privatae.[2]

§. I. De praeparatione sacerdotis celebraturi.

TEXTUS.

Da, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam, ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire. Amen.

SACERDOS.

Sacerdos celebraturus Missam praevia confessione sacramentali quando opus est, et saltem Matutino cum Laudibus absoluto, Orationi aliquantulum vacet, et orationes, quae in Missali habentur post rubricas generales, pro temporis opportunitate dicat.[3]

Deinde accedit ad locum in sacristia vel alibi praeparatum, ubi paramenta aliaque ad celebrationem necessaria habentur (R.), quia vetitum est ea de Altari sumere (S. C.).

Accipit Missale, perquirit Missam, perlegit, et signacula ordinat ad ea, quae dicturus est (R.); dein Missale ad sinistram paramentorum deponit (B. aP.).

Postea lavat manus, dicens Orationem.

MINISTER.

Minister sit masculus (R.), unicus (S. C.) et, si fieri potest, clericus (S. C.) et tunc toga (B.) et superpelliceo induitur (B.); qui non est clericus nec toga nec superpelliceo induatur (B.).

Praeparat ampullas, quas cum pelvi et linteo ad credentiam defert AA.). Accendit cereum primum ad cornu Evangelii, dein alterum ad cornu Epistolae (S. B.), brachio super mensa Altaris non innixus, et genuflectens quoties transit ante crucem Altaris (B. V.).

Redux ad sacristiam celebranti Missale praeparandum praebet (B.), ministratque, si opus est,

---

[1] Cum calicem non defert Sacerdos, semper ad inclinationes et genuflexiones caput detegit (AA.). Nota super calicem non esse ponenda clavem tabernaculi, perspicillum, sudarium, aut quid aliud (C. S.).

[2] Quum Missa privata Missae solemnis in majoribus festivitatibus locum tenet, tunc duos ministros, vel laicos, quatuorque cereos accensos licet adhibere (S. C.).

[3] Cum *Alleluja* tempore paschali (R.), et omisso *Gloria Patri*, in feria V. in Coena Domini, et in sabbato sancto (AA.).

TEXTUS.	SACERDOS.	MINISTER.
		aquam et manutergium (*).
	Deinde praeparat calicem, qui debet esse vel aureus vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, et simul cum patena itidem inaurata ab Episcopo consecratus (R.), qui si denuo sit inauratus iterum consecrandus est (S. C.). Super ejus os imponit purificatorium mundum (R.) non benedictum (S. C.), et super illud patenam cum hostia integra (R.), in qua secundum consuetudinem, imago crucifixi habeatur (S. C.), quam leviter abstergit, si opus est, a fragmentis, et eam tegit parva palla linea (R.) etiam quoad partem superiorem (S. C.), tum velo serico (R.).	Celebranti pixidem hostiarum praebet.
	Super velo ponit bursam (R.), quae sit coloris paramentorum, tum superne, tum in parte inferiori (*) intus habentem corporale plicatum (R.), quod nunquam apertum in Altari maneat (S. C.). Corporale ex lino tantum esse debet (R.) vel cannabi, non vero ex gossipio quantumvis tenuissimo (S. C.), nec serico vel auro in medio intextum, sed totum album et ab Episcopo, vel alio habente facultatem, simul cum palla benedictum (R.)	
	Bursa sic collocatur, ut pars illius aperta respiciat ipsum Sacerdotem calicem ferentem (AA.), nec aliud quidquam super bursa imponatur (S. C.)	
	Quibus ita dispositis accedit ad paramenta, quae non debent esse lacera aut scissa, sed integra et decenter munda et pulchra, et ab Episcopo itidem, vel alio facultatem (R.) ex indulto Sanctae Sedis habente (S. C.) benedicta. Ubi calceatus pedibus, et indutus vestibus sibi convenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat (R.) et non caudata (S. C.), induit se, si sit Praelatus saecularis, super rochettum, si sit Praelatus	

TEXTUS.	SACERDOS.	MINISTER
	regularis, vel alius Sacerdos saecularis supra superpelliceum, si commode haberi possit, alioquin sine eo supra vestes communes, dicens ad singula singulas Orationes in Missali positas. Ac primum accipiens amictum circa extremitates et chordulas, osculatur illud in medio, ubi est crux (R.). Crux illa praescribitur, ut habet caeremoniale Episcoporum, sed si non adsit, Sacerdos non debet crucem pollice formare, ut quidam abusive (B.).	
Impone, Domine, capiti meo galeam salutis, ad impugnandos diabolicos incursus.	Ponit amictum super caput, et mox declinat ad collum, et eo vestium collaria circumtegens ducit chordulas sub brachiis, et circumducens per dorsum ante pectus reducit et ligat (R.).	Capite detecto (R.) post Celebrantem amictum super ejus scapulas accommodat (B. V. a P. *); transit ad ejus sinistram, alba Sacerdotem, qui caput submittit induit aP. V.), dextra manicam dextram, sinistra sinistram elevans (aP. Bi V.*).
Dealba me, Domine et munda cor meum, ut in sanguine agni dealbatus, gaudiis perfruar sempiternis.	Tum alba induitur (R.) quam non osculatur (AA.) manicam dextram brachio dextro et sinistram sinistro imponens, albam ipsam corpori adaptat ante, et a lateribus hinc inde elevat.	
Praecinge me, Domine, cingulo castitatis, et extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiae et castitatis.	Cingulo, per ministrum a tergo sibi porrecto, se cingit (R.), non ad pectus sed ad renes (Ben. XIV.). Cingulum convenientius lineum et album est adhibendum (S. C.)	Porrigit a tergo cingulum et elevat albam circumcirca, ut honeste dependeat et tegat vestes, et ejus fimbrias diligenter aptat, ut ad latitudinem digiti vel circiter super terram aequaliter fluat (R.)
Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.	Accipit manipulum, osculatur crucem in medio et imponit brachio sinistro (R.) infra cubitum, et aciculis figit (M. P By. aP.), aut chordulis ligat (*).	Quasi osculans crucem manipuli (B. aP. By.) Celebranti osculandam praebet et brachio ejus affigit (Bi*).
Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam per-	Deinde ambabus manibus accipiens stolam, simili modo deosculatur, et imponit medium	Itidem osculans crucem stolae, illam Celebranti porrigit

TEXTUS	SACERDOS.	MINISTER.
didi in praevaricatione primi parentis, et quamvis indignus accedo ad tuum sanctum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.	ejus collo (R.) prope caput (B.) ac transversando eam ante pectus in modum crucis, ducit partem a sinistro humero pendentem ad dexteram, et partem a dextro humero pendentem ad sinistram (R.), hac super illam posita (AA.), Sicque utramque partem stolae extremitatibus cinguli hinc inde ipsi cingulo conjungit (R.).	(B. Bi. By. V. aP.) et circa collum adaptat (aP. By. V.), ita ut crux media medium colli teneat (V. B.*).
Domine, qui dixisti: Jugum meum suave est et onus meum leve, fac ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen.	Postremo Sacerdos accipit planetam (R.), quam non osculatur (AA.), ac si fieri potest, ligat ab anteriore parte, ut alba planetam inter et stolam non appareat, quod foret indecorum (B.* aP.).	Celebranti planetam induit et super scapulas decenter disponit, ac aliquantisper recedens post Celebrantem, an omnia bene sint ordinata, considerat (aP. Bi. V.*).
	Mucinium seu sudarium album ad dextram infra planetam, si lubet, cingulo appendat (By. aP.).	Sudarium Sacerdoti porrigit deplicatum.

§. II. De ingressu Sacerdotis ad Altare

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
	Sacerdos omnibus paramentis indutus (R.) tegit caput (AA.) birreto triangulari (AA.), accipit manu sinistra calicem ut supra praeparatum, quem portat elevatum ante pectus, bursam manu dextra super calicem tenens (R.).[1]	Birretum Celebranti quasi osculans praebet (aP. V.* By.), sumit Missale, quem duabus manibus ante pectus per angulos inferiores, elevatum tenet, cujusque apertura respiciat sinistram suam (B. V.): paululum retro post celebrantem et a latere ejus stat.
	Facta cruci vel imagini illi, quae est in sacristia capitis profunda reverentia (R.), capite cooperto (AA.), accedit ad Altare (R.).	Inclinat cruci caput (B. By. Bi.) vel genuflectit (aP. V. P.)
	Egrediens e sacristia convenienter se signat aqua benedicta (S. C.) nihil dicens (aP.) et capite cooperto, oculis ad	Signat se aqua benedicta, quam Sacerdoti non praebet, (B.) vel aspersorium

[1] Nisi physico impedimento detentus ipse Celebrans calicem deferat (AA.).

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
	terram demissis et corpore erecto procedit (R.).	celebranti porrigit (aP. By.), modeste procedit, tenens librum ante pectus elevatum (Cor. G. By. B. Bi.) vel paululum ad sinistram inclinatum (L.)
	Cum pervenerit ad Altare, stans ante illius infimum gradum, caput detegit, birretum ministro porrigit, et se profunde inclinat (R.) non solum capite, sed toto corpore (S. C.) Altari et imagini crucifixi desuper positae (R.), quae imago necessario requiritur (S. C.).	Sistit ad dextram Celebrantis, dextera birretum assumit (B. V. aP.), quod quasi osculans, non deponit supra Missale (B. aP.), sed potius digito medio suspensum tenet (B. V. aP.). Tunc genuflectit cruci (By. V. B. L.) in plano capellae (B.).
	Si autem in eo sit tabernaculum sanctissimi Sacramenti, genuflectens debitam facit reverentiam (R.) absque capitis inclinatione post genuflexionem (AA.). Ideo unico genu flectat *in plano* (S. C.).	
	Tunc ascendit ad medium Altaris; ibi ad cornu Evangelii sistit calicem (R.), bursam duabus manibus assumit, non prius se inclinando (AA. contra J.). Sinistra bursam apertam tenet et extrahit corporale (R.), et dextra (B. L.) vel sinistra (M. aP. J. CC P.) bursam deponit ad cornu Evangelii (R) erectam, ita ut pars ejus aperta sit super mensa altaris, nisi ita imagines sanctae in bursa depictae inversae ponerentur (AA.).	A cornu Epistolae ad Altare accedit (B. V. Cy L. aP.), deponit Missale in pulpito vel cussino eo modo ut dorsum libri respiciat exteriorem Altaris partem (B. Bi. By. V. aP.), et librum non aperit (S. C.). Per Epistolae latus descendens (V. aP.), deponit birretum Celebrantis in loco convenienti, v. g. credentia, nunquam vero in Altari (B V.).
	Ambabus manibus (AA.) corporale extendit in medio Altaris (R.), ubi habetur lapis consecratus ita, ut pars anterior lapidem non excedat;[1] convenit tamen ut corporale usque ad	

[1] Janssens, juxta usum Belgicum, quem et sequuntur Romsée et De Herdt, partem corporalis anteriorem clausam vult usque ad Offertorium. Verum ejus sententia opinioni Rubricistarum usuique Romano contradicit.

PRECES.	SACERDOS	MINISTER.
	anteriorem partem Altaris ducatur (aP. M. By. L cc. V. G.) seu potius ad latitudinem digiti ab ora distet (P. B.).	
	Tunc calicem ad nodum sinistra accipit, superimponens dexteram (AA.) collocatque super corporali (R.) medio, ita tamen, ut non sit impedimento ad osculandum Altare. Extenditque velum anterius, ut calix totus tegatur (AA.).	
	Collocato calice in Altari (R.), celebrans manibus junctis accedit ad cornu Epistolae, Missale super cussino aperit, reperit Missam et signacula suis locis accommodat. Deinde rediens ad medium Altaris (R.) manibus junctis (AA.) facta primum cruci reverentia (R.) mediocri B.*) aut profunda (M. J. aP.), statim (M. Bi.) vertens se ad cornu Epistolae (R.) aliquantulum de medio Altaris recedens (M.) descendit post infimum gradum Altaris, ut ibi faciat confessionem (R.).	Reversus ad Altare flectit dextrum genu in medio S.C.) etiam coram sola cruce (B. V. Bi.), recedit ad cornu Evangelii ubi paulo post Celebrantem in plano genuflectit (B. V.)
	Satis tamen esset descendere predellam, quae dividit Altare a planitie (S. C.), vel infimum gradum primi ordinis (AA.) E contrario, si Altare non habeat gradus, ab Altari tamen aliquantulum esset recedendum (AA).	In casu genuflecteret ad infimum primi ordinis gradum (V.) manibus junctis (B V.)
	Sacerdos cum primum descenderit sub infimum gradum Altaris, convertit se ad ipsum Altare, ubi stans in medio, junctis manibus ante pectus, detecto capite (R., id est absque birreto vel caesarie ficta, et sine annulo (S. C.), facta prius cruci vel Altari profunda inclinatione (R.) corporis (S.C.), vel si in eo sit tabernaculum sanctissimi Sacramenti, facta genuflexione (R.) unico genu (AA.) in infimo gradu Altaris, erectus incipit Missam (R.).	

§. III. De principio Missae et confessione facienda.

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
	Stans igitur Celebrans ante infimum gradum Altaris, ut supra, producens manu dextra a fronte ad pectus signum crucis, dicit intelligibili voce (R.):	
In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.	Tangit frontem, pectus, humerum sinistrum, dextrum Jungit manus ante pectus (By. aP. P. M.).	Ut Celebrans eodem se signat modo (B. V. M. Cors. aP.)
Introibo ad Altare Dei.	Pronuntiat clara voce Antiphonam [1] jungens iterum manus ante pectus prosequitur cum ministro alternatim Psalmum (R.).	Respondet alta voce Celebranti (Cors aP.).
Ad Deum, qui, etc. Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo et doloso erue me		
Quia tu es, etc. Emitte lucem tuam et veritatem tuam, ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua.		
Et introibo, etc. Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus: quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me.		
Spera in Deo, etc. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.	Inclinat cruci caput (R.) profunde (AA.).	Caput inclinat (By. Cast. aP. Cors.)
Sicut erat in principio, et nunc, et		

[1] Quemcumque in alio Altari, postquam id dixerit, non debet advertere Celebrantem, etiamsi Sacramentum elevet, sed continuate prosequi Missam usque ad finem (R.). Si ante initium Missae elevaretur Sacramentum in alio Altari proximo, flectere teneretur duobus genibus, donec peracta foret consecratio (M. J.).

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
semper, et in saecula saeculorum. Amen.		
Introibo ad Altare Dei.		
Ad Deum, qui laetificat juventutem meam.		
Adjutorium nostrum in nomine Domini.	Producit signum crucis, ut supra, a fronte ad pectus (R.).	Signat se.
Qui fecit coelum et terram.		
Confiteor Deo omnipotenti, Beatae Mariae semper virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptistae, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis.	Altari se profunde inclinat junctis manibus, et prosequitur eodem modo inclinatus (R.).	
Et *vobis, fratres,* quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere.	Semper numero plurali utitur, nec vertit se ad ministrum (AA.).	
mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa.	Ter pectus dextra manu percutit, sinistra infra pectus posita (R.) modeste absque strepitu, dextera parum incurvata, digitisque sibi invicem unitis.	
Ideo precor . .		
Misereatur tui. . .	Stat inclinatus (R.).	Vertit se ad celebrantem (B. V. Bi. M. aP.)
Confiteor Deo . . .	Se erigit (R.).	Profunde se inclinat, et sic vertit se ad Celebrantem (By. L. B. V. M. aP.), dein ter pectus percutit (B. V. M.)
Et tibi, Pater . . .		
Mea culpa . .		
Et te, Pater . .		Rursum se ad Celebrantem vertit (B. V. M.).
Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris perducat vos ad vitam aeternam.	Alta voce, erectus et manibus junctis, nec se ad unam vel alteram partem vertens, haec verba pronuntiat (AA.).	Inclinatus manet.
Amen.		Caput erigit (G. aP. B. V. M. Bi.).

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
	Sinistra infra pectus posita, dextra producens a fronte ad pectus (R.) et ab humero sinistro ad dextrum, signum crucis (M. J. aP.), jungit manus (R.).	Se signat cum Sacerdote.
Indulgentiam absolutionem, et remissionem peccatorum nostrorum, tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus.	Stans inclinatis (R.) mediocriter scapulis (AA.), manibus junctis (R.), alternatim cum ministro, recitat, cavens, ne unus incipiat, antequam alter absolverit, neve praecipitanter et confuse haec verba proferantur (AA.).	Inclinat se (B. V.).
Amen. Deus, tu conversus vivificabis nos. *Et plebs tua.* Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam. *Et salutare.* Domine, exaudi orationem meam. *Et clamor meus.* Dominus vobiscum, *Et cum spiritu tuo.* Oremus.		
	Inclinatus (AA.) extendit et jungit manus (R.), per lineam rectam, absque earum elevatione, ad corporis latitudinem (AA.).	
Aufer a nobis, quaesumus, Domine, iniquitates nostras, ut ad sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire, per Christum Dominum nostrum. Amen.	Erigit se (AA.), et junctis manibus ascendit ad medium Altaris (R.). Ita coordinans et incessum et orationis recitationem, quae fit voce submissa, ut absolvatur illa oratio in ipso accessu ad medium Altaris (AA.).	Manet in eo loco, si non sint gradus, vel ad infimum gradum ascendit (V. B. M. By. Cors.), ubi genuflectit (Bi. V.) et sic manibus junctis (Bi. P.), vel decenter ad pectus positis permanet (B. V. By.), neque librum aut rosarium tenens (Li.).
Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiae hic sunt et omnium Sanctorum, ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.	Mediocriter (AA.) inclinatus manibusque junctis super Altari positis, Osculatur Altare in medio, manibus extensis aequaliter hinc inde super eo positis (R.) extra corporale (AA.), nisi tamen nimium pateret (aP. By.). Osculato Altari (R.), absque inclinatione, manibus junctis, (AA.) accedit ad cornu ejus	

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
	sinistrum, id est Epistolae (R.) incedens modo naturali et latere sinistro verso ad Altare (aP.).	

§. IV. Ab Introitu usque ad finem Epistolae.

Salve, sancta parens, enixa puerpera regem, qui coelum terramque regit in saecula saeculorum. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi.	Stans versus Altare, et producens a fronte ad pectus signum crucis, incipit manibus junctis et intelligibili voce (R.).	Signat se signo crucis (aP. By. Cast.)
Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.	Tenens manus junctas caput inclinat versus crucem (R.) vertens se aliquantulum ad medium Altaris (M. J. T. By. aP.) absque tamen oculorum elevatione.	Caput cruci inclinat (Cor. aP.)
Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.	Erigit caput (AA.)	Elevat caput.
Salve, sancta parens, enixa puerpera regem, qui coelum terramque regit in saecula saeculorum.	Non signat se ut prius (R).	
	Accedit ad medium Altaris (R.), manibus junctis ante pectus procedens naturaliter, latus dextrum vertens ad Altare (AA.).	
Kyrie, eleison. *Kyrie, eleison.* Kyrie, eleison. *Christe, eleison.* Christe, eleison. *Christe, eleison.* Kyrie, eleison. *Kyrie, eleison.* Kyrie eleison.	Manibus junctis intelligibili voce dicit alternatim cum ministro (R.) distincte absque praecipitatione aut confusione (AA.). Si non adsit minister, ipse solus novies dicit (R.).	Respondet alternatim Celebranti (R.).
Gloria in excelsis Deo,	Stans in medio Altaris et manus extendens, voce praedicta incipit, Elevansque eas usque ad humeros, Jungit manus et caput cruci inclinat (R.) absque oculorum elevatione (AA.).	Caput cum Celebrante inclinat, nunc et postea.
et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te.	Erecto capite stans junctis manibus ante pectus, prosequitur,	

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, rex coelestis, Deus pater omnipotens. Domine fili unigenite, Jesu Christe.	Caput cruci inclinat (R.) ac statim erigit. Iterum inclinat (R.) ac erigit.	
Domine Deus, Agnus Dei, filius Patris.	Iterumque caput inclinat (R.) profundius (Caer.) et eodem modo erigit.	
Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi,		
suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus,	Nova fit capitis inclinatio (R.).	
Jesu Christe.	Inclinat caput (R.), erigit, et a fronte.	
Cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.	ad pectus, et ab humero sinistro, ad dextrum (J. M. aP.), seipsum signat (R.), nec jungit manus (S. C.).	
	Osculatur Altare, manibus hinc inde super eo aequaliter extensis, tum illas ante pectus jungit (R.) digitis compressis, ac oculis in terram demissis, a sinistro latere ad dextrum versus populum, hoc est per eam partem, quae respicit cornu Epistolae (R.), absque capitis aut manuum inclinatione, nec Altari innixus (AA.),	
Dominus	Dicit alta voce (AA.), et manus absque earum elevatione, ita ut palmae se invicem respiciant, linea recta extendens (AA.) ac paulisper elevans (Caer. Ep.),	

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
vobiscum. *Et cum spiritu tuo.*	Statim jungit (AA.). [1] Et manibus junctis revertitur per eamdem viam ad librum (R.), ac pede sinistro prius incedit ad cornu Epistolae (V.), ubi extendens ac jungens manus ante pectus dicit alta voce, caput cruci inclinans (R.), aliquantulumque vertens se ad ipsam (J.).	Paululum se inclinans versus celebrantem (B. P. V.) respondet.
Oremus.	Stat, extensis manibus ante pectus, ita ut palma unius manus respiciat alteram, et digitis simul junctis, quorum summitas humerorum altitudinem distantiamque non excedat (R.).	
Concede nos famulos tuos, quaesumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosa beatae Mariae semper virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia et aeterna perfrui laetitia.	Inclinat caput versus librum (R.) [2]	Inclinat caput.
Per Dominum nostrum, Jesum Christum etc.	Manus jungit ac junctas tenet [3] usque ad finem, caput cruci inclinat (R.) et corpus aliquantulum (AA.), et statim se vertit ad librum (AA. exc. M. aP.)	Inclinat caput (V.).
Lectio libri Sapientiae. Ab initio et ante saecula creata sum, et usque ad futurum saeculum non desinam, et in habitatione sancta	Celebrans positis super librum vel super Altare manibus, ita ut palmae librum tangant, vel (ut placuerit) librum tenens (R.) vel aliter, modo non pendeant (AA.), legit Epistolam [4] intelligibili voce (R.).	

[1] Si ita sit exstructum Altare, ut Celebrans ibi a fidelibus, qui sunt in parte inferiori ecclesiae, videri nequeat, non se vertit ad populum dicturus: *Dominus vobiscum, Orate fratres, Ite, missa est,* vel benedictionem daturus; sed osculato Altari in medio, ibi expansis et junctis manibus, ut supra, salutat populum et dat benedictionem (R.).

[2] Cum nominatur in Oratione vel Epistola nomen *Jesus*, caput versus crucem inclinat. Similiter ubicumque nomen beatae Mariae vel Sanctorum, de quibus dicitur Missa, vel fit commemoratio (R.), non vero quando invocantur in Oratione *A cunctis* (AA.); item in Oratione pro Papa, quando nominatur, semper caput inclinat, non tamen versus crucem (R.), sed versus librum; quae inclinatio minor est ad nomen Mariae, et quasi minima ad nomen Sancti vel Papae (AA.). Item convenienter inclinatio fit ad nomen sanctissimae Trinitatis (S. C.).

[3] Si concluditur Oratio, *qui tecum* aut *qui vivis*, cum dicit *in unitate* jungit manus (R.) et non inclinat nec vertit ad crucem caput (AA.). Si plures Orationes sunt dicendae, idem in voce, extensione manuum, et capitis inclinatione, quod supra dictum est, observatur (R.). Ast *Oremus* non dicitur, nisi ante primam et secundam, et conclusio tantum fit ad primam et ultimam Orationem (R.).

[4] Si in Epistola vel Graduali habeantur verba, ad quae esset genuflectendum, v. g. *In nomine Jesu*, vel *Veni, sancte Spiritus*, manus hinc inde in Altari ponit, et primis verbis dictis, surgit (AA.).

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
ministravi. Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea, et radicavi in populo honorificato et in parte Dei mei hereditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea.		
Deo gratias.	Vocem deprimit, ut moneat ministrum (AA.).	Respondet.

§. V. De Graduali usque ad Offertorium.

Benedicta et venerabilis es Virgo Maria, quae sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris. Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Alleluia, Alleluia. Post partum Virgo inviolata permansisti. Dei genitrix, intercede pro nobis. Alleluia.	Similiter stans eodem modo prosequitur (R.). Caput libro inclinat (R.).	Surgit, flectit in medio et procedens per planum ascendit gradus, ad latus Epistolae, ubi sistit ad dextram Celebrantis (B. Bi. By. L. aP. Cast.).
Munda cor meum ac labia mea, omni-	Relinquit Missale apertum,[1] et manibus junctis ante pectus vadit ad medium Altaris,[2] ubi levatis ad crucem oculis (R.) non capite (M. J. aP. By.) et statim demissis, profunde inclinatus (R.), manibus junctis inter corpus et Altare (AA.), dicit secreto (R.).	Sumit cum cussino librum, quem vel apertum tenet (Li.), vel claudit, pollice sinistro intra folia Missalis posito (By. Cast. Cors. aP.); nec vertens dorsum ad Altare descendit per gradus laterales Epi-

[1] Si minister non valeat librum transferre, ipse Celebrans eum ad cornu Evangelii transfert, et dum transit ante medium Altaris, caput cruci inclinat. Missale sic locat, ut posterior pars libri respiciat cornu Altaris (R.). Rediens ad medium Altaris ac dicturus *Munda cor meum*, non iterum cruci caput inclinat (AA.).

[2] Secundum *A Portu* summitates digitorum in coelum essent erigendae. Romae versus Altare tenentur. Idem dicendum est dum inclinatur ad *Sanctus*.

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
potens Deus, qui labia Isaiae Prophetae calculo mundasti ignito, ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.		stolae, proceditque per planum (B. Bi. By.) vel per gradum superiorem (Cors. Cast. aP.) genuflectens in medio (AA.), ac portat librum Missalis ad cornu Evangelii (R.). Tum descendit per gradus anteriores (By. V.), et genuflectens in plano transit ad latus Epistolae, ubi ante infimum gradum consistit manibus junctis (B V.), vel per gradus laterales Evangelii descendit, et in plano consistit, donec *Gloria tibi, Domine* dixerit (M. P. aP.)
Jube, Domine, benedicere. Dominus sit in corde meo et in labiis meis, ut digne et competenter annuntiem Evangelium suum. Amen.		
Dominus vobiscum. *Et cum spiritu tuo.*	Vadit ad librum Missalis, ubi stans versus illum junctis manibus ante pectus, dicit intelligibili voce (R.).	Respondet.
Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. *Gloria tibi, Domine.*	Disjungit manus et sinistra super librum (S. C.) digitis extensis posita, ac palma librum respiciente (AA.), pollice dextrae manus signo crucis signat primo librum super principio Evangelii, quod est lecturus (R.), non ungue sed pollicis pulpa (AA.); postea seipsum in fronte, ore et pectore (R.) etiam pulpa pollicis, sinistra interim infra pectus (AA.); dein manibus junctis prosequitur.	Signat frontem, os et pectus pollice et respondet.
In illo tempore, † quente Jesu ad turbas, extollens vocem quaedam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portavit et ubera, quae suxisti. At ille dixit: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.	Inclinat caput libro, versus quem etiam genuflectit, si in Evangelio est genuflectendum (R.).	
Laus tibi, Christe.	Inflectit aliquantulum vocem (B.).	Respondet.

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
Per evangelica dicta deleantur nostra delicta.	Secreto dicens (R.) non addendo *Amen* (V. H.) elevat parumper librum (R.), non cussinum vel pulpitum (AA.), osculaturque principium Evangelii (R.). Admovet paululum Missale in cussino versus medium Altare, cavens tamen, ne sit supra corporale, ac junctis manibus ante pectus redit ad medium Altaris (AA.).	Genuflectit denuo super infimo Altaris gradu.
Credo in unum Deum,	Stans ibi versus crucem (R.) absque inclinatione (AA.) dicit elevans et extendens Jungensque manus, et caput cruci inclinans (R.) oculis demissis (AA.)	
Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum,	Junctis manibus ac capite erecto prosequitur.	
Jesum Christum, filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubtantialem Patri. Per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem, descendit de coelis.	Caput cruci inclinat (R.).	Se inclinat.
Et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria virgine, et homo factus est.	Manibus hinc inde in Altari depositis (aP. T. B. M.) genuflectit (R.) genu dextro (S. C.) absque inclinatione capitis (AA. contra By. aP.).	Caput et scapulas inclinat (aP. By.).
Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et ite-	Erigit se et prosequitur eodem modo.	

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
rum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos. Cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur. Qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum.	Cruci caput inclinat (R.).	Caput inclinat.
Et vitam venturi saeculi. Amen.	Sinistra infra pectus posita dextra frontem et pectus signat, dein humerum sinistrum et dextrum (AA.) et non jungit manus	Se signat.

§. VI. De Offertorio usque ad Canonem.

	Dicto Symbolo, vel si non sit dicendum, post Evangelium, Celebrans osculatur Altare in medio, vertit se ad populum et extendens ac jungens manus dicit:	
Dominus vobiscum. *Et cum spiritu tuo.*		Respondet.
Oremus.	Et junctis manibus revertitur per eamdem viam ad medium Altaris, ubi extendens et jungens manus caputque cruci inclinans, dicit intelligibili voce. Tum junctis ut prius manibus eadem voce prosequitur (R.).	
Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.	Caput libro inclinat.	

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
	Discooperit calicem (R.) utraque manu auferens velum (AA.), quod vel dat ministro vel ipse plicat (aP. B.), et collocat ad cornu Epistolae extra, sed prope corporale. Dein sinistra super Altari posita extra, corporale, dextra assumit calicem per nodum (AA.) et ad cornu Epistolae deponit (R.). Postea, sinistra super Altari extra corporale posita (AA.), dextra amovet parvam pallam desuper hostiam (R.), quam pro parte collocat super velum ad dextram corporalis (L. M. B. aP.). Tum digitis pollice, indice et medio ejusdem manus (AA.), accipit patenam cum hostia (R.), et cum est prope medium Altaris, occurrens sinistra (AA.), ambabus manibus, seu quatuor (aP.), vel potius sex anterioribus digitis circulum efformantibus, aliis infra patenam junctis (AA.), patenam usque ad pectus elevatam tenet (R.) in medio Altaris, paululum a se distantem (AA.), tunc oculis ad Deum elevatis et statim demissis dicit (R.).	Surgit et statim absque genuflexione (S. C.) ascendit ad Altare, accipit velum, quod plicatum extra corporale ad cornu Epistolae (aP. By. B. V.), vel in credentiam deponit, si Altare nimis sit exiguum (V.). Tum accedens ad credentiam, sumit mantile et illud deplicat super Altari, et redit ad credentiam. [1] E qua desumens pelvim sinistra, dextra tenente ampulas (Cors. Cast. By. aP.), vel ambabus manibus pelvim cum ampullis deferens (V.), vel solas ampullas (M. P.), ad Altare ascendit per gradus ad cornu Epistolae (R.), non genuflectens in intimo gradu, etiamsi sit Altare majus (S. C.); deponit pelvim supra mantile ad cornu Epistolae (B. V. By. aP.). Et ipse stat in superiori gradu (aP. By.).
Suscipe, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi, Deo meo vivo et vero, pro innumerabilibus peccatis, et offensionibus et negligentiis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus christianis, vivis atque defunctis; ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam aeternam. Amen.	Dicto *Suscipe*, demittit manus, et patenam elevatam ad altitudinem palmi ab Altari supra corporali tenet (CC. M.), et cum patena facit signum crucis (R.) per duas lineas sese in-	

[1] Juxta usum, qui Romae viget, minister una cum ampullis et pelvicula sumit manutergium, quod explicat in cornu Epistolae, ac in eo imponit pelviculam.

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
	tersecantes (AA.) longitudine unius palmi (J. aP.): alteram ducens nempe a medio corporalis ad extremitatem anteriorem, et alteram sequendo plicaturam corporalis anteriorem (aP. Cor.). Tum inclinat parumper patenam (B.) et hostiam circa medium anterioris partis corporalis ante se deponit (R.) ad palmi distantiam ab extremitate illius (aP. J. M. B. Cav.) aut super ipsam primam plicaturam (aP.). Dein tenens sinistram in Altari (AA.), dextra, subtus corporale aliquantulum patenam deponit (R.) fere ad eandem plicaturam (L. Hg. C.), at ita ut Celebranti non sit impedimento.	
	Jungit manus, et manibus junctis transit a medio Altaris; tum sinistra (AA.) in cornu Epistolae accipit calicem, quem purificatorio extergit (R.) dextra. Dein purificatorium sinistra assumit, quod pollice sinistro pendens supra pedem (H. L.) vel potius ad os calicis tenet (B.), sinistra interim nodum calicis tenens, de manu ministri ampullam vini accipit, et ponit vinum (R.) quantum convenit (AA.) in calicem (R.), quem parumper inclinatum ac in Altari depositum tenet (AA.).	Sumit utramque ampullam (V.), vel potius ampullam vini (B. Bi.) ad inferiorem partem. Apertam versus se (Bi.) osculatur (R.) et inclinans caput Celebranti offert. Interim dextra ampullam aquae accipit (M. V.). Sinistra cum osculis et salutationibus ordinariis ampullam vini a Celebrante accipiens, osculatur ampullam aquae, quam benedicendam Sacerdoti, praebet cum capitis inclinatione (AA.).
Deus, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti et mirabilius reformasti; da nobis per hujus aquae et vini mysterium, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps,	Eodem modo tenens calicem (R.) reddit ministro ampullam, et statim (AA.) producit signum crucis super ampullam aquae (R.) interim dicens: *Deus* etc. (S. C.), quam sumit, et utens, si lubet, cochleari (S. C.) infundit parum aquae in calice, dum prosequitur *Da nobis* etc. (R.). Si guttulae adhaereant cuppae, eas laudabiliter abstergit purificatorio (S. C.), quod reponit super partem patenae de-	Tum resumit osculo et reverentiis solitis (B. V. G. L.), ampullam aquae, quam in pelvim deponit, et ad credentiam solam vini ampullam defert (B. V.)

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
	tectam (AA.), extremitatibus versis ad Altare et plicatura juxta corporale posita (AA.). Caput cruci inclinat. Si calix nimium distet a medio Altaris, sinistra eum corporali admovet (AA.).	
Jesus Christus Filius tuus, Dominus noster, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.		
	Dein manibus junctis revertitur ad medium Altaris, et sinistra super Altari posita (AA.) dextra calicem discoopertum accipit, et stans ante medium Altaris, ipsum ambabus manibus elevatum (R.), ita ut cuppa oculos non excedat, neque sit infra os (AA.), cum sinistra pedem, cum dextra autem nodum infra cuppam tenens, intentis ad Deum oculis, offert dicens: *Offerimus* etc. (R.)	Redux ad Altare sic ibi disponit manutergium, ut facile a Celebrante assumi possit (B. By. Cast. V. aP.), vel illud in brachio sinistro ponit (M. P.).
Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu divinae majestatis tuae, pro nostra et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.		
	Oratione totaliter finita, et non prius, demittit calicem, cujus pes detinetur elevatus a corporali ad altitudinem trium circiter digitorum (AA.). Et sic tenens ambabus manibus calicem (AA.), cum eo facit signum crucis super corporale (R.), duabus lineis rectis non usque ad hostiam ductis (AA.), sed ab extremitate posteriori usque ad medium circiter corporalis (aP. Ton.), tum in medio post hostiam collocat (R.), ambabus manibus, calicem, distantem ab hostia consecranda spatio alterius magnae hostiae (AA.). Deinde tenens sinistra pedem nodumve calicis (J. B. Bi. aP.), aut melius sinistra super Altare posita, nisi sit senex, cui taliter praecavere congrueret (Cav. P.), calicem cooperit palla (R.), quam dextra manu sumpserat (AA.). Manibus junctis tunc super Altare positis (R.), ut ante introi-	

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
In spiritu humilitatis et in animo contrito, suscipiamur a te, Domine, et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine, Deus.	tum (AA.), corpore mediocriter inclinato, dicit secreto.	
Veni Sanctificator omnipotens, aeterne Deus,	Post erectus, oculos ad coelum elevat (R.), illos statim demittens (AA.), et simul manus late expandens (AA.), elevansque usque ad humeros (M. B.); casque statim jungens ante pectus (R), capite non inclinato (AA.), et sinistra super Altare posita, dextra facit signum crucis super hostiam et calicem communiter (R.), manu recta etiam in transversa parte crucis (S. C.).	
et bene†dic hoc sacrificium tuo sancto nomini praeparatum.	Junctis manibus ante pectus, accedit ad cornu Epistolae, ubi stans lavat manus, scilicet extremitates pollicis et indicis utriusque manus, secreto incipiens Psalmum (R.). Lotis manibus, Sacerdos manutergio eas extergit (R.), non convertens se ad Altare, ac manutergium ministro reddit (Cast. aP. V. B.).	Pelvim sinistra manu tenens, dextra vero ampullam aquae, stansque in ipso Altaris angulo (B. V.), se inclinat Sacerdoti, et non osculans (Li.) aut fere osculans ampullam, ex ea infundit in digitos Celebrantis, donec ab eo signum acceperit (B. B.). Recipit manutergium, inclinato capite (B. V.), illudque osculatur (B.), nisi resumat ex Altari (aP.), super quo relinqui non debet (AA.), illudque plicatum super credentiam reponit (B. Bi. V. G.). Ex credentia affert campanulam, et redit ad locum suum (B. V. Bi.).
Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo Altare tuum, Domine. Ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua. Domine, dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae. Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam. In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus. Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, et misere mei. Pes meus stetit in directo, in Ecclesiis benedicam te, Domine.		

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Sicut erat in principio et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.	Manibus tersis, stans in eodem loco se inclinat Altari (M. Bi. J. CC. Cors. Li. aP.), vel dicit eundo ad medium Altaris (B. L. G.*) aut reversus ad illud, haud inclinato capite (By. Ton. B.). Manibus ante pectus junctis revertitur ad medium Altaris, ubi stans, oculosque ad Deum elevans, et statim demittens, manibusque junctis super Altare, aliquantulum inclinatus dicit secreto (R.).	
Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam Passionis, Resurrectionis et Ascensionis Jesu Christi Domini nostri, et in honorem beatae Mariae semper Virginis, et beati Joannis Baptistae, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et istorum, et omnium Sanctorum; ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem: et illi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam agimus in terris. Per eumdem Christum, Dominum nostrum. Amen.		
Orate, fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum	Qua dicta non se erigens, sed manus hinc inde extendendo et super Altare ponendo, osculatur Altare in medio: tum junctis manibus ante pectus demissisque oculis ad terram, a sinistra manu ad dextram vertit se ad populum, et versus eum extendens et jungens manus, dicit voce aliquantulum elata, et secreto prosequens *ut meum ac vestrum sacrificium* etc., perficit circulum (R.), nullo modo consistens	

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
Patrem omnipotentem.	(Caer. Ep. Li.); revertensque junctis manibus ante pectus ad medium Altaris (R.), ibi cruci non se inclinat (L. H.), vel se inclinat (M. J.), prout voluerit (aP. Ton.).	
Suscipiat Dominus.		Nunc incipit respondere (V. B. aP.)
Amen.	Ipse Celebrans submissa voce [1] dicit: et manibus ante pectus extensis, ut fit ad Orationem, stans in medio Altaris, versus librum, dicit absolute sine *Oremus* et sine alia interpositione, Orationem vel Orationes secretas (R.).	
Tua, Domine, propitiatione et beatae Mariae semper Virginis intercessione, ad perpetuam atque praesentem nobis proficiat prosperitatem et pacem. Per Dominum nostrum,	Caput libro inclinat.	
	Jungit manus (R.) illasque junctas tenet usque ad conclusionem (AA.)	
Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus.	Cruci caput inclinat.	
Per omnia saecula saeculorum.	Sacerdos stans in medio Altaris,[2] depositis super eo manibus hinc inde extensis, dicit convenienti et intelligibili voce (R.).	Respondet.
Amen.		
Dominus vobiscum.		
Et cum . . .		
Sursum corda.	Elevat manus hinc inde extensas usque ad pectus (B. J. Li.), ita ut palma unius manus respiciat alteram (R.) et digitorum unitorum extremitates coelum respiciant (contra aP.).	
Habemus.		
Gratias agamus Domino	Non elevatas manus (B. Li. J.) vel elevatas usque ad humeros (aP. M. Bi), jungit (R.)	

[1] Si nullus est, qui respondeat, Sacerdos ipse sibi respondet *Suscipiat Dominus sacrificium de manibus meis* etc. etc. (R.) et in fine subjungit *Amen* (J. aP.)

[2] Dum dicuntur plures Orationes, Celebrans absolvere debet submissa voce primam Orationem his verbis: *Per omnia saecula...* et sibi respondet: *Amen.* Addet deinde secundam, tertiam etc., sub altera conclusione, quam dicit alta voce (AA.).

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
Deo nostro.	Solos (AA.) oculos elevat et statim cruci caput inclinat (R.).	Caput inclinat (aP. By.)
Dignum et justum est.	Elevatis et extensis ut prius manibus, prosequitur (R.).	
Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, et te in . . . beatae Mariae, semper Virginis collaudare, benedicere et praedicare. Quae et unigenitum tuum sancti Spiritus obumbratione concepit, et virginitatis gloria permanente, lumen aeternum mundo effudit	Se inclinat libro.	
Jesum Christum Dominum nostrum. Per quem majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates. Coeli, coelorumque Virtutes, ac beata Seraphim socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes.	Se inclinat cruci (R.)	
Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt coeli et terra gloria tua, Hosanna in excelsis.	Junctis ante pectus manibus (R.) non autem super Altare (AA.), et inclinatus (R.) aliquantulum (AA.), voce mediocri prosequitur (R.).	Caput inclinat (B. V. Bi.) et pulsat parvam campanulam (R.), vel continuatim (aP. L. H.), vel ter interpollatim (B. V.).
Benedictus qui venit in nomine Domini.	Erigit se, et signum crucis sibi producit (R.), sinistra manu super pectus posita, dextra delata ad frontem,	Se signat cum Celebrante (B. V.).
Hosanna in excelsis.	ad pectus, ad humerum sinistrum, ad dextram (AA.), et non jungit manus (S. C.)	

§. VII. A Canone usque ad finem Consecrationis.

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
	Sacerdos, dicto *Sanctus,* deposita manu dextra super Altare, sinistra quaerit Canonem (B.), tum, antequam quidquam pronuntiet (S. C), aliquantulum elevat manus, oculisque ad Deum elevatis, et sine mora devote demissis, ac manibus junctis et supra altare positis, profunde inclinatus, incipit Canonem, secreto dicens (R.).	
Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum, Filium tuum, Dominum nostrum, supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas,		
et benedicas	Osculatur Altare in medio, deinde erigit se et stat junctis manibus ante pectus (R.). Tum sinistra super Altari reposita (AA.), dextra manu signat ter communiter super hostiam et calicem (R.).	
haec † dona, haec † munera, haec † sancta sacrificia illibata, in primis quae tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum, una cum famulo tuo Papa nostro N.,	Deinde manibus non junctis, sed illico ad altitudinem et longitudinem humerorum (AA.), extensis ante pectus, prosequitur (R.).	
	Exprimit nomen Papae[1] caputque inclinat libro (R.).	
et Antistite nostro N., et omnibus orthodoxis atque catholicae et apostolicae fidei cultoribus.	Specificatur nomen Patriarchae, Archiepiscopi, vel Episcopi ordinarii in propria dioecesi, et non alterius superioris, etiamsi Celebrans sit omnino exemptus, vel sub alterius Episcopi jurisdictione (R.).	
Memento, Domine famulorum, famularumque tuarum etc. etc.	Elevans et jungens manus usque ad faciem vel pectus (R.) versus mentum (AA.), sic junctis manibus stat paulisper in quiete	

[1] Si Papa vel Episcopus sit vita functus, omittuntur verba illum exprimentia. Insuper Romae omittuntur haec verba: et Antistite nostro (R.).

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
	(R.), spatio unius orationis dominicae (AA), demisso aliquantulum capite (R.), oculisque in hostiam intentis (aP. By. L.), et pro libitu peragit commemorationem fidelium viventium, quos submisse exprimit, si voluerit.[1] Non tamen necesse est, ea exprimere, sed mente tantum eorum memoriam habeat (R.).	
et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae, tibique reddunt vota sua aeterno Deo, vivo et vero.	Commemoratione vivorum facta demissis et extensis ut prius manibus continuat (R.).	Assurgit et accendit cereum elevationis insistentem in cornucopio parieti affixo a cornu Epistolae.
Communicantes, et memoriam venerantes imprimis gloriosae semper Virginis Mariae, genitricis Dei et Domini nostri		
Jesu Christi; sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Jacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Thaddaei, Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmae et	Caput inclinat libro (R.) et eadem unica inclinatione (aP. Ton.) vel statim elevando (Li.), cruci caput inclinat (R.). Si fiat commemoratio vel celebretur Missa in honorem alicujus Sancti in *Communiantes* expressi, caput inclinatur libro, dum nomen illius Sancti exprimitur (R.).	

[1] Potest etiam Celebrans, si pro pluribus orare intendit, ne circumstantibus sit morosus, ante Missam in animo proponere sibi omnes illos tam vivos quam defunctos, pro quibus in ipsa Missa orare intendit, et hoc loco generaliter unico contextu ipsorum vivorum commemorationem agere, pro quibus ante Missam orare proposuit in Missa (R.).

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
Damiani, et omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio.		
Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.	Jungit manus (R.) sine ulla capitis motione (AA.).	
Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus, Domine, ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari.	Expandendo sive aperiendo manus tantum a parte inferiori, pollice dextro super sinistro in modum crucis posito (AA.) et supra manus (S. C.), extendit illas simul super oblata, sic ut palmae sint apertae versus ac supra calicem et hostiam (R.), absque tactu physico. Extremitates digitorum circiter usque ad mediam pallam pertingant (AA.).	
Per Christum Dominum nostrum. Amen.	Jungit (R.), ad se referendo manus (aP.), sine inclinatione, et prosequitur (AA.).	
Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quaesumus, bene†dictam, adscrip†tam, ra†tam,	Sinistra manu super Altare posita (AA.), communiter signat ter super hostiam et calicem simul (R.).	
rationabilem acceptabilemque facere digneris, ut nobis	Deinde vel jungit manus (M. J.), et deponit dextram super Altari (aP.), vel melius lente signat Sacramentum, ita ut absolvat cum verbis tertium signum (G. B. V. Bi. Li. Ib.), tuncque non demittendo dextram manum (aP. L. M. H.), separatim signat semel super hostiam tantum, et semel super calicem tantum (R.), signo paulo breviori (M. J.).	
Cor†pus et San†guis fiat		
dilectissimi Filii tui, Domini nostri, Jesu Christi,	Deinde manus elevat illasque jungit ante pectus (R.), inclinans caput cruci. Non amoto calice (*), extergit, si opus fuerit, pollices et indices super corporale (R.), et accipiens pollice et indice dextra manus hostiam, et eam cum illis ac indice et pollice sinistrae manus tenens (R.), illam paululum elevat (By. Ton. aP.), omnibus aliis digitis	Accedit ad dextram Celebrantis, flectit utroque genu super altiori gradu Altaris, junctis manibus (B. M. V. aP. By.).
qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas et venerabiles manus suas		

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
	extensis atque junctis inter se (AA.).	
et elevatis oculis in coelum, ad te Deum, Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens,	Elevans ad coelum oculos, et statim demittens (R), absque capitis motione (M. ap.), caputque aliquantulum inclinans (R.), et tenens hostiam inter pollicem et indicem sinistrae manus, dextra producit signum crucis super eam (R.), lentius autem, ita ut ad hoc verbum sumat ambabus manibus (L) hostiam, quam pollicibus et indicibus tantum tenet (R.), aliis digitis junctis ac extensis (AA.)	
bene † dixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens:	Cubitis (R.), videlicet partibus brachiorum anterioribus (T. H. L.) vel ipsis cubitis super Altare positis (L), et diligenter advertens, ne manus tangant corporale (AA.), stat capite inclinato (R.) et paululum corpore (aP. By. M. B.) vel nequaquam (L. V.), et distincte, reverenter et secreto profert verba consecrationis super hostiam et simul super omnes, si plures sint consecrandae (R.).	
Accipite, et manducate ex hoc omnes.		
Hoc est enim Corpus meum.		
	Se erigit, demittit ab Altari cubitos, oculisque intentis in hostiam (AA.), quam tenet uti explicatum fuit super Altare (R.) intra corporale (AA.) (et hostiis, si plures sint consecratae in loco, in quo a principio Missae positae sunt super corporale, vel in alio vase aut calice dimissis) genuflexus eam adorat (R.) dextro genu (S. C.), nulla (P*) vel aliquantula interposita mora (By. M. aP.)	Sinistra manu elevat casulae fimbrias (R.), quam non osculatur (aP. By. T.) et profunde inclinatus (V. T. aP. B. Bi.), ter pulsat parvam campanulam (R.), hic semel,
	Tum se erigens, quantum commode potest, elevat in altum hostiam (R.), per lineam rectam supra corporale donec illa superexaltet caput, digitis ac parte manuum inferiori semper unitis (AA.), et intentis in eam oculis, populo reverenter ostendit adorandam (R.), et mox ambabus manibus eam demittit per lineam rectam; et sinistra manu super corporali posita (AA.), sola dextra ipsam reve-	hic iterum,

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
	renter reponit super corporale in eodem loco, unde eam levavit, et deinceps pollices et indices non disjungit, nisi quando hostiam consecratam tangere vel tractare debet, usque ad ablutionem digitorum post communionem (R.).	
	Reposita hostia consecrata super corporale, genuflexus ipsam veneratur (R.), capite non inclinato ac manibus super corporale, hinc inde positis (AA.). Celebrans adorato Sacramento surgit (R.), manu sinistra super corporali aut pede calicis posita (AA), discooperit calicem (R), pallam inter medium digitum ac indicem pollici unitum cum aliis digitis sumens, quam parum elevatam deponit in cornu Epistolae super extremitate veli, non longe a corporali (AA.).	hic tertia vice pulsat parvam campanulam (G. L. Cors. Cast. aP. B. Bi. T. V.). Potest etiam continuate illam pulsare a genuflexione praecedente elevationem usque ad genuflexionem illam sequentem (R.). Deinde jungit manus (Bi.).
Simili modo, postquam coenatum est,	Tum, si opus sit, extergit digitos super calicem (R.), in medio et non in ora cuppae (AA.); quod semper facit, si aliquod fragmentum digitis adhaereat.	
accipiens et hunc praeclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas,	Stans erectus, et ambabus manibus accipiens calicem juxta nodum infra cuppam (R.), inter indices pollicibus unitos et medios digitos cum aliis (AA.), illum aliquantulum elevans (R.), altitudine circiter quatuor digitorum a mensa Altaris (AA.), statim deponit (R.). Retinensque calicem eodem modo (AA.), caput inclinat (R.). Deinde sinistra calicem infra cuppam tenens, dextra signat super eum (R.). Tum tenens calicem aliquantulum elevatum super Altare et non flectens eum ad se nimis studiose (AA.), sinistra pedem, dextra nodum infra cuppam, cubitis super Altare positis et capite inclinato, profert attente, continuo, et secreto, verba consecrationis Sanguinis (R.), diligenter advertens ne in calicem os naresve inferat.	
item tibi gratias agens bene†dixit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite et bibite ex eo omnes. Hic est enim calix Sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.		

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
Haec quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.	Reponit calicem super Altare (R.),	
	ac genuflexus Sanguinem reverenter adorat (R.), positis ambabus manibus super Altare, et calicem non tangens (AA.). Tum se erigit, et accipiens calicem discoopertum cum Sanguine ambabus manibus, ut prius (R.), videlicet, tenens pedem calicis ultimis tribus digitis sinistra manu, et nodum dextra, ita ut constringatur indice pollici unito ab una parte, et medio ab altera, per lineam rectam supra locum pristinum ubi in corporali ponebatur calix (AA.), elevat eum, et erectum, quantum commode potest, ostendit populo adorandum (R.). Curet, ne pes calicis excedat oculos, quos in cuppam semper intentos habet (AA.).	Ter pulsat campanulam ut in prima consecratione, itidemque elevat casulam (R.).
	Mox ipsum reverenter reponit super corporale in locum pristinum (R.), et sinistra manu posita super corporale, aut super pedem calicis (AA.), dextra palla cooperit, ac genuflexus Sacramentum veneratur (R.), ut prius (AA.).	
		Se erigit (Bi. V. aP.), et in medio genuflexione facta, revertitur ad locum, ubi genuflexus remanet, ibique si velit, jungit manus (V.).

§. VIII. A fine Consecrationis usque ad Agnus Dei.

Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, ejusdem Christi Filii tui, Domini nostri, tam beatae passionis, nec non et ab inferis, Resurrectionis, sed et in coelos gloriosae Ascensionis, of-	Reposito calice et adorato Sacramento, Sacerdos stans ante Altare, extensis manibus ante pectus, dicit secreto (R.):	

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
ferimus praeclarae Majestati tuae de tuis donis ac datis,	Jungit manus ante pectus (R.), pollicibus indicibus unitis (AA.), et manu sinistra posita super Altare intra corporale, dextra signat ter communiter super hostiam et super calicem; et semel super hostiam tantum et super calicem tantum (R.).	
hostiam † puram, hostiam † sanctam, hostiam † immaculatam, Panem † sanctum vitae aeternae, et calicem † salutis perpetuae.		
Supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris, et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium Patriarchae nostri Abrahae, et quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.	Deinde stans ut prius, extensis manibus prosequitur (R.).	
	Profunde inclinat se ante medium Altaris (R.), manibus super illo positis, ut fit ante Introitum (S. C.) et deinde dicit:	
Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube haec perferri per manus sancti Angeli tui in sublime Altare tuum in conspectu divinae Majestatis tuae,		
ut quotquot ex hac Altaris participatione,	Osculatur Altare, manibus hinc inde super corporale positis (R.), et se erigens (AA.), jungit manus, et dextra signat semel super hostiam tantum, et semel super calicem.	
sacrosanctum Filii tui Cor † pus et San † guinem sumpserimus,	Tum sinistra infra pectus posita (R.), digitis unitis semper junctis (AA.), se ipsum signat a fronte	
omni benedictione coelesti et gratia repleamur.	ad pectus signo crucis (R.), ad humerum sinistrum, et ad dextrum, se tangens tribus ultimis digitis.	
Per eumdem Chri-	Jungit manus (R.) ante pectus.	

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
stum, Dominum nostrum. Amen.	non inclinato capite (AA. adversus M.).	
Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis. N N.	Non elevans vocem (AA.) extensis et junctis manibus (R.) adeo lente ut manus non jungantur ad pectus antequam ultima verba absolvantur (AA.), et usque ad faciem elevatis, et intentis oculis ad Sacramentum super Altare, facit commemorationem fidelium defunctorum (R)..	
Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas deprecamur. Per eumdem Christum, Dominum nostrum. Amen.	Qua commemoratione facta, stans ut prius extensis manibus prosequitur (R.).	
	Jungit manus et caput inclinat (R.).	
Nobis quoque peccatoribus,	Vocem aliquantulum elevat, sinistra posita super corporale et dextra manu pectus sibi percutit (R.), scilicet, tribus ultimis digitis et nullatenus inclinatus (AA.), prosequitur secreto stans manibus extensis ut prius (R.).	Pectus sibi percutit.
famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis et Martyribus, cum Joanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Caecilia, Anastasia, et omnibus Sanctis tuis: intra quorum nos consortium, non aestimator meriti, sed veniae, quaesumus, largitor admitte.		
Per Christum, Dominum nostrum. Per quem haec omnia,	Jungit manus ante pectus (R.). et sinistra super corporali posita (AA.), dextra ter signat communiter super hostiam et	

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
Domine, semper bona creas, sancti†ficas, vivi†ficas, bene†dicis, et praestas nobis.	calicem (R.). Postea discooperit calicem (R.), sumens pallam inter digitum medium, et indicem pollici unitum, et illam partim collocat super corporale (AA.), manu sinistra simul super illo (M. J. B. aP.) vel super pede calicis posita (CC.). Tum ambabus manibus super corporale positis (AA.), genuflexus Sacramentum adorat (R.), uno genu (AA.). Se erigit (R.) et adjuvante indice sinistrae manus (AA.), reverenter accipit hostiam inter pollicem et indicem dextrae manus (R.), non per partem ejus inferiorem sed parumper infra medium, in ora (AA.), et cum ea super calicem, quem manu sinistra tenet circa nodum infra cuppam, signat ter a labio ad labium (R.), aequalibus motibus, neque tangens calicis labia, neque inclinans hostiam (AA.). Tum, quin sinistra nodum calicis relinquat (AA.), similiter cum hostia signat bis inter calicem et pectus, a labro anteriore (AA.), intra corporale recta linea (By. L. aP. M.), et non demissa hostia versus calicis pedem (R.), sinistro tamen brachio paululum inclinato, ne tangatur (M. By. Ton. aP.)	
Per† ipsum, et cum † ipso, et in † ipso est tibi Deo Pa†tri omnipotenti, in unitate Spiritus†sancti, omnis honor et gloria.	Deinde levans hostiam (AA.) et manu dextra illam super calicem tenens, sinistra calicem elevat aliquantulum simul cum hostia (R.), ad altitudinem circiter quatuor digitorum (AA.), et statim utrumque deponens, hostiam collocat super corporale, et si opus sit, digitos extergit ut supra, ac pollices et indices ut prius jungens (R.), et sinistra super corporali aut super pede calicis posita (AA.), calicem palla cooperit (R.), manibusque super corporali positis (AA.), genuflexus Sacramentum adorat (R.).	
	Celebrans cooperto calice adoratoque Sacramento, erigit se	

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
	et manibus extensis, et hinc inde super Altare intra corporale positis, dicit intelligibili voce (R.).	Respondet.
Per omnia saecula saeculorum. *Amen.*	Jungit manus, caput Sacramento inclinans (R.), illudque statim erigens, prosequitur manibus ante pectus junctis (AA.).	Se inclinat.
Oremus. Praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere: Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra; panem nostrum quotidianum da nobis hodie, et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem.	Extendit manus, et stans oculis ad Sacramentum intentis, prosequitur usque ad finem (R.), alta voce (AA.).	
Sed libera nos a malo. Amen.		Respondet alta voce (AA.).
	Respondet submissa voce (R.). Manu sinistra super corporali posita (V. aP. Ton. Bi.) aut potius dextra prius sumptis purificatorio et patena, hanc sinistra recipit, illamque immobilem tenens, postea dextra (J. aP.) abstergit purificatorio (R.), quod tenet inter medium digitum ac indicem pollici unitum, utens extremitatibus ad candelabra versis (By. Ton. aP.). Tum sistit in locum pristinum prope corporale purificatorium (AA.), dein inter indicem et medium digitum dexterae, patenam accipit quam tenens super Altare erectam (R.), ac super purificatorium (L. M. J. aP By.), ita ut pars patenae concava respiciat hostiam (AA.), sinistra super corporale posita, dicit secreto (R.):	
Libera nos, quaesumus, Domine, ab omnibus malis praeteritis, praesentibus et futuris, et intercedente beata et glo-		

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
riosa semper Virgine Dei genitrice Maria, cum beatis Apostolis Petro et Paulo,[1] atque Andrea, et omnibus Sanctis,	Caput libro inclinat.	
da propitius pacem in diebus nostris:	Elevat manu dextra patenam de Altari, et sinistra infra pectus posita, se ipsum cum ea signat (R.), a fronte, ad pectus, ad sinistrum et ad dextrum humerum (AA.). Postea osculatur oram (S. C.) patenae (R.).	Se signat.
ut ope misericordiae tuae adjuti, et a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi.	Et prosequens, *ut ope misericordiae tuae* etc., submittit patenam hostiae, quam indice sinistro accommodat super patenam (R.), ad oram ejus superiorem et extra concavitatem (aP. Ton. Ton. By.). Relinquit patenam in loco hostiae, vel illam collocat partim super pede calicis a dextris (J.), sed melius in corporalis medio (L. M. H. aP. Bi. Ton.*). Tum discooperit calicem (R.), palla partim super corporali relicta ac manibus super eodem positis (AA.), genuflexus Sacramentum adorat: tum se erigens (R.), indice sinistrae manus hostiam in ora aliquantulum comprimens (aP. M.), accipit inter pollicem et indicem dextrae manus, et cum illis, ac pollice et indice sinistrae manus, eam super calicem tenens, reverenter frangit per medium (R.) in duas partes aequales, ita ut in suprema, media et infima parte medietatis ab initio fiat modica fractura, et postea tota hostia frangatur (G. J. B. M.).	
Per eumdem Dominum nostrum, Jesum Christum, Filium tuum,	Sacramento caput inclinat (S. C.). Mediam partem hostiae, quam	

[1] Haud recte docet a Portu, post Lohner et Bauldry, signum crucis faciendum esse ad verba *cum beatis*, quia 1° rubrica positive praescribit, esse faciendum ad verba *da propitius*, 2° non esset impossibilis casus, quo caput esset inclinandum ad nomina Sanctorum, quod incompatibile tamen foret cum signo crucis.

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
	inter pollicem et indicem dextrae manus tenet, ponit super patenam. De alia media, quam sinistra manu tenet, frangit cum	
qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus	pollice et indice dextrae manus particulam (R.), inferius (S. C.), et eam inter ipsos dextrae manus pollicem et indicem retinens, partem, majorem, quam sinistra tenet, adjungit mediae super patenam positae (R.).	
	Et particulam hostiae, quam in dextra manu retinuit, tenens super calicem (R.), ad intra (S. C.), calicem sinistra per nodum infra cuppam tenet, et intelligibili voce dicit (R.):	
Per omnia saecula saeculorum.		
Amen.		Respondet.
Pax † Domini sit † semper vo † biscum.	Et cum ipsa particula signans ter a labio ad labium calicis (R.), cum tota manu (aP. Li.), et	
Et cum spiritu tuo.	intra cuppam (L. aP.), quam ne tangat diligenter advertit (aP. G. By.), particulam, quam dextra manu tenet, immittit in calicem (R.).	Respondet.
Haec commixtio et consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, fiat accipientibus nobis in vitam aeternam. Amen.	Caput inclinat (S. C.).	
	Deinde elevans sinistram manum usque ad cuppam calicis (AA.) pollices et indices utriusque manus super calicem extergit ac paululum excutit, et deinde jungit. Quibus junctis, ponit sinistram super pedem calicis, eumdem palla cooperit (R.), et manibus super corporale positis, genuflexus Sacramentum adorat et statim surgit (R.).	

§. IX. Ab Agnus Dei usque ad ablutiones.

	Sacerdos post commixtionem particulae in calice, a genuflexione erectus, jungit manus ante pectus, et capite inclinatus versus Sacramentum, dicit voce	
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.	intelligibili (R.) et alta (AA.):	
	Et sinistra super corporale posita, dextra percutit sibi pectus (R.), tribus ultimis digitis (AA.).	Se inclinans, ter sibi percutit pectus.

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,	Et deinde non jungit manus, sed sinistra super corporale posita (R.), dextra lente deducta et reducta (L. J. H. Li.), iterum percutit sibi pectus.	
miserere nobis.	Quod et tertio facit (R.).	
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.		
	Dicto *Dona nobis pacem,* jungit manus, easque junctas super Altare ponit (R.), ut ante Introitum (S. C.), corpus et humeros inclinat (J. L. By. Ton. aP.), ac oculis ad Sacramentum intentis (R.), recitat tres Orationes sequentes:	
Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiae tuae: eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris, qui vivis et regnas, Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.		
Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis et universis malis, et fac me tuis semper inhaerere mandatis, et a te nunquam separari permittas. Qui cum eodem Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus, in saecula saeculorum. Amen.		

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
Perceptio Corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in judicium et condemnationem; sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam. Qui vivis et regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.	Quibus Orationibus dictis, manibus hinc inde super corporale positis, genuflectens Sacramentum adorat, et se erigens dicit secreto (R.):	
Panem coelestem accipiam, et nomen Domini invocabo.	Quo dicto et ipse erectus, dextra manu [1] accipit de patena reverenter ambas partes hostiae (R.), accurate invigilans, ne fragmenta decidant super pedem calicis, et illas (B. aP.) collocat inter pollicem et indicem sinistrae manus (R.). sic ut partes juxtapositae rotundam servent figuram (AA.), parte tamen sinistra aliquantulum super dextram posita (aP. By.), eisque patenam inter eumdem indicem et medium digitum supponit (R.). Et deinde parum inclinatus, eadem manu sinistra tenens partes hujusmodi super patenam, inter pectus et calicem (R.), elevans illam ad altitudinem circiter quatuor digitorum super corporale, praecavensque ne cubitum brachiumve super Altare ponat (AA.), dextra tribus vicibus percutit pectus suum,	

[1] Alter modus facilior ab aliquibus suadetur. Celebrans patenam prius dextra manu sumptam mox collocat inter indicem et medium sinistrae, tuncque ambas hostiae partes de patena sumens illas inter pollicem et indicem sinistrae aptat (J.).

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
Domine, non sum dignus,	interim etiam tribus vicibus dicens voce aliquantulum elevata (R.):	
ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.	Et secreto prosequitur (R.): lente movens manum vel etiam parum ponens super Altare (aP. B. L H.)	Ter percutit sibi pectus (By. L. aP.)
	Quibus tertio dictis, se erigit (aP. B. Hg. M), ex sinistra accipit ambas partes praedictas hostiae inter pollicem et inditem dextrae manus (R), partem dextram supponens sinistrae (AA.), et cum illa supra patenam signat se ipsum signo crucis (R.), inclinans caput (S C.),	
Corpus Domini nostri, Jesu † Christi, custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.	ita tamen, ut signum crucis non egrediatur limites patenae (R), neque elevetur ultra palmam (M. J.).	
	Et se inclinans (R.) mediocriter (aP.), cubitis super Altare positis, reverenter easdem ambas particulas sumit (R), sinistra mento supponens patenam (B. J. aP.) Quibus sumptis, deponit patenam super corporale (R.) in locum pristinum (AA.), et erigens se, junctis indicibus et pollicibus, ambas quoque manus ante faciem jungit, et aliquantulum quiescit in meditatione Sanctissimi Sacramenti (R.), per unum Pater et Ave (aP. Bi.), caput neque demittens (L.), neque inclinans (aP. Ton.).	
Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi.	Deinde manibus hinc inde positis super corporale (AA.), genuflectit, surgit, accipit patenam (R.) inter medium et indicem junctum pollici dextrae manus (AA.), aspiciens, si aliquod fragmentum remanserit, quod immittat in calicem antequam corporale abstergatur (V. J.). Inspicit corporale, colligit fragmenta cum patena, si quae sint in eo (R.), elevans paululum corporale sinistra (AA.), moxque sumens patenam in sinistra manu, non ea parte ex qua collegit particulas (AA.), patenam diligenter	

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
	cum pollice et indice dextrae manus super calicem extergit (R.), illam neque invertens, neque percutiens contra calicem (aP.), et ipsos digitos ne quid fragmentorum in eis remaneat (R.). Post extersionem patenae ponit sinistram cum patena (R.), supra corporale (AA.) et dextra manu calicem infra nodum cuppae (R.) aut ipsum nodum tenens (G. T.) dicit (R.).	
Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero. Sanguis Domini nostri Jesu † Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.	Et signans se signo crucis cum calice (R.), sed non supra oculos (AA.), inclinat caput et dicit (S. C.): Et manu sinistra supponens patenam calici, stans reverenter sumit totum Sanguinem cum particula in calice posita (R.), calice ori admoto ter (J. By. Hg. V. aP.), aut iterum (B.) aut semel tantum (Bi.) labia non lambens (G.).	Se erigit, et non genuflectens (S. C.) defert campanulam ad credentiam (V. aP. B.) et sumit ampullas sine (B. aP.) vel cum pelvicula (V. Bi.), et non genuflectens nequidem in majori Altari aut in Altari ss. Sacramenti (S. C.), stat erectus super suppedaneo (AA.).

§ X. A purificatione calicis usque ad finem Missae.[1]

Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus, et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.	Quibus sumptis dicet secreto et simul (R.) vel statim postea (Bi. T. M.), sinistra manu super corporale posita (AA.), super Altare porrigit calicem ministro in cornu Epistolae (R.) aliquantulum altius mappa. Vinum infusum agitat gyrando (AA.), et eo se purificat (R.), admoto calice labiis semel (Bi. T.), vel iterum (G. M. By. L. aP.), et eadem calicis parte per quam jam sumpsit Sanguinem (S. Pius V.).	Tenens dextra manu ampullam vini per ansam, infundit vinum, osculis et reverentiis prius et postea factis, (Bi. V. By. aP.) in calicem (R.), in aequali quantitate quam consecraverat Sacerdos (S. Pius V.). Dein recedit ad cornu Epistolae.

[1] En praxis romana quoad purificationem et ablutionem. Sacerdos dicit Orationem *Quod ore sumpsimus* simul ac porrigit calicem ad purificandum, et Orationem *Corpus tuum* dum lavat digitos in cornu Epistolae. Revertitur ad medium Altaris, digitos abstergens purificatorio, quod non amplius reponet super Altari.

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
	Deinde deponit sinistra manu patenam super corporale in cornu Evangelii (AA.), et dextra calicem super oram anteriorem corporalis (R.), et diligenter praecavens, ne lambat abstergatve digitos, sumit calicem infra cuppam sex ultimis manuum digitis simul, ac super eumdem calicem apponit digitos indices pollicibus unitos utriusque manus (AA.), et accedens ad cornu Epistolae (S. C.), vino et aqua abluit pollices et indices super calicem (R.), quem tenet supra (AA.) aut extra Altare (Li.).	Successive et non praepropere infundit vinum et aquam in medium calicis, super digitos Celebrantis, cum quasi osculis ac reverentiis (B. Bi. aP. V. L. By.).
Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, et Sanguis, quem potavi, adhaereat visceribus meis, et praesta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt Sacramenta. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.	Revertitur fere ad medium Altaris, tenens adhuc calicem eodem modo, et illum collocat prope sed extra corporale. Concussis super cuppam calicis digitis lotis, sumit purificatorium (AA.), quo extergit digitos, [1] interim dicens (R.):	Tum refert ad credentiam ampullas, quas cooperit operculis (B. V. aP. By. L.), genuflectit in medio et defert librum Missalis ad cornu Epistolae (R.).
	Reposito purificatorio prope calicem, extra corporale, revertitur ad medium Altaris (M. aP.) manibus junctis, deinde sumpto sinistra manu purificatorio, ac dextra calice per nodum, supponit mento purificatorium (AA.) et ablutionem sumit (R.) uno haustu (M. Bs. G. aP. By.).	Deinde (B. Bi. V. aP.) extinguit cereum elevationis (R.) et genuflectens in medio, vadit ad cornu Evangelii, ubi genuflexus manet usque post benedictionem (B. Bi. V. aP. Cors. L. By.).
	Deposito calice super corporale (AA.), extergit os et calicem purificatorio (R.), et purificatorium intra calicem circumducit pollice et indice circa cuppam, et ultimis tribus digitis in fundo calicis (aP.). Quo facto, purificatorium extendit super corporale (R.), et desuper patenam, ac super patena parvam pallam (R.) illam sinistra manu, hanc autem dextra (aP.	

[1] Si forte guttula ablutionis decidisset in pedem calicis, non esset abstergenda purificatorio, sed alio linteo (L. aP.).

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
	Bi.), et collocat calicem in cornu Epistolae (By. J. Ton. G.) aut in cornu Evangelii (L aP.), et plicato corporali (R) prius in parte anteriori, mox in posteriori, tum etiam prius a dextro latere, deinde a sinistro (L. V.), quod reponit in bursam (R.), quam sumit dextra (L. adversus aP.), ac sinistra apertam tenet (M.), cooperit calicem velo (R.), ita ut pars ejus anterior saltem tegatur (S. C.), et bursam desuper ponit (R.) apertura bursae ad se, celebrantem, conversa, et collocat in medio Altaris, ut in principio Missae (R.).	
	Celebrans, junctis manibus, accedit ad librum Missalis ad cornu Epistolae (AA.), ubi stans legit alta voce Antiphonam, quae dicitur Communio (R.).	
Beata viscera Mariae Virginis, quae portaverunt aeterni Patris Filium.	Caput inclinat libro.	
	Qua lecta, junctis item manibus ante pectus, vadit ad medium Altaris, et eo osculato, vertit se ad populum a manu sinistra ad dextram, et dicit ut prius	
Dominus vobiscum.	et per eamdem viam redit ad librum (R.).	
Et cum spiritu tuo. Oremus.	Dicit Orationes post Communionem, eodem modo, numero et ordine, ut supra dictae sunt Collectae.	Respondet.
Sumptis, Domine, salutis nostrae subsidiis, da quaesumus Beatae Mariae semper Virginis patrociniis nos ubique protegi, in cujus veneratione haec tuae obtulimus majestati.	Caput inclinat libro.	
Per Dominum nostrum Jesum Christum,	Jungit manus,	
Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti, Deus, per om-	se inclinat cruci et prosequitur ut ad Collectam (R.).	

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
nia saecula saeculorum. Amen.	Quibus finitis,[1] claudit librum (R.) apertura ejus ad Altare conversa (L. G. aP. By. M.), non transverse (adversus aP.), et jungens manus ante pectus, revertitur ad medium Altaris, ubi eo osculato vertit se ad populum, et dicit ut supra (R.).	Si non legatur Evangelium S. Joannis, defert librum ad cornu Evangelii (B. Bi. V.), transiens per gradum suppedaneo proximiorem (aP.), ita ut sit in medio tempore benedictionis, ad quam non se signat (V.), vel reversus fuerit ad locum suum pro benedictione (aP.).
Dominus vobiscum, *Et cum spiritu tuo.*	Quo dicto, stans junctis manibus ante pectus versus ad populum (R.), dicit, si dicendum est,	
Ite Missa est,		
Deo gratias.	et per eamdem viam revertitur ad Altare Si vero non sit dicendum *Ite Missa est,* dicto *Dominus vobiscum,* revertitur eodem modo per eamdem viam ad medium Altaris, ubi stans versus ad illud, junctis ante pectus manibus dicit *Benedicamus Domino* vel *Requiescant in pace* (R.).	Respondet.
	Tum Celebrans ante medium Altaris stans junctis manibus super eo, et capite inclinato dicit secreto (R.).:	
Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meae, et praesta, ut sacrificium, quod oculis tuae majestatis, indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique et omnibus, pro quibus obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum, Dominum nostrum. Amen.		
	Quo dicto, extensis manibus hinc inde super Altare positis, ipsum in medio osculatur, tum erigens se, adhuc stans versus illud, elevat ad coelum oculos, et (R.) usque ad humeros manus (AA.), quas extendit, et jungit, caputque cruci inclinans,	
Benedicat vos omnipotens Deus,		

[1] Casu, quo legendum esset Evangelium de libro Missale apertum relinqueret (AA.).

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
	dicit intelligibili voce (R.), et junctis manibus, ac demissis ad terram oculis, vertens se ad populum a sinistro latere ad dextrum, extensa manu dextra, junctis digitis (R.), ac in altum directis (AA.), et manu sinistra infra pectus posita, semel benedicit populo, dicens (R.):	
Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.	Rectam tenens dexteram crucis signum super populum efficit eodem modo, quo seipsum signat (AA.).	Se signat.
Amen. Dominus vobiscum, *Et cum spiritu tuo.*	Et manibus junctis (AA.), circulum perficiens accedit ad cornu Evangelii, ubi dicto *Dominus vobiscum,* pollice dextro signans primum signo crucis Altare seu librum in principio Evangelii (R.) sinistra manu super Altari aut super libro posita (AA.), deinde frontem, os et pectus, dicit (R.), sinistra super pectus posita (AA.).	Respondet.
Initium sancti Evangelii secundum Joannem. *Gloria tibi, Domine.*	Jungit manus (R.) et junctis manibus legit Evangelium alta voce (R.).	Se erigit. Signat signo crucis frontem, os et pectus.
In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine: ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat		

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum caro factum est,	Genuflectit versus cornu Evangelii (R.), manibus Altari admotis (AA.).	Genuflectit.
et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigenti a Patre, plenum gratiae et veritatis. *Deo gratias.*	Et surgens, prosequitur ut prius (R.). Quibus omnibus absolutis, redit Sacerdos ad medium Altaris, ubi accipit sinistra calicem (R.), per nodum (AA.), dextram ponens super bursam, ne aliquid decidat, descendit ante infimum gradum Altaris, et ibi in medio vertens se ad illud caput inclinat (R.), non corpus (adversus L. aP. H.), vel genuflectit in plano, si habeatur in Altari tabernaculum cum ss. Sacramento (S. C.), aperto capite, tum se erigit et sumpto birreto se cooperit, et eodem modo quo venerat, redit ad sacristiam,[1] interim dicens Antiphonam, *Trium puerorum* et Canticum *Benedicite* (R.), non vero alias preces [2] (Rev. theol.).	Si per tempus licet, extinguit candelas (B.), incipiens a cornu Evangelii (B. V. L.). Sumptis birreto, et libro Missalis, per gradus laterales Epistolae, redit prope medium Altaris, ad dextram Celebrantis, genuflectit, et genuflexione a Celebrante facta, prius et postea illi se inclinans, ac porrigens birretum quasi cum osculo (aP. By. B. V.), primo discedit deferens librum Missalis (V.).
	In sacristia capite cooperto cruci se inclinans, deponit ca-	In sacristia parum recedit, dato spa-

[1] Si vero sit dimissurus paramenta apud Altare, ubi celebravit, ibidem illis se exuit, et dicit Antiphonam *Trium puerorum*, cum Cantico et aliis Orationibus, ut suo loco ponuntur (R.).

[2] Num liceat Celebranti a Missa redeunti, alias preces, v. g. *Te Deum*, loco Cantici *Benedicite* recitare? Affirmant non pauci, quia scopus a Missali intentus sic attingitur: imo non ita pridem resolutio in hoc sensu a Sacr. Congr. de Propaganda Fide prodiit. Ast negantem opinionem tam validis argumentis stabiliverunt scriptores menaei *Rev. theol.*, ut ab illa recedere vix licitum putabis.

PRECES.	SACERDOS.	MINISTER.
	licem, exuitque sacra paramenta ordine inverso, quo illa induerat, osculata cruce stolae, ac manipuli et amictus (AA.). Postremo lotis manibus (H. Ton. G. By), si fert usus loci (S. C.) genuflexus in loco congruenti, gratias Deo agit pro beneficiis in Missa acceptis (AA.).	tio libero Celebranti transituro, cui se inclinat, deinde cruci, (B. T. aP.), deponit librum Missalis, et ministrat Celebranti, osculans cruces (B. V.). Redit ad Altare et extinguit candelas incipiendo a latere Epistolae et inde refert omnia, quae attulerat (V.).

Caput tertium.

Missae speciales, et functiones Missae privatae annexae.

§. I. De Missa pro defunctis.

1. Exceptis quae mutari hic adnotantur, haec Missa nullatenus differt ab aliis Missis privatis (R.). Quamvis solemnitates omnes a Missa de Requiem exulent; preces tamen pro praeparatione Sacerdotis celebraturi recitandae sunt, et Psalmi[1] recitandi sunt cum *Gloria Patri* in fine, imo cum *Alleluia* tempore paschali in fine Antiphonae. Nec oscula amictus, manipuli et stolae omittuntur, dum Sacerdos se sacris vestibus induit (AA.).

2. Ante Confessionem non dicitur Psalmus *Judica me*, sed pronuntiata a Sacerdote Antiphona *Introibo ad Altare Dei*, et responso a ministro *Ad Deum, qui laetificat juventutem meam*, dicitur *Adjutorium nostrum in nomine Domini* etc., et Sacerdos facit signum crucis et prosequitur reliqua (R.).

3. Celebrans, dum incipit Introitum, se non signat, sed

[1] Haud licitum esse in praeparatione hujus Missae Psalmos omittere nervose contendit Laboranti, contra G. M. aP. B. aliosque plures.

sinistra super Altare posita (S. C.), dextra extensa facit signum crucis super librum, quasi aliquem benedicens (R.).

4. Non dicitur *Gloria Patri,* sed post Psalmum repetitur *Requiem aeternam* (R.).

5. Nec dicitur *Gloria in excelsis,* nec *Alleluia,* nec Oratio pro vivis, quamvis esset generalis pro vivis et defunctis, neque ulla Oratio de Sanctis (R.).

6. Dicto *Munda cor meum,* non dicitur *Jube Domine benedicere,* neque *Dominus sit,* etc. (R.).

7. Non dicitur *Per Evangelica dicta* (S. C.), nec Sacerdos osculatur librum in fine Evangelii (R.).

8. Non benedicitur aqua in calicem fundenda: dicitur tamen Oratio *Deus, qui humanae substantiae,* etc. (R.).

9. Cum lavantur manus, in fine Psalmi *Lavabo inter innocentes*, non dicitur *Gloria Patri*, etc. (R.), nec *Requiem aeternam* (AA.).

10. Ad *Agnus Dei,* non dicitur, *miserere nobis*, sed ejus loco dicitur, *dona eis requiem*, nec tertio, *dona nobis pacem,* cujus loco dicitur, *dona eis requiem sempiternam*, neque percutitur pectus (R.), sed manus tenentur junctae ante pectus, non autem super Altare positae (AA.).

11. Non dicitur prima Oratio ante Communionem, scilicet, *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis,* etc., nec datur pax (R.).

12. In fine non dicitur, *Ite Missa est,* nec *Benedicamus Domino,* sed *Requiescant in pace* (R.), manibus junctis, semper in numero plurali, et facie versa ad Altare (S. C.).

13. Non datur benedictio, sed dicto *Placeat,* etc., et osculato Altari, Celebrans se erigit, jungit manus, et accedit ad legendum Evangelium, *In principio erat Verbum*, etc. Alia omnia ut in aliis Missis (R.).

14. Haud unquam aliud Evangelium quam Evangelium sancti Joannis *In principio,* etc., dicitur (R.).

15. In hac Missa minister cum aliquid porrigit Sacerdoti, non osculatur ejus manum, neque rem, quam porrigit (R.).

§. II. De Missa privata coram ss. Sacramento exposito. [1]

1. Sacerdos accedens ad Altare, in quo ss. Sacramentum est expositum, tegit caput birreto ut alias, sed veniens in conspectum ss. Sacramenti, aliquantulum consistit, caput detegit, et birretum ministro porrigit (AA.).

2. Perveniens ad Altare, flectit utroque genu in plano infra infimum gradum, ss. Sacramentum adorans (S. C.), ac devote caput inclinans (AA.).

3. Cum ascenderit ad Altare, collocato calice ad cornu Evangelii, flectit uno genu (M. aP. Bi. B.), aut non flectit (Li.).

4. Facta iterum simili flexione postquam disposuerit corporale et calicem, accedit ad praeparandum librum Missalis.

5. Redux ad medium Altaris, antequam descendat, iterum flectit uno genu.

Descendens ab Altari, se aliquantulum retrahit a medio Altaris versus cornu Evangelii, et se vertit ac descendit humeris versis ad cornu Evangelii, et facie versa ad cornu Epistolae, ne unquam terga vertat ss. Sacramento (AA.).

6. Cum descenderit infra infimum gradum Altaris, antequam incipiat Missam, flectit uno genu [2] (Li. B.).

7. Perveniens ad Altare antequam et postquam dixerit *Oramus te, Domine,* flectit uno genu.

8. Iterum flectit uno genu antequam dicat *Kyrie eleison* (AA.).

9. Quandocumque se vertit ad populum ad dicendum

---

[1] Si in Altari remaneant particulae (ait rubrica Missalis), in calice, seu in alio vase usque ad finem Missae, serventur ea, quae in feria quinta Coenae Domini praescribuntur circa finem Missae. Idem igitur dicendum est, dum ss. Sacramentum expositum est. Porro rubricae praedictae in Coena Domini praescribunt, quod Celebrans „genuflectit quandocumque accedit," vel „recedit e medio Altaris," vel „transit ante Sacramentum." Ista ex regula rubricistae pleraque observanda in Missis coram exposito ss. Sacramento celebratis hauserunt. Nonnullae vero regulae in diversi ordinis motivis fundantur, verbi gratia, inclinationem et oculorum elevationem non ad crucem, sed ad ss. Sacramentum esse faciendam. Quod tamen non est certum. Quidquid sit, opinionem istorum rubricistarum non improbavit sacrorum rituum Congregatio, licet quidam modernus hoc contendat.

[2] In plano, ait Martinucci; in infimo gradu, dicit Gard.; hisce in regionibus posteriorem sententiam sequimur.

Dominus vobiscum, Sacerdos, osculato Altari, genuflectit,[1] et ne terga vertat ss. Sacramento, se aliquantulum retrahit a medio Altaris versus cornu Evangelii, facie versa ad cornu Epistolae ac semi conversus ad populum (R.). Dictoque *Dominus vobiscum*, iterum genuflectit, redit ad librum, aut consistit in medio Altaris.

10. Genuflectit ante et postquam dixerit *Munda cor meum* et *Jube, Domine,* etc.

11. Genuflectit antequam dixerit *Credo,* si dicendum sit.

12. Genuflectit post oblatam hostiam, antequam accedat ad cornu Epistolae ad infundendum in calicem vinum et aquam, et iterum reversus ad medium Altaris ante oblationem calicis.

13. Genuflectit ante et post lotionem manuum (AA.), pro qua Sacerdos descendit e gradibus Altaris in planum, ubi faciem ad populum convertit,[2] cavens ne terga vertat ss. Sacramento (R.).

14. Genuflectit antequam vertat se ad dicendum *Orate fratres.* Non perficit circulum, sed revertitur per eamdem viam. Postea iterum genuflectit (R.).

15. Post purificationem calicis factam, genuflectit, sumptoque calice, e medio Altaris recedit ad cornu Epistolae ad abluendos de more digitos: reversus ad medium Altaris, calice in cornu Epistolae relicto, genuflectit,[3] sumit calicem et ablutionem.

16. Disposito calice, antequam accedat ad cornu Epistolae lecturus Postcommunionem, genuflectit.

17. Redux ad medium Altaris genuflectit ante et postquam dixerit *Dominus vobiscum.*

---

[1] Semper igitur osculatur Altare antequam genuflectat, licet accesserit de libro (B. M. L. J. Gard. Gav. adversus Cav. aP. CC.).

[2] Debetne abstergere digitos etiam in plano, an vero in cornu Epistolae? Li inclinat, ut haec abstersio fiat in cornu Epistolae, ac ibi Sacerdos dicat *Gloria Patri,* etc., sed abstersio digitorum in plano facta non impedit,. quin *Gloria* recitetur vel in cornu Epistolae, vel redeundo ad Altare.

[3] J. B. censent ad ablutionem a medio non recedendum esse. Haec opinio videtur Romae practicari.

18. Orationibus absolutis, redit ad medium Altaris et genuflectit.

19. Dictis *Dominus vobiscum* et *Ite, Missa est,* genuflectit.

20. Si dicendum sit *Benedicamus Domino*, illud dicit post genuflexionem factam, facie ad Altare conversa.

21. Ad dandam benedictionem, osculato Altari, dicit *Benedicat vos omnipotens Deus,* genuflectit (AA.) et, conversus ad populum ut ad *Dominus vobiscum,* benedicit, dicens; *Pater et Filius et Spiritus sanctus,* et non revertitur ad medium Altaris.

22. Nulla ergo genuflexione facta vertit se lecturus Evangelium (AA.); non signat Altare (R.), sed librum aut tabellam,[3] si adsit (AA.) et se ipsum (R.).

23. Dum dicitur *Verbum caro factum est,* genuflectit aliquantulum conversus ad ss. Sacramentum.

24. Finito Evangelio, antequam sumat calicem discessurus, genuflectit, et descendens cavere debet ne terga vertat ss. Sacramento (AA.).

25. Cum descenderit infra infimum gradum, flectit in plano utroque genu, et tantum cum est extra conspectum ss. Sacramenti, aliquantulum consistens, caput tegit birreto.

26. In hac Missa minister omittat osculari ampullas (S. C.). Ad *Lavabo*, stet ante infimum gradum in cornu Epistolae, dorso ad populum converso, ac manutergio super brachium posito (AA.).

§. III. De Misaa privata, quae celebratur coram Episcopo, aut Praelato in territorio suae jurisdictionis.

1. Quae sunt servanda in Missa privata coram Episcopo in sua dioecesi celebrata, similiter serventur coram Cardinali, in quocumque loco; coram Archiepiscopo in sua provincia; Nuntio et Legato sedis Apostolicae in locis suae legationis (Caer.), modo non peregrinentur *incognito* (B. H. By. G. Cors. aP.).

[3] Censet Martinucci Altare signandum ut alias; quia ss. Sacramentum non est stricte super Altare, qui casus unus a Missali signatur.

2. Sacerdos, collocato calice atque Missali aperto, stat, expectans adventum Praelati, indutus paramentis sacerdotalibus, ante infimum gradum Altaris, in cornu Evangelii (P. aP. Li. Cors.) vel Epistolae (M.), et manibus junctis, facie ad aliam partem conversa (AA.).

3. Praelato advenienti, profunde inclinatus debitam reverentiam facit (AA.), et dato signo incipiendi Missam, iterum profunde eidem se inclinat (R.), deinde conversus ad Altare, cui profunde se inclinat aut genuflectit (AA.), incipit Missam in cornu Evangelii (R.), semi se vertens.

4. Si Praelatus prius advenisset, Sacerdos, tenens vel non tenens manu calicem, profunde inclinatus ipsi debitam reverentiam facit, deinde inclinans se, vel genuflectens Altari super quod omnia disponit more solito, descendit ad cornu Evangelii, ac facit reverentias in principio Missae praescriptas antequam incipiat Missam (M. B. By. L. D. aP.).

5. *Ad Confiteor Deo,* etc., ubi dicit, *vobis fratres,...* dicat conversus et inclinatus ad Praelatum, *tibi Pater:* similiter in fine, ubi dicit, *vos fratres,* dicat, *te Pater:* quod dicens summo Pontifici, genuflectit (R.). Si adsint plures Praelati, dicat, *vobis Patres, vos Patres* (AA.). Minister autem aliquantulum conversus ad celebrantem, respondet ut in aliis missis (R.).

6. Dicto *Oremus* post *Confiteor,* ante *Aufer a nobis,* Sacerdos se convertit ad Praelatum, ei se profunde inclinat, et deinde reversus ad medium Altaris ante infimum gradum, secreto incipiens *Aufer a nobis,* accedit ad Altare, et Missam prosequitur, ut alias (R.).

7. Finito Evangelio, liber defertur ad Praelatum osculandus (R.), a ministro (AA.), qui,[1] postquam illum porrexit, ei genuflectit (By. L. Hg.). Sacerdos non osculatur librum, nec dicit, *Per Evangelica dicta* (R.). Si plures dignitate pari adsint Praelati, nulli deferatur liber osculandus (aP. B. By. Caer. Episc.), alias tantum digniori (Caer. Episc.).

---

[1] Decet, ut minister eligatur unus ex capellanis Praelati, qui sit superpelliceo indutus (Caer.).

8. Ad Offertorium Praelatus non benedicit aquam (Caer. Episc.).

9. Oratione *Domine Jesu Christe*, etc., post *Agnus Dei* finita, Sacerdos, si daturus sit pacem, osculatur Altare in medio, dein instrumentum pacis, quod ipsi objicietur a ministro juxta ipsum a dextris, hoc est, in cornu Epistolae genuflexo, et dicit: *Pax tecum.* Statim subjungit alias Orationes, ut in Ordine Missae. Minister responso: *Et cum spiritu tuo* (R.), ac genuflexione facta, pacem defert Praelato Praelatisve, dicens unicuique *Pax tecum,* et post pacem datam cuique genuflectens (Caer. Episc.).

10. Dicto *Benedicat vos omnipotens Deus,* cruci inclinatione facta, convertens se ad Praelatum, eum profunde salutabit, quasi licentiam benedicendi petens, deinde prosequitur *Pater et Filius et Spiritus sanctus,* benedicens adstantes a parte, ubi non adest Praelatus (R.). Si Praelatus sit in medio, Sacerdos benedicat ex parte Evangelii (L. H. Li. B.).

11. Finito ultimo Evangelio, Sacerdos in cornu Evangelii persistens (AA.), convertit se ad Praelatum, ei faciens reverentiam convenientem (R.), ibique stat, exspectans donec discedat, quodsi praesul non obibit, Celebrans facta cruci Altaris reverentia, calicem accipit, descendit, et more solito discedit, Praelato transiens caput inclinando (AA.).

12. Si Sacerdos celebret coram summo Pontifice, non se inclinat, sed genuflectit ante et post Missam, et ad Benedictionem (R.).

13. Episcopo extra suam dioecesim nulla reverentia debetur, ita ut Sacerdos coram eo se gerere debeat, ac si ille non adesset, benedicendo populum more solito (R.); decet tamen, ut si Missa celebretur in praesentia Praelati cui alias reverentia debetur, instrumentum pacis ad ipsum deferatur osculandum, transiensque ante illum, in accessu et recessu ab Altari, eidem capite cooperto Celebrans faciat reverentiam (AA.).

14. Nec quidquam rubricae Missalis praescribunt quantum ad Magnates et Principes, ait Pater Laboranti. Attamen ut Sacerdos illis eamdem quam Praelatis extraneis reverentiam exhibere possit, illisque capite cooperto reverentiam faciat in

transitu ante illos, plus minusve, prout eorum dignitas postulat, auctor ille indulget. Benedictionem dat et osculatur textum Evangelii prout in Missis ordinariis. Casu quo textus Evangelii deferatur osculandus Principi, ipsi deferendum est aliud Missale, non vero Missale, quo utitur Celebrans.

§. IV. De officio duorum capellanorum in Missa privata ab Episcopo celebrata. [1]

1. Si Praelatus paratus Missam privatam de more celebrare cupiat, ipsi ministrent, si fieri possit, duo capellani aut elcemosynarii, induti superpelliceis (Caer.) non stolam deferentes (S. C.).

2. Altare paratur antequam Praelatus accedat; in medio Altari disponuntur annulus, casula, stola, crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, quae indumenta pontificalia sint coloris officii dici, rite praeparata ac cooperta linteo colori istorum paramentorum congruenti (R.).

3. Si forte ss. Sacramentum sit expositum in Altari, in quo Praelatus celebraturus est, paretur mensa credentiave ad cornu Evangelii, in qua deponantur sacra paramenta, quibus Praelatus se induat, aliquantulum a latere, et non in medio Altaris (AA.).

Si tamen illis se induat, quod longe praestat, in sacristia, addatur manipulus, quem junior capellanus deferet ad Altare (AA.).

4. Manipulus semper deponatur super Altare ad cornu Evangelii, ac bugia cum candela accensa ad idem cornu, vel super credentia, et liber Missalis cum cussino ad cornu Epistolae.

In Missis defunctorum, manipulus paretur cum aliis indumentis pontificalibus, quem praelatus accipit ante crucem et pectoralem.

5. Paretur etiam ad cornu Epistolae, super parva mensa aut super credentia, cooperta mappa alba, calix cum purifica-

[1] Haec excerpta sunt ex Du-Molin opere, cui titulus: *Pratique des cérémonies.* Haud plurimum differunt ab iis, quae de iis tradit reverendissimus Borgia, alias Baldeschi, de quo infra, ubi agetur de auctoritate rubricistarum.

torio, patena cum hostia, palla et bursa corporalis. Insuper ampullae vini et aquae cum pelvicula, item vas aquae plenum, manutergium ad abstergendas manus.

6. Cum Praelatus, indutus mozetta et rochetto, pervenerit ad locum, ubi celebraturus est Missam, salutat profunda reverentia Altare, aut flectit uno genu in terra, si ss. Sacramentum sit in tabernaculo. Dein genuflexus super genuflexorio ante infimum gradum Altaris vacat orationi, capellanis hinc inde in plano genuflexis. Oratione peracta, se erigit et caput tegit (nisi ss. Sacramentum sit expositum). Capellani illi crucem et mozettam detrahunt. Genuflexorio ab uno ex ministris amoto, Praelatus lavat manus, genuflexis ministrantibus scutifero aut alio familiari pelviculam cum urceo, et priore capellano linteolum ex urceo sumptum quod super urceo reponit, postquam Praelatus absterserit manus.

7. Praelato manus lavante, omnes ministri nec non caeteri assistentes flectunt utroque genu.

8. Qui porrigit aquam Praelato, sumat pelviculam de manibus familiaris, qui postea illam resumit et abstergit linteo jam adhibito, ac reponit super credentiam cum alio linteolo super urceo, in medio pelviculae, ut antea.

9. Praelatus, lotis manibus, stat capite cooperto; antiquior ex capellanis, ascendit ad Altare, genuflectit (quod faciat quotiescunque accedat et discedet ab Altari), discooperta indumenta pontificalia, sumit et defert utraque manu unum post alterum, ad Praelatum cui semigenuflectit, antequam et postquam indumentum porrigat; secundo capellano stante post Praelatum ipsique ministrante. Episcopus ipse sibi detegit caput, birretumque tradit capellano aut cuidam familiari, dum ipsi amictus offertur, et preces unicuique indumento congruentes recitat.

10. Praelato vestito omnibus indumentis pontificalibus, antiquior ei porrigit annulum, quem osculatur, deinde manum,[1] et sistit ad dextram ejus; junior vero ad ejus sinistram, qui sumptum ex Altari manipulum, postquam Praelatus acceperit omnia paramenta, prae manibus tenet.

[1] Juxta Caeremoniale et omnes auctores osculum ipsi manui datur. In nostris vero regionibus usus habet osculandi non manum, sed gemmam annuli.

11. Praelatus facta Altari profunda inclinatione, genuflexioneve, si ss. Sacramentum sit in tabernaculo, interim capellanis sustinentibus ipsum, quisque a latere suo, genuflectentem (quod praestabunt quotiescunque genuflectet), ac postea flectentibus utroque genu; incipit Missam illis more solito respondentibus.

12. Paulo antequam Praelatus dicat *Indulgentiam,* capellanus habens manipulum surgit et postquam osculatus fuerit manipulum e latere, genuflectit Praelato ac ei offert osculandam manipuli crucem, et dum dicit *Indulgentiam,* etc., ejus brachio imponit, alligatque, ut non elabatur, ac iterum flectit suo loco utroque genu.

13. Confessione absoluta, duo capellani se erigunt, et cum Praelato simul ad Altare ascendunt, elevantque albam et paramenta ab anteriori parte, ille qui est a dextris sinistra manu, alter autem dextra; et Praelato osculante Altare, capellani in suo quisque loco genuflectunt.

14. Dum Praelatus accedit ad cornu Epistolae ad legendum Introitum, antiquior ex capellanis recedit ad cornu Epistolae extra gradus Altaris, quae sunt legenda ostendit Celebranti, et vertit folia, quando opus est, juniore capellano interim a sinistris Praelati aliquantulum a retro stante, eique ministrante, si uti voluerit, bugiam.

15. Epistola finita, dum Praelatus accedit ad medium Altaris ad dicendum *Munda cor meum,* antiquior ex capellanis sumit librum et cussinum, junior autem collocat candelabrum super Altare, ad cornu Evangelii haud procul a medio. Tum ambo vadunt post Celebrantem ibique simul genuflectunt, antiquior tradit librum et cussinum seu pulpitum juniori, et exsurgentes, junior transit ad cornu Evangelii, ibique collocat librum apertum super cussinum, antiquior vero ad dextram Praelati, cui ministrat bugiam, si opus sit.

16. Junior capellanus, lecto Evangelio, a Celebrante accipit ambabus manibus Missale, eique porrigit textum Evangelii osculandum, dein collocat Missale cum cussino prope corporale, ipique stat vertendo folia, ac ostendit Praelato, quae lecturus sit. [1]

[1] Juxta Baldeschi primus capellanus stat ad librum, secundus autem peragit alias functiones.

17. Antiquior Capellanus, Evangelio dicto, si non sit dicendum *Credo*, vel si sit dicendum post haec verba, *Et homo factus est*, Altari genuflexione facta, vadit ad credentiam, ibique sumit calicem velo coopertum cum bursa, quem defert ad Altare, genuflectit et illum sistit ad cornu Epistolae, extrahit ex bursa corporale, illudque extendit in medio Altaris, bursa ad cornu Evangelii posita.

18. Amotis velo et palla, sumit patenam cum hostia illamque offert Praelato; tum osculatur patenam in extremitate et dat Celebranti.

19. Idem capellanus calicem purificatorio extergit, et ab uno familiari accepta ampulla vini, ex ea infundit in calicem; deinde accipit ampullam aquae eamque porrigit Praelato, dicens, parum inclinatus versus eum: *Benedicite, pater reverendissime;* facto a Praelato signo crucis super ampullam, effundit parum aquae in calicem, reddit ampullam illi, a quo acceperat et offert calicem Praelato; tum osculatur pedem calicis et manum dextram Celebrantis.

20. Praelatus lavat manus ad cornu Epistolae, scutifero aut aliquo familiari porrigente pelviculam et aqualem, antiquiore autem capellano ministrante manutergium; ac prius subtrahente, si opus fuerit, annulum, quem postea illi reddit cum reverentiis solitis, tum capellanus se sistit ad latus ejus, nonnihil a retro.

21. Sub fine Praefationis duo ex familiaribus accendunt funalia in sacristia aut in alio loco, et accedunt ad Altare, cui simul ac eodem tempore reverentiam faciunt; tunc genuflectunt in plano hinc et inde in utroque latere, ante angulum graduum Altaris, ibique permanent usque post elevationem calicis. Tum surgunt, factaque ut in accessu Altari reverentia, redeunt ad sacristiam, et faces extinguunt.

22. Cum Praelatus sumit hostiam ad eam consecrandam; capellani genuflectunt a lateribus ejus in suppedaneo Altaris, ille qui a dextris est, aufert et reponit pallam super calicem, dum opus est, junior autem vertit folia; post elevationem calicis se erigunt.

23. Capellani etiam genuflectunt ad Communionem; qui

ad cornu Epistolae assistit, tollit pallam de calice, porrigitque Praelato vinum et aquam pro ablutione ac purificatione, deinde recedit ad angulum graduum ad cornu Epistolae, et ibi sumptum manutergium porrigit Praelato ad manus abstergendas.

24. Dum Praelatus sumit ablutionem digitorum, junior capellanus accipit Missale cum cussino illudque defert ad cornu Epistolae, in medio Altaris genuflectens. Translato Missali, pergit ad credentiam, ubi resumit velum calicis, deinde redit ad cornu Evangelii genuflectens in transitu, ac dum Celebrans lavat manus, extergit calicem purificatorio, quod superimponit cum patena et palla, plicat corporale et in bursam immittit, ac ad credentiam defert, Altari debitam reverentiam faciens in transitu et dum redit ad cornu Evangelii, sistit se ad sinistram Praelati, ut ad Introitum.

25. In fine Missae Episcopus dat Benedictionem more episcopali (nisi celebraverit Missam pro defunctis), dicens: *Sit nomen Domini*, etc., *Adjutorium nostrum*, etc., deinde benedicens a sui sinistris, in medio et a dextris, capellanis genuflectentibus; sed non utitur mitra, nec baculo, nec cruce, etsi Archiepiscopus sit.

26. Praelatus legit Evangelium in fine Missae, capellano, qui in cornu Evangelii assistit, tenente librum tabellamve, antiquiore autem capellano bugiam.

27. Si aliud Evangelium, quam sancti Joannis esset legendum, antiquior capellanus sumpto libro cum cussino, et junior deposito super Altare candelabro, accederent ad medium Altaris, super primum gradum, ubi genuflexi acciperent benedictionem episcopalem. Junior autem acceptum librum de manu antiquioris deferet ad cornu Evangelii, ita lente incedens, ut eodem quo Praelatus tempore perveniat, antiquior autem ad cornu Epistolae recederet.

28. Evangelio lecto, Praelatus accedit ad medium Altaris, crucique mediocrem reverentiam facit, capellanis a lateribus ejus genuflectentibus. Cum descenderint ante gradus Altaris, ablata indumenta successive referunt ad locum, ex quo sumpserant. Praelato et Altari debitam reverentiam faciunt quotiescumque accedunt vel discedunt ab Altari. Deinde eidem

porrigunt mozzettam, crucem et birretum. Genuflexorio ab uno ex familiaribus ante primum gradum Altaris collocato, Praelatus super illud genuflectit, vacat orationi, capellanis librum et candelabrum, si opus sit, ministrantibus, et postea discedit.

29. Si Episcopus distribuat Communionem, junior capellanus genuflexus in suppedaneo Altaris dicit *Confiteor*, antiquior vero aperit tabernaculum. Dum Praelatus distribuit s. Communionem, capellani illum comitantur; antiquior, qui stat a sinistris, tenet sinistra manu patenam, dextra elevans albam et indumenta Episcopi, junior vero tenet dextra candelabrum, elevans pariter indumenta cum sinistra. Deinde antiquior reponit ss. Sacramentum in tabernaculum.

30. Si duo Canonici gerant vices capellanorum, non genuflectunt neque ad Confessionem, neque ad benedictionem, neque ad lotionem manuum Praelati. Tumque adesse deberent Clerici ad ferendum candelabrum et ad afferenda indumenta pontificalia.

§. V. De consecratione particularum, purificatione pyxidis, etc.

1. Si fuerint multae hostiae pro Communione populi consecrandae, non super patenam, sed super corporale, vel in alio calice, seu vase deponit, et calicem illum, seu vas cooperit patena aut palla (R.) aut suo operculo (AA.). Si sint pauciores hostiae consecrandae, possunt collocari super propriam vel (R.) aliam patenam, sed non super alterum corporale plicatum (S. C.).

2. Ad Offertorium, si adsit vas cum aliis hostiis consecrandis, antequam accipiat hostiam, discooperit manu dextra calicem, seu vas aliarum hostiarum (R.), quae non sunt elevandae in oblatione (AA.), sed Sacerdos tantum suam intentionem ad illas offerendas et consecrandas, actualiter vel virtualiter dirigere debet. Oblatione facta iterum cooperire debet calicem seu vas aliarum hostiarum (R.). Si hostiae essent super corporale, ibi relinquantur (AA.), et si sint super patenam cum majori hostia (aP. Li.), Sacerdos illas deponit super corporale parum a retro (B. Li. H.), aut subter majorem hostiam (J.).

3. Ad Consecrationem Sacerdos dirigit intentionem ad consecrandas omnes hostias, sed elevat tantum suam. Si adsit vas cum aliis hostiis consecrandis, antequam accipiat hostiam, discooperit manu dextra calicem, seu vas aliarum hostiarum, et reposita hostia super corporale, iterum vas aliarum hostiarum patena vel palla cooperit (R.). Optimum erit vas illud collocare prope calicem a dextris ante Consecrationem,[1] sed peracta Consecratione rursus collocabitur retro post calicem (Bi. G. A. aP. Li. L.), super corporale (R.) et lapidem consecratum (AA.).

Si vero adsint hostiae consecratae, super corporale positae pro alio tempore conservandae, Sacerdos (R.), discooperto calice ad *Quid retribuam* (AA.) et facta prius genuflexione, reponit eas in vas ad hoc ordinatum, sed diligenter advertit, ne aliquod fragmentum, quantumcumque minimum, remaneat super corporale: quod si fuerit, accurate reponit in calicem (R.), cum fragmentis majoris hostiae (J.). Quod si sacra pyxis in tabernaculo non sit includenda statim post consecrationem factam, nec statim Communio distribuenda sit fidelibus (AA.), non est necesse, ut ibi relinquatur usque ad finem Missae, (ut censent L. et aP.); sed reponatur in tabernaculo ante (L.) aut post purificationem (M. Bi.).

5. Si qui sint communicandi in Missa, Sacerdos post sumptionem s. Sanguinis, antequam se purificet (R.), deponit calicem super corporale ad cornu Evangelii, et eumdem palla cooperit (AA.), facta genuflexione ponit particulas consecratas in pyxide, vel si pauci sunt communicandi, super patenam, nisi a principio positae fuerint in pyxide, seu alio calice (R.). Si hostiae a principio Missae in pyxide aut alio calice positae fuerint, Celebrans postquam calicem Missae palla cooperuit, pyxidem aut calicem illum discooperit, genuflectit (aP. Li.), et stat conversus ad Altare manibus junctis (By. Bi. aP. Li.); cum interea minister omnium nomine facit Confessionem, alta voce dicens *Confiteor Deo,* etc. Facta Confessione, Sacerdos iterum genuflectit et ad communicandum accedit, uti dicetur in

[1] Baldeschi vult, ut hoc fiat ad Offertorium, ast alii aliter censent.

Rituali. Si hostiae remansissent super corporale, collecta cum patena fragmenta immitteret in calicem (R.).

6. Permulti modi purificandi pyxidem assignantur. Juxta patrem Lohner, colligenda sunt purificatorio omnia fragmenta, et postea purificatorium excutiendum est super calicem. Qui modus generaliter rejicitur. Juxta autem Gavantum, Corsetti, Laboranti et nonnullos, omnia fragmenta cum digito diligentissime collecta, de eodem, indice linguae admoto, sumi possunt, vel fragmenta ad labium pyxidis deducta, sumi possunt ore eidem admoto. Deinde infundi potest paululum vini, quo tota interior pyxidis pars abstergitur. Hic modus quantum ad sumptionem fragmentorum, tanquam indecens et reliquiarum perditionis periculo obnoxius, etiam rejicitur. Juxta Collet nihil aliud agendum est, quam infundere vinum ablutionis in pyxidem, illudque mox immittere in calicem. Qui modus etiam obnoxius periculo perdendorum multorum fragmentorum.

En duo modi in praxi sequendi. Juxta Merati, fragmenta immittantur in vinum prioris ablutionis, deinde in pyxidem vinum, quod transfundetur in calicem; talisque infusio et transfusio repetatur quotiescumque opus erit, et tandem pyxis purificatorio extergatur. Quarti, Coninch, Turrinus et caeteri anteponunt modum, quo reliquiae indice ex pyxide mittuntur in calicem ante sumptionem s. Sanguinis, et una cum s. Sanguine sumuntur; et deinde post sumptionem s. Sanguinis pyxis purificatur et abluitur, uti praescribunt Merati, Coninch, et supra dictum est.

Decens est, ut purificatorium in abstersione pyxidis adhibitum, antequam lavetur, iterum non adhibeatur.[1]

[1] Agemus sectione secunda partis secundae de Sacerdote eodem die duas Missas celebrante.

Sectio secunda.

Ritus diversarum functionum in minoribus ecclesiis.

Caput primum.

De Missa cantata.

§. I. Animadversiones generales.

1. Missa cantata aut media, in quantum distinguitur a solemni, nonnullos mutuat ritus a Missa privata, alios a Missa solemni; a posteriori, quia cantatur, a priori vero, quia celebratur sine ministris sacris, sed tantum adhibitis duobus quatuorve acolythis (AA.).

2. Cujusmodi Missae fit mentio in rubricis Missalis romani parte 2ª: *Ritus celeb. Missam,* tit. VI. n. 8; sed parcissimis verbis. Attamen permulti rubricistae, inter quos Castaldus, Bauldry, Vinitor, Merati et Benedictus XIII, in opere, cui titulus *Avvertenze pratiche ceremoniali,* etc., cap. 2, loquuntur et tractant de ritibus hujus Missae.

3. Regulariter non adhibeantur in hac Missa, aut candelabra, aut thuribulum; verumtamen sacrorum rituum Congregatio concedit Episcopis licentiam tolerandi consuetudinem contrariam, in ecclesiis, e quibus aegre eliminaretur. Quam ob causam de duabus Missis cantatis, specie diversis, hic rem facimus.

4. In exitu e sacristia incensum non benedicatur (AA.), nec ad Introitum incensetur (Cast. aP. Cor.).

Attamen nobis non videtur incongruum, si Celebrans ad Introitum incenset, ss. Sacramento solemniter exposito.

5. Tres clerici aut ministri induti superpelliceis videntur sufficere pro plerisque caeremoniis, de quibus in hac sectione agitur, rite praestandis. Consuetudo in nostris partibus fert, ut has functiones exerceant laici, quippe cum difficulter invenirentur clerici tonsura insigniti ad illas implendas. Quantum ad Epistolam, quae cantanda est a lectore acolythove, nobis videtur melius, si cantetur non secus ac prophetiae, si cantandae sunt, et lectiones Matutinorum, etc., a clerico-laico, cui concessit Episcopus specialiter licentiam exercendi functiones, quae propriae sunt clericorum.

6. Missale collocetur apertum super Altare ante Missam, et calix pariter super corporali (By. L. aP. Cors.). Ita illi AA.; verum qua de ratione Celebrans non sequeretur in omnibus ritus Missae privatae, profecto non intelligimus.

7. Si aspersio aquae benedictae fieri debeat ante Missam, Celebrans in accessu tradet birretum uno ex acolythis, alter autem acolythus illi porriget aspersorium, quod osculatur ac deinde manum ejus. Aspersione peracta, acolythus tenet librum, in quo Sacerdos cantat Orationem (By. M.).

8. Sacerdos cantat omnia cantanda in Missis solemnibus, excepta Epistola, et dicit secreto omnia, quae a choro cantantur (AA.).

9. *Kyrie eleison* dicitur ad cornu Epistolae, ut fit in Missis solemnibus (G. A. aP. M.). Sacerdos potest quoque sedere, dum cantantur *Gloria, Credo,* aut similia, ut fit in Missis solemnibus (AA.).

10. Acolythi, superpelliceis induti, parant in credentia, quidquid opus est, ministrantque Celebranti se induenti sacris paramentis (AA.).

11. Nota in priori ex sequentibus Missis dari officium thuriferarii; sed illud officium, si opus sit, per acolythos impletur.

§. II. De Missa cantata cum duobus tantum acolythis.

TEXTUS.	PRIOR ACOLYTHUS.	POSTERIOR ACOLYTHUS.	OFFICIUM THURIFERARII.
	Stans retro post Celebrantem et conversus ad imaginem sacristiae, se inclinat simul cum illo et praecedit manibus junctis (AA.) Porrigit aquam benedictam Celebranti ac suo socio (A.).	Stat a latere praecedentis, ipsum imitatur et procedit a sinistris ejus (AA.).	
Missa incipit.	Cum pervenerit ad Altare stat a dextris Sacerdotis, sumit ejus birretum quasi cum osculo (B. M.) et genuflectens in plano, illud defert ad scamnum, redit ac flectit utroque genu ante infimum gradum Altaris a latere dextro, ac respondet (B. By. M. CC.).	Genuflexione facta, flectit utroque genu in plano parum post Celebrantem a sinistris, respondens (B. By.).	
Aufer a nobis.	Surgit, elevat aliquantulum albam Celebrantis, deinde persistit genuflexus in ultimo gradu (B.), vel accedit ad dextram Sacerdotis.	Imitatur socium et persistit genuflexus in ultimo gradu (AA.).	Facta ab acolythis genuflexione, prior sumit thuribulum, posterior vero navicularn ac porrigunt Celebranti. Prior amovet librum ab Altari, posterior elevat casulam ambabus manibus et redit ad socium, qui incensat Sacerdotem (CC.). Osculantur cochleare, thuribulum et Celebrantis ma-
Gloria.	Accedit ad medium, genuflexioneque facta in plano, accedit ad scamnum a dextris, porrigit birretum Celebranti, factis osculis solitis, deinde stat manibus super pectus cancellatis (B.), vel recedit ad scamnum suum, ut sedeat. [1]	Genuflexione facta, stat a sinistris scamni, conversus ad socium, elevat casulam Celebrantis, factis Altari inclinationibus capitis ad verba, quae exigunt (B.).	
	Finito *Gloria,* resumptoque birreto, redit ad medium Altaris, ibique		

[1] Nec in eodem scamno, nec in eadem linea ac Celebrans sedent acolythi, sed super duo scabella paulo ante ipsum posita, ita tamen, ut terga nec Celebranti, nec s. Sacramento vertant.

TEXTUS.	PRIOR ACOLYTHUS.	POSTERIOR ACOLYTHUS.	OFFICIUM THURIFERARII.
	flectit utroque genu in suo loco (B.).	Similiter redit ad locum (B.).	num, et prior dicit *Benedicite,* etc. (Bi.).
Prima Collecta.	Sumpto libro Epistolarum (B. V.), nam Epistolam cantat in loco consueto aliquis lector superpelliceo indutus (R.), se sistit retro post Celebrantem in plano, caput inclinat nomini J. C., et genuflexione facta, accedit ad cantandum Epistolam. Qua cantata, genuflectit iterum Altari (B.), in fine tamen non osculatur manum Celebrantis (R.), sed relato super credentiam libro, redit ad locum (B. By.), aut defert Missale (M. V.).	Se sistit prope Celebrantem, erectus, et respondet *Deo gratias* (B. By. M.). Post Graduale redit ad locum, Missali ad cornu Evangelii delato (B. By.).	Post Epistolam cantatam, ministrant thuribulum ad benedicendum thus, et posteriore incedente a dextris, simul genuflectunt et posterior defert Missale. Prior assistit ad cornu Evangelii, ministrans thuribulum cum osculis, et redit ad socium ante infimum Altaris gradum a latere, ubi finito Evangelio incensat Celebrantem. Genuflexione facta redeunt ad loca sua (CC. L.).
Ultima Collecta.			
Offertorium.	Surgit, genuflectit in medio Altaris, sumptasque super credentiam ampullas defert ad Altare, porrigit ampullam vini (B. CC.), vel utramque (By. M. V.). Ad *Lavabo* infundit aquam (By. M. V.) vel ministrat manutergium Celebranti (B.), facta prius et post ea inclinatione. Delata campanula ad locum (By.), ibi stat (B B.) postquam genuflexit in medio Altari (B).	Incedit ex aequo cum priore, quem imitatur. Ministrat ampullam aquae et infundit aquam ad *Lavabo* (B. CC.), vel praebet manutergium (By. M. V.), debitis inclinationibus factis; deinde genuflexione in medio facta, redit ad locum (By. B.).	Si fieret incensatio, posterior infunderet aquam ac ministraret manutergium Celebranti.
Sanctus.	Pulsat campanulam et accendit cereum Elevationis (B. M. V.)	Si adsit socius, accedunt ad sacristiam ibique sumunt funalia (By. M).	Incensante priore acolytho, secundus pulsat campanulam et elevat casulam (CC.).
Elevatio.	Ascendit super primum gradum Altaris, pulsat campanulam (By.) et elevat casulam (By.), deinde redit ad locum (By. B.).	Stat in loco (By. M.) aut etiam elevat casulam (B) Tunc candelabra referuntur (By. M.).	

TEXTUS.	PRIOR ACOLYTHUS.	POSTERIOR ACOLYTHUS.	OFFICIUM THURIFERARII.
Quid retribuam.	Genuflexione in loco facta, surgit (B.), accedit ad infundendum vinum et aquam pro ablutionibus (By. B M), osculans ampullas (By. M. V.). Reversus ad Altare, extinguit cereum et reverlitur ad locum (By. M. V.), vel resumit calicem, descendit in planum, ubi genuflexione facta, defert calicem super credentiam, redit, genuflectit in medio, et flectit iterum utroque genu in suo loco (B.).	Sumit Missale ac genuflectens illud defert ad cornu Epistolae, et redit ad locum suum (By. B.). Extinguit cereum, si opus sit (By. M. V.).	
Ultimum Evangelium.	Resumptum birretum Celebranti tradit, genuflexioneque cum eo facta, illum praecedit ad sacristiam, ubi se inclinat imagini (B. By.).	Genuflexione facta, redit manibus junctis ad sinistram prioris (B. By.).	

§. III. De Missa cum acolytho, thuriferario et duobus ceroferariis.

TEXTUS.	CEROFERARII.	ACOLYTHUS.	THURIFERARIUS.
	Sequuntur acolythum ad Altare, gestantes candelabra (aP. By.) genuflectuntque una cum illo, qui non impeditur ministrando, et deferunt candelabra super credentiam, ubi stant (By. aP.).	Incedit a sinistris thuriferarii (aP. By.); acceptum Celebrantis birretum defert ad locum congruum (By.), et flectit utroque genu a sinistris Sacerdotis super infimum gradum Altaris (aP. By.).	Non ministrato thuribulo ad benedicendum thus, praecedit manibus junctis a dextris acolythi (aP. By.): birretum Sacerdotis acceptum (aP.) defert ad locum, et flectit utroque genu a sinistris secundi ceroferarii (aP.) vel acolythi (By.).
Aufer a nobis.		Elevat fimbrias albae (aP.), genuflexioneque in medio capellae facta, accedit ad dextram Sacerdotis, parum a retro, manibus junctis, illi respondens (aP.).	Incensatur Altare (By.), aut potius non incensatur (Cors. Cast. Bi. aP.). Accedit ad respondendum ad *Kyrie*, ad latus Sacerdotis (By.).

TEXTUS.	CEROFERARII.	ACOLYTHUS.	THURIFERARIUS.
Epistola.		Assistit Sacerdoti (aP.), vel accedit ad cantandam Epistolam, et primus ceroferariorum stans in plano a latere ejus, manibus super pectus positis, respondet *Deo gratias* (By.). Deinde defert Missale ad cornu Evangelii (By. aP.).	Accedit ad cantandam Epistolam, refert librum et sumit thuribulum (aP.).
Evangelium.	Sumptis candelabris, accedunt ad medium, ubi facta genuflexione, accedunt per planum ad cornu Evangelii, conversi versus Sacerdotem, quasi habentes librum in medio ipsorum (By. aP.).	A sinistris thurifer arii, ministrata incensi navicula (aP. By. C.) descendit, genuflectit et, si libet, accedit ad latus Sacerdotis (aP.).	Porrecto thuribulo, descendit, genuflectit (By. aP.) in medio ceroferariorum (aP.), accedensque per planum ad cornu Evangelii, ibi stat medius inter acolythos, conversus ad Sacerdotem (aP. By.). Tradito thuribulo, iterum descendit, et stans ibidem, Evangelio finito, thurificat Sacerdotem (aP. By.). Reversus ad medium genuflectit, et redit ad locum (By. aP.).
	Evangelio finito, genuflexioneque in medio facta, redeunt ad credentiam (By. aP.).	Genuflexione facta, flectit utroque genu super gradu ad cornu Epistolae (By. aP.).	
Incensatio.	Prior amovet et reponit librum (aP. By); posterior fundit aquam in manus Sacerdotis, dum prior illi ministrat manutergium, osculis et reverentiis solitis factis (aP. By.). Respondent genuflexi ad *Orate fratres* (By.).	Reportata incensi navicula, a sinistris Sacerdotis elevat casulam (aP. By.). Incensat thurifer arium (aP.).	Post elevatam casulam a dextris Sacerdotis (aP. By), thurificat Celebrantem, ministrum et acolythos (aP. By.), et ipse demum incensatur (aP.).
Sanctus.	Accedunt ad sacristiam ibique sumunt funalia (aP. By.).	Pulsat campanulam (By.).	

TEXTUS.	CEROFERARII.	ACOLYTHUS.	THURIFERARIUS.
			Redit e sacristia antecedens ceroferarios (By. aP.).
Elevatio.		Genuflexus a dextris Sacerdotis elevat casulam pulsans campanulam (By.).	Incensat ss. Sacramentum a cornu Epistolae (aP. By).
	Reportatis facibus redeunt ad loca, se signantes et percutientes pectus cum Sacerdote (By.).	Flectit iterum utroque genu ad cornu Epistolae (By. aP.). Si moris sit, potest deferre pacem (By. aP).	Rediens a sacristia, redit ad locum, ubi flectit manibus junctis (By.).
Communio.	Prior defert librum ad cornu Epistolae (By.) Redeunt eodem ordine quo venerant, deinde lavant manus Sacerdotis (By).	Defert ampullas pro ablutionibus (By.). Reversus refert ad sacristiam quaecumque in Missa adhibita fuerant.	Redit primus, manibus junctis, habens a sinistris acolythum (By.).

Caput secundum.

De praestantioribus sacris functionibus persolvendis.

Monitum.

Proposito in s. Rit. Congreg. ordinario conventu habito *die 28. Julii 1821.* sequenti dubio, videlicet: *An toleranda sit consuetudo vigens in quibusdam paroeciis praesertim ruralibus, celebrandi per parochum Missam lectam Feria V. in Coena Domini, quin peragi valeant eadem Feria, et sequenti ceterae ecclesiasticae functiones praescriptae, ob Clericorum defectum, vel potius abolenda?* Emi PP. eidem praepositi nedum consuluerunt paroeciis praesertim ruralibus, quae Clericis omnino destituuntur; verum etiam soliciti, ut sacrae functiones, quae ex Ecclesiae instituto ad recolendam memoriam Passionis, Mortis et Resurrectionis D. N. J. C. peragi debent in majori Hebdo-

mada, non omittantur in minoribus Ecclesiis, et signanter parochialibus, in quibus tres saltem, quatuorve Clerici haberi possunt, excitarunt Episcoporum vigilantiam, qui in id sua conferant studia, sequenti responso: *Affirmative et ad mentem.* Mens est: *ut locorum Ordinarii quoad paroecias, in quibus haberi possunt tres quatuorve saltem Clerici, sacras functiones Feriae V. et VI., ac Sabbato majoris Hebdomadae peragi studeant, servata forma parvi Ritualis S. M. Benedicti XIII., anno 1725. jussu editi: quoad alias paroecias, quae Clericis destituuntur, indulgere valeant ob populi commoditatem, ut parochi* (petita quotannis venia), *Feria V. in Coena Domini, Missam lectam celebrare possint, priusquam in cathedrali vel matrice conventualis incipiat.* Quoniam vero exemplaria parvi Ritualis recol. mem. Pontificis Benedicti XIII. jussu editi omnino defecere, ideo iterato illud imprimi curavimus pro earumdem minorum Ecclesiarum praesertim parochialium commoditate.

Editioni anni 1725. praemittitur sequens monitum. „Ut ritus ac sacrae caeremoniae visibilia religionis ac pietatis signa, per quae mentes fidelium ad rerum altissimarum contemplationem excitantur, in minoribus Ecclesiis parochialibus almae hujus Urbis exacte, ac uniformiter exerceantur; utque hujusmodi Ecclesiarum rectores ab exsolvendis functionibus illis praecipuis, quibus alma mater Ecclesia praestantiora nostrae redemptionis indixit recolenda mysteria, minime vel perstrictus parochialium Clericorum numerus detineat, vel insuetorum rituum anfractus deterreat: ex decreto particularis Congregationis, a ss. Domino nostro Benedicto PP. XIII indictae, sub die 4. Decembris proxime elapsi anni 1724. pro nonnullis ad sacram visitationem ecclesiarum parochialium Urbis spectantibus, et a Sanctitate Sua confirmato, rectoribus ipsis Memoriale hoc rituum, typis datum, proponitur observandum.

„Exactissimam praescriptorum rituum, cum perstrictissimo Clericorum numero exhibet praxim. Ut plurimum tres tantum requirit: vix quartum desiderat.[1] Parocho tamen curae erit,

[1] Hisce in partibus, Clericis deficientibus, assumuntur tres quatuorve laici, qui toga et cotta induti, illorum in omnibus, iis exceptis tamen, quae proprie ad Clericos pertinent,

designatos Clericos, quasi manu ducens, praecedenter in actionibus peragendis instruere, ut in eisdem attente, et expedite se gerant, neque oscitanter, quo se vertant, nesciant.

„Eosdem insuper Clericos modulari, aequa vocum concordia, ea, quae in processionibus recitanda praecipiuntur, edoceat: quaeque, ut inoffenso percurrantur pede, suis locis, in ipso hoc Memoriali, per extensum inserere, consonum visum est, ut unus idemque libellus, et quae agenda, et quae recitanda, suppeditet.

„Sex semel in anno occurrentes, functiones enucleate exponuntur; ex quibus haud difficile erit methodum ercerpere pro consimilibus, ut in omnibus custodia sacrarum caeremoniarum semper effulgeat."

Habete igitur, RR. parochi et minorum ecclesiarum rectores, ope hujus Ritualis, certam methodum, qua uti possitis, ut sacrae actiones, si nequeant solemniter, decenter saltem peragantur.

§. I. De benedictione candelarum in festo Purif. B. M. V.

Art. 1. *De praeparandis pro benedictione, processione et Missa. In abaco, seu credentia Altaris majoris:* 1. Calix pro Missa cum omnibus ornamentis coloris albi; ni festum incidat in Dominica privilegiata, quia tunc coloris violacei. 2. Planeta, stola, et manipulus coloris albi, vel violacei, si in Dominica, ut supra. 3. Thuribulum, et navicula cum thure. 4. Vas aquae benedictae cum aspersorio. 5. Pelvis cum medulla panis, et vasa pro lotione manuum post distributionem candelarum. 6. Manutergium. 7. Pelvicula cum ampullis vini et aquae, et mappula ad manus tergendas. 8. Exemplaria hujus Memorialis pro recitandis in processione.

In Altari. 1. Pallium violaceum faciliter amovibile, et aptatum super aliud albi coloris, si Missa erit de Beata Maria.

---

vices gerunt; et illud toleratur." Nec te moveat illa dictio *recitanda*, quasi Preces, Hymni, Responsoria, in minoribus ecclesiis, cantari prohibeantur; cum e contra magis ad Ecclesiae mentem accedat, adstantiumque devotionem moveat, cantare quam nude recitare.

2. Missale in cornu Epistolae super pulvino violaceo, vel parvo legili.

Prope cornu Epistolae in plano. 1. Mensa cooperta mantili albo, et super eam candelae benedicendae, similiter aliqua mappa munda coopertae. 2. Crux processionalis.

In sacristia. 1. Tria superpellicea pro Clericis. 2. Amictus, alba, cingulum, stola et pluviale coloris violacei pro Celebrante. 3. Foculus cum igne, et forcipe.

Art. 2. *De benedictione candelarum.* 1. Circa horam diei tertiam, tres Clerici, talari habitu induti, accipiunt superpellicea in sacristia, atque disponunt omnia, ut in art. praec. 2. Festivo campanarum sonitu convocetur populus. 3. Celebrans, facta praeparatione ad Missam, ac lotis manibus in sacristia, ministrantibus secundo, et tertio Clerico, accipit super cottam, amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale coloris violacei. *Si fuerit dies Dominica, Celebrans sic indutus benedicit aquam pro aspersione, ut in Missali.* 4. Interim primus Clericus amovet ab Altari vasa florum, et candelas in eo accendit. 5. Celebrans facta cum Clericis debita reverentia cruci, vel sacrae alii imagini in sacristia, praecedente primo Clerico manibus junctis, medius inter secundum et tertium Clericum, elevantes fimbrias pluvialis, tecto capite, procedit ad Altare. 6. Ante infimum gradum deponit birretum in manibus primi Clerici, qui, eo reposito, candelas discooperit. 7. Celebrans, facta in plano vel reverentia cruci, vel genuflexione super infimo gradu, si adsit tabernaculum recondens ss. Eucharistiam, ascendit ad Altare, et osculatur illud in medio. *Si facienda sit aspersio aquae benedictae, Celebrans genuflexus in primo gradu inferiori procedit ad aspersionem, ut in Missali, et deinde ascendit ad Altare, ut supra.* 8. Celebrans, osculato Altari, accedit ad cornu Epistolae semper medius inter Clericos, ut in num. 1. 9. Ibidem facie ad Altare, manibus junctis, in tono feriali, dicit: *Dominus vobiscum,* et postea subjungit: *Oremus,* et Orationem *Domine sancte* etc. cum quatuor aliis Orationibus. 10. Interim primus Clericus ponit ignem in thuribulo, et accipit naviculam. 11. Dum dicitur quinta Oratio, tertius Clericus, qui erat a sinistris Celebrantis, facta genu-

flexione Altari, recedit, et accepto e credentia vase aquae benedictae, una cum Clerico thuriferario accedit ad Celebrantem. 12. Celebrans, completa quinta Oratione, ministrante cum osculis consuetis naviculam secundo Clerico, qui est a dextris ejus, imponit cum benedictione incensum in thuribulo. 13. Deinde accepto aspersorio a secundo Clerico, ter aspergit candelas, in medio, a dextris earum, et a sinistris, dicens submissa voce Ant. *Asperges me* etc. 14. Successive similiter triplici ductu candelas adolet incenso, nihil dicens. Completa benedictione, Celebrans facta in medio Altaris debita reverentia, sedebit tecto capite super scabello in suppedaneo a parte Evangelii [1] ac gravi sermone populum admonebit de institutione hujus solemnitatis, atque mysteriis et utilitate candelarum benedictarum, utque populus reverenter accedat ad distributionem.

Art. 3. *De distributione candelarum.* 1. Expleto sermone primus Clericus accipit e mensa candelam pro Celebrante, et *nisi adsit aliquis in presbyterali ordine constitutus*, eam collocat in medio Altaris. 2. Celebrans, facta reverentia in medio Altaris, genuflectit super suppedaneo facie ad crucem. 3. Sic genuflexus accipit ex Altari candelam, et eam osculatur, et tradit primo Clerico servandam. *Si adsit aliquis Sacerdos, hic dabit candelam Celebranti stanti facie ad populum, cum osculo candelae tantum, et Celebrans similiter candelam* [2] *tantum osculabitur.* 4. Deinde Celebrans accedit ad cornu [3] Epistolae, et alternatim cum suis Clericis alta, et aequa voce, more Clericorum regularium, recitabit Ant. *Lumen* etc. et Canticum: *Nunc dimittis* etc. 5. Repetita post *Sicut erat in principio* etc. Ant. *Lumen* etc., Celebrans, facta inclinatione cruci, vertit se ad populum, et distribuit candelas primo presbyteris, si adsint, deinde Clericis, dispositis seriatim super ora suppedanei, et digniores prope cornu Epistolae; qui omnes genuflexi candelam, et manum Celebrantis osculabuntur. 6. Deinde Celebrans, facta reverentia Altari, medius inter suos

[1] Bauldr. p. 4. cap. 3. art.. 3. n. 13.
[2] Bauldr. p. 4. cap. 3. art. 2. n. 13.
[3] Bauldr. loc. cit. art. 4. num. 3.

Clericos accedit ad cancellos presbyterii a parte Epistolae. 7. Ibidem incipit distribuere candelas, primo viris, deinde foeminis, praebente ei candelas tertio Clerico a sinistris, allatas a primo Clerico. 8. Completa distributione, Celebrans lavabit manus in plano Epistolae, fundente aquam primo Clerico, et aliis duobus manutergium ministrantibus. 9. Celebrans, lotis manibus, accedit ante Altare per longiorem, factaque in medio cruci [1] reverentia, pergit ad librum in cornu Epistolae. 10. Ibi cum suis Clericis, alta voce recitabit Ant. *Exsurge Domine,* etc. 11. Deinde stans ibidem subdit: *Oremus,* et si sit post Septuagesimam, et non in die Dominico, subjungit ipsemet, ac genuflectens cum omnibus: *Flectamus genua,* et secundus Clericus primo surgens, respondet: *Levate.* 12. Postmodum Celebrans dicet Orationem: *Exaudi quaesumus Domine* etc. semper tenens manus junctas, ut supra.

Art. 4. *De processione.* 1. Completa Oratione, Celebrans accedit ad medium altaris, ibidem accipit a primo Clerico candelam accensam, et exemplar hujus Memorialis, vel Rituale pro Antiphonis in processione cantandis. 2. Duo alii Clerici similiter accipiunt candelas accensas, et exemplaria hujus Ritualis. 3. Celebrans vertit se ad populum et dicit: *Procedamus in pace,* et Clerici respondent: *In nomine Christi. Amen.* 4. Celebrans incipit recitare Antiph. *Adorna* etc., ut infra, et alternatim cum Clericis sibi assistentibus reliquas Antiphonas prosequitur. 5. Responso, ut supra: *In nomine Christi, Amen,* primus Clericus accipit crucem processionalem, et facta genuflexione Altari, vertit se ad populum, et procedit, juxta consuetudinem, vel extra ecclesiam, vel intus eamdem, et dirigit processionem sua parte dextera, et circuit, et redit ante Altare. 6. Subsequitur Celebrans tecto capite medius inter Clericos, recitans cum eis sequentes Antiphonas redactas ad versus, ut commodius cantentur. Antiphona *Adorna thalamum* . . . . . 7. Ingrediendo Ecclesiam, si extra eam processum fuit, vel in ipso cancellorum presbyterii ingressu, si processio intus ecclesiam peracta fuit, recitatur sequens *Resp.: Obtulerunt Do*

[1] Ex Castald. lib. 3. sect. 8. cap. 3. n. 7., Gavant. p. 4. tit. 10. lit. g. num. 18.

mino .... Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Sicut scriptum est in lege Domini. 8. Clericus cum cruce, facta ante Altare genuflexione, deponit eam in loco suo. 9. Celebrans absolvit Resp. ante Altare.

Art. 5. *De Missa post processionem.* 1. Absoluto Resp. primus Clericus resumit candelas a Celebrante et Clericis, extinguit et servat in credentia. 2. Celebrans facta reverentia Altari, accedit ad planum Epistolae, in loco, ubi alias sedetur in Missa solemni; et per manus secundi et tertii Clerici deponit pluviale et stolam violaceam, et accipit manipulum, stolam et planetam coloris albi, si Missa erit de Beata Maria; alias, deposito pluviali, accipit manipulum et planetam violaceam pro Missa de Dominica. 3. Interim, si Missa erit celebranda de festo, primus Clericus amovet pallium violaceum ab Altari, remanente albo, et apponit vasa florum inter candelabra; et successive defert calicem paratum ad Altare, et expanso corporali, eumdem in medio concinne collocat. 4. Celebrans procedit ad Missam, in qua, si erit de festo, Clerici tenebunt [1] candelas accensas ad Evangelium, et ab elevatione usque ad sumptionem. 5. Dum Celebrans legit Ant. *Communio,* primus Clericus amovet calicem ab Altari, et refert ad credentiam. 6. Completa Missa Celebrans, praecedentibus Clericis, redit, manibus junctis, in sacristiam. 7. Ibi deponit paramenta missalia, et gratias agit de more. 8. Clerici ex Altari, et abaco reportant omnia in sacristia, et quaeque suis locis reponunt.

§. II De benedictione cinerum in capite jejunii.

Art. 1. *De praeparandis pro benedictione et Missa. In abaco seu credentia Altaris majoris:* 1. Calix paratus pro Missa, cum velo et bursa coloris violacei. 2. Manipulus et planeta violacea. 3. Thuribulum et navicula cum thure. 4. Vas aquae benedictae cum aspersorio. 5. Pelvis cum medulla panis, et vas ad lavandas manus post cinerum distributionem.

[1] Gavant. p. 4. tit. 14. n. 10 et alii.

6. Manutergium. 7. Pelvicula cum ampullis vini et aquae, et mappula ad manus tergendas.

In Altari. 1. Altare cum pallio violaceo, cruce et candelabris cum cereis, absque vasis florum. 2. Missale in cornu Epistolae super pulvino violaceo aut legili. 3. Vas argenteum, vel ex alia pulchra materia, cum cineribus ex ramis in praecedenti Dominica Palmarum benedictis, combustis et subtiliter cribratis et aridis, coopertum vel operculo consimili, vel violaceo, inter Missale, et cornu Epistolae.

In sacristia. 1. Tria superpellicea pro Clericis. 2. Amictus, alba, cingulum, stola et pluviale coloris violacei. 3. Foculus cum carbonibus accensis, et forcipe.

Art. 2. *De benedictione cinerum.* 1. Dispositis omnibus, ut supra, per Clericos indutos superpelliceis, hora congrua, solito campanarum signo, convocetur populus ad ecclesiam. 2. Celebrans in sacristia, lotis manibus, per manus secundi et tertii Clerici accipit, super cottam, amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale coloris violacei. 3. Primus Clericus accendit candelas super Altare, et deinde in sacristiam redit. 4. Proceditur, facta reverentia cruci in sacristia vel sacrae imagini, ad Altare majus. 5. Praecedit primus Clericus manibus junctis, et subsequitur Celebrans tecto capite, medius inter secundum et tertium Clericum. 6. Celebrans ante Altare deponit birretum in manus primi Clerici, et facit debitam reverentiam Altari. 7. Ascendit Altare medius inter secundum et tertium Clericum, et osculatur illud in medio. 8. Interim primus Clericus, deposito birreto, discooperit cineres. 9. Celebrans accedit ad cornu Epistolae, et ex Missali recitat cum suis Clericis Ant. *Exaudi* etc. 10. Repetita Ant. *Exaudi,* Celebrans stans ibidem, non se vertens ad populum, dicit in tono feriali, ac manibus junctis: *Dominus vobiscum,* et postmodum subjungit quatuor Orationes. 11. Dum dicitur quarta Oratio, tertius Clericus facta genuflexione Altari, accipit vas aquae benedictae, et una cum Clerico thuriferario accedit ad Celebrantem. 12. Celebrans ministerio secundi Clerici imponit incensum in thuribulo, et deinde aspergit, et thurificat cineres de more. 13. Expleta benedictione, vas cum cineribus ponitur

in medio Altaris. 14. Celebrans sedens, ut alias in suppedaneo, habet sermonem ad populum super benedictione, et impositione cinerum in hac feria.

Art. 3. *De cinerum impositione.* 1. Celebrans, *absente alio Sacerdote,* facta reverentia cruci, genuflectit super suppedaneo in medio. 2. Sic genuflexus sibi ipsi cineres in modum crucis imponit in capite, nihil dicens. *Si adsit alius Sacerdos, hic sine stola accedens ad Altare, imponit cineres Celebranti, qui stabit capite inclinato, et facie versa ad populum, dicendo:* „Memento homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris.“ 3. Celebrans, acceptis cineribus, accedit ad Missale in cornu Epistolae, et recitat cum Clericis, ut supra, Antiph. *Immutemur* etc. usque ad finem. 4. Deinde imponit cineres omnibus de Clero, dispositis super oram suppedanei, et dignior erit proximior ad latus Epistolae, dicens: *Memento homo* etc. 5. Celebrans, facta reverentia Altari, medius inter secundum et tertium Clericum, accedit ad cancellos presbyterii e regione Epistolae, et imponit cineres primo viris, deinde foeminis. 6. Completa impositione Celebrans in plano Epistolae, ministrantibus Clericis, lavat manus cum mica panis et tergit. 7. Deinde ascendit Altare per longiorem, et facta reverentia in medio, pergit ad latus Epistolae. 8. Ibidem facie ad Altare dicit manibus junctis: *Dominus vobiscum,* et Orationem: *Concede nobis, Domine* etc., et facta ibidem reverentia Altari, descendit ad planum Epistolae.

Art. 4. *De Missa.* 1. Celebrans in plano Epistolae prope scabellum, adjuvantibus suis Clericis, deponit pluviale, et accipit manipulum et planetam, et sedet aliquantulum. 2. Interim primus Clericus defert calicem ad Altare, et expanso corporali in medio ejus, aptat calicem super illud. 3. Celebrans procedit ad Missam, in qua omnia, ut in Missali. 4. Dum dicitur *Communio,* primus Clericus amovet calicem ab Altari, et defert ad credentiam. 5. Completa Missa, Celebrans redit praecedentibus Clericis, manibus junctis, in sacristiam, ubi depositis paramentis missalibus, Deo gratias agit. 6. Clerici reportant omnia in sacristiam et recondunt.

§. III. De Dominica Palmarum.

Art. 1. *De praeparandis pro sacris actionibus hujus Dominicae. In abaco, seu credentia Altaris majoris.* 1. Calix pro Missa cum omnibus ornamentis coloris violacei. 2. Manipulus et planeta coloris violacei. 3. Thuribulum et navicula cum thure. 4. Pelvis et urceus pro lotione manuum. 5. Manutergium. 6. Pelvicula cum ampullis vini et aquae, et mappula ad manus tergendas. 7. Exemplaria hujus Memorialis pro recitandis in processione.

In Altari. 1. Pallium violaceum. 2. Missale in cornu Epistolae super pulvino violaceo vel legili. 3. Rami palmarum, loco florum, inter candelabra.

Prope cornu in Epistolae plano. 1. Mensa cooperta mantili albo, et super eam palmae benedicendae. 2. Crux processionalis tecta velo violaceo, et vitta violacea pro liganda palma in summitate crucis.

In sacristia. 1. Tria superpellicea pro Clericis. 2. Amictus, alba, cingulum, stola et pluviale violacei coloris pro Celebrante. 3. Foculus cum igne, et forcipe. 4. Vas aquae benedictae cum aspersorio.

Art. 2. *De benedictione palmarum.* 1. Omnibus suo loco dispositis, festivo campanarum sonitu, hora congrua convocatur populus. 2. Celebrans in sacristia, adjuvantibus secundo ac tertio Clerico, induit super cottam, amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale violaceum. 3. Idem benedicit aquam, ut in Missali, et interim primus Clericus accendit cereos in Altari. 4. Celebrans, praecedente primo Clerico portante vas cum aqua nuper benedicta, medius inter secundum et tertium Clericum, tecto capite, procedit ad Altare, et genuflectit in ejus infimo gradu pro aspersione aquae benedictae. 5. Fit aspersio more solito, post quam primus Clericus reponit Missale super legili in cornu Epistolae Altaris. 6. Tertius Clericus accipit e credentia manipulum,[1] et illum aptat in brachio sinistro Celebrantis.

[1] Bauldr. p. 3. cap. 6. art. 3. num. 3.

7. Celebrans medius inter Clericos, ut in num 4., ascendit Altare, ac illud osculatur in medio, deinde in cornu Epistolae alta et aequali voce incipit Ant. *Hosanna* etc., quam cum Clericis prosequetur. 8. Stans ibidem dicit manibus junctis: *Dominus vobiscum*, et deinde Orationem: *Deus, quem diligere* etc. 9. Subjungit Lectionem, et post eam dicit cum Clericis Responsorium: *Collegerunt* etc. *In monte Oliveti* etc. 10. Praemisso eodem loco: *Munda cor meum*, legit Evangelium et osculatur textum in fine, et postmodum deponit manipulum. 11. Deinde dicit *Dominus vobiscum*, Orationem et Praefationem, tenens semper manus junctas, tam ad haec, quam ad subsequentes Orationes. 12. Clerici dicunt *Sanctus, Sanctus* etc. 13. Celebrans praemisso *Dominus vobiscum*, subjungit quinque alias Orationes. 14. Interim primus Clericus ponit ignem in thuribulo, et accipit naviculam. 15. Dum dicitur quinta Oratio, tertius Clericus, facta genuflexione Altari, accipit e credentia vas aquae benedictae, et una cum thuriferario accedit ad Celebrantem. 16. Celebrans, ministrante secundo Clerico, imponit incensum in thuribulo cum benedictione et osculis. 17. Deinde ter aspergit ramos, dicens submissa voce: *Asperges me* etc. sine Psalmo, ac demum eosdem thurificat. 18. Celebrans dicit iterum: *Dominus vobiscum*, et sextam Orationem. 19. Primus Clericus deponit thuribulum, et tertius ad sinistram transit Celebrantis. 20. Celebrans sedens sermonem habet solemnitati congruum.

Art. 3. *De palmarum distributione.* 1. Primus Clericus accipit e credentia palmas pro Celebrante et Clericis, et collocat super Altare. 2. Celebrans, facta reverentia cruci, genuflectit in medio Altaris. 3. Genuflexus accipit ex Altari palmam, quam osculatur, et tradit primo Clerico servandam. *Si adsit aliquis Sacerdos, hic dabit palmam Celebranti, ut dictum fuit de candela in festo Purificationis.* 4. Celebrans accedit ad cornu Epistolae, et cum suis Clericis recitat Antiphonas *Pueri Hebraeorum* etc. 5. Deinde, facta inclinatione cruci, vertit se ad populum et distribuit palmas, primo presbyteris, *si adsint*, deinde Clericis, genuflexis in suppedaneo, et digniores prope cornu Epistolae; qui omnes osculantur prius ramum,

deinde manum Celebrantis. 6. Celebrans descendit ab Altari, et facta reverentia, accedit ad cancellos Altaris versus cornu Epistolae. 7. Ibi, offerente palmas a sinistris primo clerico, Celebrans incipit easdem distribuere populo, primo viris, deinde foeminis. 8. Completa distributione, Celebrans lavat manus in plano Epistolae, Clericis ministrantibus. 9. Accedit per longiorem ad Altare, et in cornu Epistolae dicit: *Dominus vobiscum,* et ultimam Orationem. 10. Interim primus Clericus apponit, et firmat vitta violacea unam ex palmis in summitate crucis processionalis. 11. Completa Oratione, primus Clericus porrigit Celebranti et aliis duobus Clericis palmas, et exemplaria hujus Memorialis pro recitandis in processione.

Art. 4. *De processione.* 1. Celebrans, tenens palmam in manibus, vertit se ad populum, et dicit in medio Altaris: *Procedamus in pace;* et Clerici respondent: *In nomine Christi, Amen;* et Celebrans inchoat: *Cum appropinquaret* etc. 2. Dirigitur Processio, praecedit primus Clericus cum cruce; sequitur Celebrans medius inter duos Clericos, recitans alternatim cum eis alta voce Antiphonas, quae sequuntur, ad versus aptatas. 3. proceditur per latus dexterum Celebrantis extra portam principalem, recitando, ut infra, Antiphona *Cum appropinquaret....* In reversione processionis, primus Clericus cum cruce sistit ante portam principalem facie ad eamdem versa. Secundus et tertius Clericus intrant ecclesiam, et clauso ostio, stantes versa facie ad processionem, dicunt: *V. Gloria, laus et honor tibi sit, rex Christe Redemptor: cui puerile decus prompsit Hosanna pium.* Celebrans extra ecclesiam, facie ad portam, repetit tecto capite: *Gloria, laus . . . Hosanna pium. Cler.* Israel es tu Rex. . . . 4. Versibus completis, primus Clericus calce hastilis crucis percutit imam partem ipsius portae, ita ut fragor audiatur, et duo Clerici, qui sunt intus ecclesiam, portam aperiunt, et sistunt se hinc inde ad januam. 5. Primus Clericus cum cruce ingreditur ecclesiam, et Celebrans subsequendo, incipit Responsorium *Ingrediente Domino* etc. 6. Secundus et tertius Clericus excipiunt Celebrantem, et ponentes illum in medio, prosequuntur cum eo Resp. *Ingrediente...* 7. Terminatur processio et Responsorium ante Altare majus.

8. Primus Clericus deponit crucem, et deinde recipit Palmas a Celebrante et Clericis. 9. Celebrans in plano Epistolae, ubi alias sedetur in Missa, deponit pluviale et accipit manipulum et planetam, et sedet aliquantulum. 10. Primus Clericus portat calicem ad Altare, et expanso corporali in medio ejus, illum collocat et aptat. 11. Celebrans procedit ad Missam celebrandam, in qua Clerici poterunt tenere palmam in manibus, dum legitur Passio, et in fine Missae legitur Evangelium s. Joannis *In principio* etc. 12. Dum Celebrans legit Ant. *Communio,* primus Clericus amovet calicem ab Altari, et portat ad credentiam. 13. Completa Missa, Celebrans redit manibus junctis in sacristiam, Clericis praecedentibus. 14. Ibi deponit sacra paramenta, et gratias agit. 15. Clerici ex Altari et credentia resumunt omnia, et suis locis recondunt et modeste recedunt.

§. IV. De feria V. in Coena Domini.

Art. 1. *De praeparandis pro functionibus in hac feria V. persolvendis. In Altari.* 1. Altare solemniter ornatum, et cum pallio albi coloris. 2. Crux inter candelabra tecta velo albi coloris. 3. Missale super pulvino albo, sive legili in cornu Epistolae.

In abaco seu credentia. 1. Calix pro Missa cum ornamentis coloris albi et duplici hostia. 2. Alius calix cum palla, patena, velo albo, et ligula serica albi coloris. 3. Pyxis cum particulis consecrandis ad Communionem populi et infirmorum. 4. Pelvicula cum urceolis vini et aquae, et manutergio. 5. Schedulae tradendae communicatis. 6. Crux processionalis cooperta velo violaceo. 7. Thuribulum cum navicula. 8. Velum humerale albi coloris. 9. Mappa oblonga extendenda super cancellos in Communione populi. 10. Baldachinum hastatum, vel umbella pro processione, extra cancellos. 11. Crotalum pro signo salutationis angelicae.

In sacristia. 1. Tria superpellicea pro Clericis. 2. Amictus, alba, cingulum, manipulum, stola et planeta albi coloris. 3. Pluviale album. 4. Stola violacea. 5. Foculus cum igne et forcipe. 6. Funalia, sive candelae pro processione.

In sacello parato pro repositione sanctissimi Sacramenti. 1. Locus ipse ab Altari majori distinctus, et decenter velis pretiosis, non tamen nigris, et luminibus ac floribus ornatus, sine reliquiis aut imaginibus Sanctorum. 2. Supra Altare ibidem erectum capsula elegans clave firmata, pro calice servando. 3. Corporale stratum intra capsulam. 4. Aliud corporale super Altare. 5. Scabellum graduatum pro repositione calicis in capsula.

Art. 2. *De Missa usque ad processionem.* 1. Sonus harmonicus campanarum pro convocatione populi. 2. Clerici induti superpelliceis disponunt omnia suis locis, ut supra. 3. Rector interim excipit confessiones suorum parochianorum. 4. Hora congrua rector ecclesiae celebraturus induit se paramentis Missalibus albi coloris. 5. Primus Clericus accendit candelas in Altari majori, et aptat calicem in medio ejus, et retro illum pyxidem cum particulis. 6. Celebrans, praecedente primo Clerico, et post eum secundo cum tertio manibus junctis, procedit tecto capite ad Altare pro Missa. 7. Incipit Missam, omisso in confessione Psal. *Judica me, Deus* etc. et *Gloria Patri.* 8. Ad *Gloria in excelsis* pulsantur campanae, quae deinde silent usque ad Sabbatum sanctum. 9. Ultra hostiam consuetam consecratur et alia, et particulae pro Communione fidelium et pro infirmis. 10. Dicitur, ut alias, *Agnus Dei*, licet in Missa solemni non sit danda pax. 11. Dum Celebrans dicit Orationes ante Communionem, primus Clericus portat ex abaco ad Altare calicem vacuum cum palla, patena et velo albi coloris. 12. Celebrans sumpto Sanguine et cooperto calice, ex quo sumpsit, alterum calicem ponit in medio corporalis et detegit. 13. Genuflectit, et alteram hostiam consecratam reponit in calice, cooperit palla, et patena inversa, et velum desuper expandit et genuflectit. 14. Accipit pyxidem, et ponit eam ante calicem velatum; discooperit, et facta genuflexione retrahit se in cornu Evangelii[1] versa facie ad cornu Epistolae. 15. Clericus genuflexus in cornu Epistolae, omnibus similiter de Clero et populo genuflectentibus, dicit: *Confiteor Deo* etc. et Cele-

[1] Caer. Ep. l. 2. c. 29. Bauldr. p. 3. c. 14. art. 10. n. IV.

brans subjungit: *Misereatur* etc. et *Indulgentiam* etc. ut alias. 16. Celebrans accedens ad medium genuflectit, et accepta pyxide, vertit se ad communicandos, et dicit de more, ter: *Ecce Agnus Dei* etc. 17. Fit Communio Clericorum apud Altare, deinde virorum et mulierum ad cancellos, expansa mappa ante pectus eorumdem. 18. Peracta Communione Celebrans ad Altare cooperit pyxidem, et eam servat in tabernaculo. 19. Deinde dicto: *Quod ore* etc. se purificat, et facta genuflexione, abluit digitos super calicem et super Altare de more et recedens ad medium, genuflectit, et sumit ablutionem digitorum. 20. Calix Missae defertur ad credentiam: accenduntur cerei in sacello sepulchri: disponitur baldachinum, sive umbella et distribuuntur cerei pro sodalibus, si adsint, vel cultioribus de populo. 21. Celebrans prosequitur Missam: sumpta ablutione et calice exterso, Celebrans genuflectens vadit ad librum, ubi dicit *Communionem,* qua dicta, ad medium Altaris redit, genuflectit, osculatur Altare, deinde vertit se ad populum versus cornu Evangelii, renibus ad illud versis, et dicit: *Dominus vobiscum.* Reversus medium Altaris iterum genuflectit, unico genu et vadit ad cornu Epistolae, ubi cantat Orationem de more; qua cantata redit iterum ad medium Altaris, genuflectit ut supra, surgit, osculatur Altare, convertit se ad populum, ut dictum est, et dicit: *Dominus vobiscum. Ite Missa est.* Revertit ad medium, genuflectit, dicit: *Placeat,* osculatur Altare, profert *Benedicat vos,* et iterum genuflectit. Et recedens versus cornu Evangelii, ita ut renes ad illud vertantur, addit *Pater et Filius et Spiritus sanctus.* Et non perficiens circulum aut rediens ad medium, vertit se ad cornu Evangelii, recitat Evangelium S. Joannis, signans tabellam, non vero Altare. Ad verba *Verbum caro* genuflectit versus Sacramentum. 22. Celebrans completa Missa, accedit ad medium, genuflectit et per breviorem descendit ad planum Epistolae. 23. Ibi per manus Clericorum deponit planetam et manipulum, et accipit pluviale albi coloris.

Art. 3. *De processione ss. Sacramenti ad sacellum.* 1. Celebrans accedit ante Altare, et facta genuflexione in plano, orabit genuflexus in inferiori gradu. 2. Primus Clericus accipit thuribulum cum igne, et naviculam cum thure, et accedit

ad Celebrantem. 3. Celebrans surgens, imponet thus in thuribulo, sine benedictione, ministrante naviculam secundo ex Clericis sine osculis. 4. Celebrans ascendit gradus Altaris, et genuflexus in suppedaneo incensat ss. Sacramentum in calice. 5. Deinde accipit velum humerale, et surgens accedit ad mensam Altaris: genuflectit, surgit, et ad cautelam firmat velum calicis ligula serica albi coloris. 6. Accipit calicem sinistra per nodum, submittens eam velo, et dexteram ponit supra calicem, supra quam secundus Clericus extendit extremitates ambas veli humeralis. 7. Celebrans cum calice vertit renes Altari, et incipit Hymnum *Pange lingua* etc. 8. Proceditur ordine sequenti ad sacellum sepulchri:

Vexillum consuetum in delatione ss. Viatici. Sodales, vel pii viri cum luminibus. Crux processionalis delata a tertio Clerico. Primus Clericus cum thuribulo fumigante. Celebrans sub baldachino, vel sub umbella, et a sinistris ejus secundus Clericus elevans vestis anterioris ejus extremitates, dum descendit gradus, vel ascendit, recitantes Hymnum *Pange lingua* etc.

9. Ad sacellum omnes se disponunt per duas partes ita ut thuriferarius et Celebrans sub baldachino possint transire per medium illorum. 10. Deferentes labarum et crucem sistent e regione sacelli. 11. Celebrans ascendit Altare sacelli, et deponit calicem supra Altare; genuflectit, descendit primum gradum, et genuflexus in suppedaneo deponit velum humerale. 12. Interim deferentes baldachinum asportant illud ad locum congruum. 13. Celebrans surgens imponit iterum incensum in thuribulo sine benedictione et sine osculis; et genuflexus super suppedaneo Sacramentum incensat, et Clerici recitabunt Vers. *Tantum ergo Sacramentum* etc. 14. Deposito thuribulo, Celebrans surgit, ascendit ad Altare, genuflectit, et accipiens calicem, illum recondit in capsula, admoto per secundum Clericum scabello gradato, si opus erit. 15. Iterum genuflectit, et postea claudit capsulam; genuflectit et descendit in plano sacelli. 16. Celebrans genuflectit in gradu infimo Altaris, et post aliqualem Orationem surgit, et facta genuflexione ambobus genibus in plano, praecedente cruce, medius inter Clericos revertitur ad Altare tecto capite.

Art. 4. *De pyxidis asportatione.* 1. Cum omnes pervenerint ad Altare, crux deponitur loco suo, et secundus et tertius Clericus accipiunt cereos accensos. 2. Celebrans, facta genuflexione, ascendit Altare, extrahit e tabernaculo pyxidem cum particulis: collocat eam super corporale, et genuflectit. 3. Descendens genuflectit in suppedaneo, et accipit a primo Clerico velum pro humeris. 4. Ascendit Altare, genuflectit, et manibus velatis, accipit pyxidem, et praecedentibus clericis cum cereis accensis, portat pyxidem ad Altare sepulchri, et collocat super corporale, et postea genuflectit. 5. Deinde descendens, genua flectit in suppedaneo, ubi per manus Clerici deponit velum: iterum ascendit et genuflectit; aperit capsulam et recondit in ea pyxidem, retro calicem. 6. Genuflectit et claudit capsulam, et facta oratione in infimo gradu, genua flectit in plano, et revertitur tecto capite in sacristiam. 7. Ibi deponit pluviale et stolam albi coloris, et sumit stolam violaceam tantum, aptatam in modum crucis.

Art. 5. *De Altarium denudatione.* 1. Celebrans paratus, ut supra, associatus a Clericis manibus junctis, accedit ad Altare. 2. In plano, apud quod stans, inchoat alta voce Antiph. *Diviserunt sibi,* quam prosequitur cum Psalmo *Deus, Deus meus, respice in me,* etc., recitans illum cum Clericis. 3. Interim Celebrans ascendit Altare, quod denudat, amovendo tobaleam superiorem, et alias. 4. Clerici recipiunt tobaleas, et amovent ab Altari vasa florum, pallium, tapete etc., adeo ut in Altari non remaneant nisi crux et candelabra cum candelis extinctis. 5. Celebrans, denudato Altari majori, procedit ad denudationem reliquorum Altarium, si plura adsint. 6. Denudatis Altaribus, Celebrans redit ante Altare majus, ubi post ultimum versum Psalmi, repetita Antiphona, genuflectit ad signum meridianum salutationis angelicae. 7. Clericus cum crotalo dat signum Salutationis angelicae, ad quod omnes genuflectunt. 8. Surgit deinde Celebrans, et facta reverentia cruci quia paratus, Clericis genuflectentibus, revertitur in sacristiam. 9. Ibi paramenta deponit, et, gratiis de more peractis, jubet ut omnia suis locis reponantur. 10. Primus Clericus amovebit a cruce Altaris majoris vestem coloris albi,

remanente consueta veste violacea. 11. Curabit parochus, ut assidue adsint, qui orent ante ss. Sacramentum in sacello sepulchri, utque decens numerus cereorum in eo colluceat.

§ V. De feria VI. in Parasceve.

Art. 1. *De praeparandis pro officio hujus feriae.* In *Altari majori.* 1. Altare ipsum undequaque nudum cum sex candelabris habentibus cereos extinctos cerae communis. 2. Crux lignea in eodem, cooperta velo, quod facile solvi et removeri possit. 3. Pulvinar violaceum in secundo gradu ejusdem Altaris.

In abaco, seu credentia Altaris majoris. 1. Mantile lineum planitiem abaci non excedens. 2. Mappa unica plicata pro Altari ad mensuram mensae. 3. Legile cum Missali. 4. Bursa nigri coloris cum corporali, palla et purificatorio. 5. Thuribulum et navicula cum thure. 6. Velum nigrum pro calice in fine Officii. 7. Pelvicula cum ampullis vini, et aquae et manutergio. 8. Lanx argentea pro oblationibus.

Prope abacum. 1. Tapete, pulvinar violaceum, et velum album serico violaceo contextum. 2. Crux processionalis.

In sacello sepulchri. 1. Corporale stratum super Altare. 2. Velum humerale album. 3. Baldachinum sive umbella albi coloris. 4. Intortitia et cerei pro processione.

In sacristia. 1. Tria superpellicea pro Clericis. 2. Amictus, alba, cingulum, manipulum, stola et planeta nigri coloris. 3. Foculus cum igne et forcipe.

Art. 2. *De principio officii usque ad denudationem crucis.* 1. Hora competenti datur signum cum crotalo, et Celebrans et Clerici accipiunt superpellicea in sacristia, et disponuntur omnia, ut supra. 2. Celebrans, lotis manibus, accipit amictum, albam, cingulum, manipulum, stolam et planetam nigri coloris. 3. Praecedentibus Clericis, manibus junctis accedit ad Altare majus tecto capite. 4. Detecto capite genuflectit in plano Altaris, et procumbit super pulvino posito in secundo gradu, et orat spatio unius *Miserere.* 5. Primus Clericus accepta mappa illam extendit per longum super mensam Altaris, adjuvante

secundo Clerico, non explicando eam per latitudinem; ita ut duplicatio sit versus medium Altaris, et partes explicandae versus frontem ejusdem Altaris. 6. Tertius Clericus collocat legile cum Missali in cornu Epistolae. 7. Celebrans surgit a procubitu, et amoto per Clericum pulvinari, ascendit Altare, et osculatur illud in medio. 8. Accedens ad cornu Epistolae legit primam Lectionem cum Tractu. 9. Deinde dicit: *Oremus,* et, genuflectens cum omnibus: *Flectamus genua,* et secundus Clericus primo surgens dicit: *Levate,* et Celebrans subjungit Orat. *Deus a quo* etc. 10. Deinde legit secundam Lectionem, et Tractum, ac successive Passionem. 11. Dicto ibidem: *Munda cor meum* etc. prosequitur eam partem, quae cantaretur in tono Evangelii. 12. In fine non osculatur librum, sed immediate (nisi sit habendus sermo de Passione) incipit in eodem cornu Epistolae, Monitiones et Orationes, ut in Missali. 13. Ante singulas Orationes, octava excepta, Celebrans genuflectens, prout faciunt et caeteri, dicit: *Flectamus genua,* et secundus Clericus, surgens ante omnes, dicit: *Levate.* 14. Circa finem Orationum primus Clericus, adjuvante tertio, extendit ante gradus Altaris vel presbyterii tapete, et super primos ejus gradus pulvinar violaceum, et velum album serico violaceo contextum expandunt per longum.

Art. 3. *De crucis denudatione et adoratione.* 1. Completis Orationibus Celebrans stans in eodem cornu Epistolae deponit planetam tantum.[1] 2. Deinde genuflectit in medio Altaris, et accipit crucem, et primus Clericus accipit Missale. 3. Celebrans accedit ad angulum posteriorem cornu Epistolae, facie versa ad populum, et Clericus sustinebit Missale ante illum. 4. Celebrans manu dextra detegit summitatem crucis usque ad transversum illius exclusive, et crucem ambabus manibus aliquantulum elevans, gravi voce legit: *Ecce lignum crucis;* et Clerici eadem voce prosequuntur: *In quo salus mundi pependit.* Et genuflectentibus omnibus, praeter Celebrantem, Clerici subjungunt: *Venite adoremus,* et deinde surgunt. 5. Celebrans in anteriori parte cornu Epistolae discooperiens brachium

[1] Vid. S. R. C. dec. 15. Sept. 1736, quo jubetur, ut deponat manipulum.

dexterum crucis, et caput crucifixi, et magis elevans crucem et vocem, secundo dicit: *Ecce lignum crucis.* 6. Clerici prosequuntur: *In quo salus mundi pependit,* et successive: *Venite adoremus;* et genuflectunt omnes, ut prius. 7. Celebrans tandem in medio Altaris totam discooperiens crucem, ac altius manum et vocem elevans, dicit tertio: *Ecce lignum crucis.* 8. Clerici tertio prosequuntur, respondent, et genuflectunt, ut supra. 9. Tertius Clericus ponit lancem a latere sinistro pulvinaris, et primus reponit Missale super legile, et discooperitur crux processionalis, et aliae omnes per ecclesiam. 10. Celebrans descendens per latus Evangelii portat devote crucem ambabus manibus elevatam ad locum praeparatum. 11. Ibi genuflexus collocat crucem super velum pulvino superpositum, et firmat eam cordulis. 12. Surgit et facta genuflexione, vadit ad planum cornu Epistolae, ibique sedens in scabello, deponit calceamenta, Clericis adjuvantibus. 13. Celebrans excalceatus procedit ad adorationem crucis, quam primo, secundo et tertio cum debita distantia, adorat, offert pecuniam, et osculatur crucem. 14. Surgit, et facta genuflexione cruci, redit ad scabellum in plano Epistolae, et calceamenta resumit. 15. Clerici deponunt et ipsi calceamenta, et post Celebrantem ante omnes alios de populo, adorabunt crucem eodem modo, quo Celebrans, et reversi ad sua loca, calceamenta resumunt. 16. Post Clericos adorabunt sodales cum saccis, si adsint, deinde viri, ultimo mulieres: omnes bini, devote ac graviter. 17. Interim primus Clericus assistit adorantibns, et secundus et tertius Clericus accedunt ad Celebrantem, et alta et clara voce [1] recitant cum eo Improperia, ut hic.

Improperia recitanda a Celebrante cum secundo et tertio Clerico. — *Prima pars Cel.* ℣. Populе meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi. ℣. Quia eduxi te de terra Aegypti: parasti crucem Salvatori tuo. 2$^{dus}_{=}$ Clericus ℟. Agios o Theos. 3$^{ius}_{=}$ Clericus: Sanctus Deus. 2$^{dus}_{=}$ Clericus: Agios ischyros. 3$^{ius}_{=}$ Clericus: Sanctus fortis. 2$^{dus}_{=}$ Clericus: Agios athanatos eleison imas. 3$^{ius}_{=}$ Clericus: Sanctus

[1] Bauldr. p. 4 cap. 10. art. 5. n. 6.

immortalis, miserere nobis.... 18. Circa finem adorationis primus Clericus accendit cereos Altaris, et tertius amovet legile cum Missale ab Altari. 19. Deinde secundus et tertius Clericus accedunt per planum ad Altare; alter ad cornu Evangelii, alter ad Epistolae, et explicant tobalcam Altaris. 20. Successive secundus Clericus portat ad Altare bursam cum corporali incluso, et super eam purificatorium: extrahit, et explicat corporale, et prope illud in parte Epistolae extendit purificatorium. 21. Tertius Clericus collocat Missale cum legili super Altare in cornu Evangelii apertum et inversum, ut in Missa. 22. Completa adoratione, Celebrans reportabit crucem ad Altare cum debitis genuflexionibus. 23. Clerici amovent tapete, pulvinar, velum et lancem, et apponitur ignis in thuribulo. 24. Celebrans apud scabellum in plano Epistolae resumit planetam, et aperto capite, accedit ante Altare.

Art. 4. *De processione ad sacellum, et regressu ad Altare cum ss. Sacramento.* 1. Celebrans ante Altare venit, et imponit sine benedictione et sine osculis incensum in thuribulo. 2. Dirigitur processio ad sacellum, ubi asservatur ss. Sacramentum hoc ordine. Vexillum Viatici, sodales, sive pii viri. Thuriferarius. Crux processionalis denudata et delata a tertio Clerico. Celebrans cum planeta, habens ante ipsum a sinistris secundum Clericum. 3. Ad sacellum: labarum et crux e regione Altaris: procedentes hinc inde sacellum in duas lineas, et juniores prope labarum, seniores propinquiores erunt Altari. 4. Celebrans, facta genuflexione in plano capellae, genuflectit in primo gradu Altaris, et orat parumper cum omnibus. 5. Surgit, aperit capsulam, genuflectit, descendit primum gradum, et stans imponit incensum in thuribulo sine benedictione et sine osculis: accenduntur cerei pro processione, et disponitur baldachinum sive umbella. 6. Celebrans genuflexus in suppedaneo incensat Sacramentum in capsula; surgit, et facta genuflexione, extrahit e capsula calicem, et ponit super Altare. 7. Genuflectit, claudit capsulam, in qua remanet pyxis cum particulis: iterum genuflectit, et descendit primum gradum. 8. Genuflexus in suppedaneo accipit velum humerale, surgit, et facta genuflexione, stans accipit, ut heri, calicem, et secundus

Clericus velo cooperit. 9. Celebrans vertit renes Altari faciem ad processionem, inchoat alta voce Hymnum *Vexilla regis prodeunt* etc., quem cum secundo Clerico prosequitur..... 10. Revertitur processio ad Altare, ordine sequenti: Vexillum Viatici. Sodales, sive pii viri cum cereis accensis. Crux processionalis. Thuriferarius continue thuribulum agitans. Celebrans sub baldachino, habens secundum Clericum ante se a sinistris. 11. In sacello remanent quatuor candelae accensae. 12. Vexillum reponitur extra cancellos; crux processionalis prope credentiam. 13. Sodales, et pii viri remanent extra cancellos: ibique dispositi, cereos usque ad officii finem in manibus tenebunt. 14. Baldachinum, sive umbella deponitur ante cancellos, et loco congruo collocatur. 15. Celebrans ascendit Altare, et calicem ponit super corporale: deinde genuflectit, surgit et descendit primum gradum Altaris. 16. Deponit velum, et stans imponit incensum in thuribulo sine benedictione et sine osculis: deinde genuflexus in suppedaneo Sacramentum incensat.

Art. 5. *De reliquo officio et ritu hujus feriae.* 1. Celebrans surgens accedit ad Altare et genuflectit; deinde solvit et amovet velum a calice, et deponit patenam super corporale. 2. Accepto calice, deponit ex eo sacram hostiam super patenam; deinde ambabus manibus patenam ipsam accipiens, collocat hostiam super corporale, nihil dicens, neque signans, et patenam ponit ubi alias, sed super corporale, non subtus. 3. Celebrans facta genuflexione, accipit calicem, et accedit versus cornu Epistolae, et calicem sinistra tenens, ponit in eo vinum et aquam sine benedictione, et nihil dicens. 4. Calix non abstergitur; sed ponitur in latere corporalis. 5. Celebrans accedit in medio, et facta genuflexione, reponit calicem in loco solito sine signo crucis, et cooperit palla. 6. In eodem loco stans ponit incensum in thuribulo absque benedictione et osculis. 7. Sumpto thuribulo, Celebrans genuflectit et thurificat oblata, dicens more solito: *Incensum istud.* 8. Post oblatorum incensationem, denuo genuflectit, et, juxta decretum 5. Julii 1698, incensat crucem, dicens interim: *Dirigatur Domine.* Tum repetita cruci genuflexione, prosequitur thurificationem Altaris, genuflectens quotiescunque transit in

medio. 9. Altari thurificato reddit acolytho thuribulum, dicens *Accendat* etc., sed non incensatur. 10. Celebrans cavens ne terga vertat Sacramento, descendit in cornu Epistolae super secundum gradum, aliquantulum extra Altare, ibique facie versa ad populum, lavat manus. 11. Ad medium regressus, genuflectit, surgit et mediocriter inclinatus, manibus super Altare junctis, dicit submissa, sed intelligibili voce: *In spiritu humilitatis* etc. 12. Tum osculatur Altare, genuflectit, et versus ad populum in cornu Evangelii, dicit: *Orate fratres,* et revertitur per eamdem partem, non perficiens circulum, et iterum genuflectit. 13. Non respondetur *Suscipiat.* 14. Celebrans junctis manibus ante pectus, in tono feriali, dicit: *Oremus: Praeceptis salutaribus* etc., et dum dicit: *Pater noster* etc., extendit manus. 15. Clerici respondent: *Sed libera nos a malo,* et Celebrans: *Amen,* sub silentio; et adhuc tenens manus extensas subjungit in priori tono feriali: *Libera nos* etc. *Amen.* 16. Celebrans genuflectit, surgit, discooperit calicem, supponit patenam hostiae, et tenens manu sinistra patenam super Altare, elevat dextra hostiam, ut ab omnibus videri possit. 17. Celebrans declinat hostiam immediate super calicem jam discoopertum, et statim dividit eam in tres partes, more solito, nihil dicens, quarum ultimam immittit in calicem, pariter nihil dicens, nec signans. 18. Cooperto calice, genuflectit, et postmodum surgens, manibus junctis super Altari, et inclinatus, dicit secreto: *Perceptio Corporis* etc, omissis duabus aliis Orationibus. 19. Celebrans iterum genuflectit, deinde, accepta patena cum hostia, ut alias, dicit: *Panem coelestem* etc. *Domine non sum dignus* etc., more solito ter percutiens pectus. 20. Hostia se signat, dicendo: *Corpus Domini nostri* etc., et se communicat. 21. Facta brevi meditatione, discooperit calicem et genuflectit. 22. Surgit, et collectis de more fragmentis, accipit ambabus manibus calicem, nihil dicens, nec se signans, et sumit reverenter ex eo particulam hostiae cum vino. 23. Celebrans, omissa consueta calicis purificatione, more solito, abluit digitos super calicem cum vino et aqua. 24. Surgunt interim omnes, et cerei extinguuntur. 25. Celebrans, sumpta in medio ablutione, calicem tegit, velo parvo nigro cooperit, atque

componit: et inclinatus, manibus junctis ante pectus, dicit secreto: *Quod ore sumpsimus* etc. 26. Primus Clericus calicem defert ad credentiam. 27. Celebrans descendens in plano Altaris, et facta cum Clericis genuflexione cruci, cooperto capite, revertitur in sacristiam. 28. Ibi deponit paramenta missalia et super cotta accipit stolam albi coloris.

Art. 6. *De pyxidis repositione.* 1. Celebrans, praecedente primo Clerico cum velo, et duobus aliis cum cereis, vadit ad sacellum, ubi pyxis remansit. 2. Facta genuflexione in plano, genuflectit in primo gradu inferiori, et orat parumper. 3. Surgit, ascendit Altare, aperit capsulam, genuflectit, accipit pyxidem, et eam collocat super corporale, et iterum genuflectit. 4. Descendens primum gradum genuflectit in suppedaneo, et accipit a primo Clerico velum pro humeris. 5. Ascendit Altare, genuflectit, et manibus velatis accipit pyxidem, et praecedentibus Clericis cum cereis accensis, reportat pyxidem, servandam in tabernaculo posito super Altare alicujus remotioris capellae in ecclesia, vel *(quod congruentius)* in sacristia. 6. Debitis genuflexionibus pyxidem servat: et ante eam lampas continuo ardeat. 7. Reposita pyxide, omnes genuflectunt, et datur signum meridianum Salutationis angelicae cum crotalo. 8. Tandem extinguuntur cerei Altaris, et omnia suis locis reportantur. 9. Si autem non adsit sacristia, vel capella remotior, ut supra; tunc pyxis remaneat in loco,[1] ubi calix repositus erat, et lampas ardens jugiter adsit.

§. VI. De Sabbato sancto.

Art. 1. *De praeparandis pro omnibus functionibus, in hac die persolvendis. Extra portam principalem.* 1. Mensa cum mantili albo et super eam: 2. Legile parvum cum Missali. 3. Patera argentea cum quinque globulis incensi. 4. Thuribulum et navicula cum thure. 5. Vas aquae benedictae cum aspersorio. 6. Manipulus, stola et dalmatica albi coloris. 7. Lanterna cum candela. 8. Item prope mensam, tripes cum foculo, in quo carbones accendendi pro novo igne. 9. Forcipes ferreae. 10. Arundo ornata cum tribus candelis in summitate.

[1] Bauldr. p. 4. cap. 10. art. 5. n. 11.

In Altari majori. 1. Altare cum cruce, et candelabris festivis. 2. Duplex in eo pallium, album subtus, et violaceum desuper. 3. Pes ligneus, vel basis marmorea in latere Evangelii pro firmanda arundine. 4. Legile pro Praeconio. 5. Cereus benedicendus, aptatus in candelabro magno a latere Evangelii, cum elychnio concinnato ad prompte flammam recipiendum, cum quinque foraminibus in modum crucis. 6. Lampades compositae.

In abaco Altaris majoris. 1. Mensa mantili albo cooperta. 2. Missale pro Praeconio et Missa. 3. Calix cum ornamentis coloris albi. 4. Pelvicula cum urceolis vini et aquae et manutergio.

In sacristia. 1. Quatuor superpellicea pro Clericis; amictus, alba, cingulum, stola, et pluviale coloris violacei, manipulus, stola et planeta violacea. 2. Manipulus, stola et planeta coloris albi. 3. Velum pro humeris albi coloris. 4. Cerei pro asportatione pyxidis.

In baptisterio, si adsit. 1. Mensa cooperta albo mantili pro abaco. 2. Manutergia num. duo. 3. Vas pro aqua benedicta et aspersorium. 4. Vasa ad extrahendam aquam e fonte. 5. Ampullae oleorum chrismatis et catechumenorum. 6. Vasa ad lavandas manus cum mica panis. 7. Bombacium ad manus inunctas tergendas.

Pro Baptismo, si ministrandus. 1. Rituale Romanum. 2. Pelvicula cum sale. 3. Vasa oleorum catechumenorum, et chrismatis cum bombacio. 4. Stola et pluviale albi coloris. 5. Linteolus ad abstergendum caput infantis. 6. Alius linteus aptatus pro veste candida. 7. Cereus accendendus.

Art. 2. *De principio officii, usque ad benedictionem cerei.* 1. Extra ecclesiam excutitur novus ignis e silice, et accenduntur carbones in foculo. 2. Hora competenti, quatuor Clerici accipiunt superpellicea in sacristia, et disponunt omnia suis locis. 3. Dato signo cum crotalo, Celebrans, lotis manibus, accipit supra cottam, amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale coloris violacei. 4. Proceditur ad portam principalem, hoc ordine. Primus Clericus manibus junctis. Tertius Clericus cum cruce processionali. Celebrans inter Clericos secundum et quar-

tum. 5. Extra portam Clericus cum cruce sistit in limine portae, renes eidem vertens, facie crucifixi versa ad Celebrantem. 6. Celebrans sistit ante mensam collocatam inter ipsum et crucem. 7. Ibidem stans, et ex Missali super legile, legens, benedicit ignem tribus Orationibus; deinde unica Oratione grana incensi. 8. Dum Celebrans benedicit incensum, primus Clericus accipit forcipe novum ignem benedictum, et ponit in thuribulo. 9. Celebrans imponit cum benedictione et osculis incensum in thuribulo; deinde aspergit ignem, et grana, dicens Antiph. *Asperges me* etc., et eadem thurificat. 10. Thuriferarius recepto thuribulo, ponit alium novum ignem in eo. 11. Celebrans deposito pluviali ac stola coloris violacei, accipit manipulum, stolam in humero sinistro, more diaconorum, et dalmaticam albi coloris. 12. Interim secundus Clericus accendit candelam de novo igne, et recondit in lanterna, et quartus accipit pateram cum granis incensi. 13. Celebrans iterum ponit incensum in thuribulo cum benedictione et osculis, et postea accipit arundinem. 14. Proceditur ad benedictionem cerei, ordine sequenti. Clericus cum granis incensi a dexteris, et thuriferarius a sinistris. Tertius Clericus cum cruce. Celebrans cum arundine, et secundus Clericus cum lanterna a sinistris ejus. 15. Clerici cum granis, thuribulo, et cruce ingrediuntur ecclesiam, et sistunt, quando Celebrans ingressus fuerit januam ecclesiae. 16. Celebrans ingressus ecclesiam inclinat arundinem, et accensa ex lanterna una ex tribus candelis per secundum Clericum, genuflectit, genuflectentibus omnibus, excepto tantum Clerico portante crucem. 17. Celebrans genuflexus, clara voce dicit: *Lumen Christi;* tum surgit, surgentibus omnibus, et Clerici respondent: *Deo gratias.* 18. Proceditur usque ad medium ecclesiae, ubi secundo fiunt omnia, ut supra, accensa secunda candela; praeter modulationem vocis, quae alta esse debet. 19. Proceditur tandem ante gradus Altaris, et accensa tertia candela, tertio fiunt antedicta cum altiori voce.

Art. 3. *De benedictione cerei.* 1. Responso pro tertia vice, post *Lumen Christi,* a Clericis *Deo gratias,* surgunt omnes, et formant rectam lineam cum Celebrante in medio eorum ante Altare. 2. Secundus Clericus secedens deponit lanternam super

credentiam, et accipit Missale pro Praeconio, et tradit illud Celebranti, qui vicissim dat illi arundinem. 3. Celebrans, tenens Missale in manibus genuflectit in infimo gradu Altaris, et non praemisso: *Munda cor meum*, dicit tantum *Jube Domine benedicere. Dominus sit in corde meo, et in labiis meis, ut digne, et competenter annuntiem suum paschale Praeconium. Amen.* 4. Deinde surgens, ac facta cum omnibus genuflexione Altari, accedit ad legile paratum in plano Evangelii pro Praeconio hoc ordine. Thuriferarius habens a dextris quartum Clericum cum granis incensi. Tertius Clericus cum cruce habens a sinistris secundum Clericum cum arundine. Celebrans cum Missali. 5. Cum pervenerint ad legile, supradicti sic apud illud se disponunt recta linea, et vertentes faciem sicut Celebrans: Celebrans ponit Missale super legile; Clericus cum cruce a dextris Celebrantis; thuriferarius a dextris supradicti cum cruce; Clericus cum arundine a sinistris; Clericus cum granis a sinistris arundinis. 6. Celebrans accedente thuriferario incensat Missale apertum super legile, et incipit Praeconium: *Exultet* etc., clara, et hilari voce. 7. Ad verba: *Curvat imperia*, infigit grana incensi, hoc ordine:

1
4 2 5
3

8. Quartus Clericus deponit in credentia pateram, ubi erant grani incensi, et accipit virgam cum candelula superinflexa, et redit ad[1] pristinum locum a sinistris Clerici cum arundine. 9. Ad verba: *Rutilans ignis accendit*, Celebrans ex arundine cereum accendit. 10. Ad verba: *Apis mater eduxit*, quiescit, donec quartus Clericus ex cereo, per candelulam in virga, lampadem, vel lampades accendat. 11. Finito Praeconio Celebrans claudit Missale; secundus Clericus firmat arundinem in sua basi a latere Evangelii; tertius deponit crucem in latere Epistolae. 12. Deinde, praecedentibus thuriferario cum Clerico de granis a sinistris, ac secundo et tertio Clerico, facta genuflexione Altari, revertitur in sacristiam. 13. Ibi depositis para-

[1] Bauldr. p. 4. cap. 11. art 3. n. 7.

mentis albis, accipit manipulum, stolam et planetam coloris violacei.

Art. 4. *De Prophetiis.* 1. Celebrans paratus, ut supra, praecedentibus Clericis, procedit ad Altare. 2. Facta reverentia cruci, ascendit ad Altare, osculatur illud in medio, et accedit ad cornu Epistolae. 3. Ibi alta voce legit duodecim Prophetias, Orationes et Tractus: genuflectens cum omnibus, dum ante Orationes, excepta ultima dicit: *Flectamus genua,* et Clericus surgens respondet *Levate.* 4. Completa ultima Oratione, Celebrans, facta ibidem reverentia cruci, descendit ad scabellum in plano Epistolae et deponit planetam et manipulum. 5. *Si ecclesia habuerit fontem baptismalem, Celebrans accipit pluviale violaceum, et sedet. Si autem fontem non habet, accedit sine casula ante Altare pro Litaniis.* Procedamus nunc ad benedictionem fontis, ne aliquid in hoc Memoriali desideretur.

Art. 5. *De benedictione fontis.* 1. Sedente Celebrante, ut supra, primus Clericus amovet cereum accensum e candelabro, et accedit ante Altare. 2. Tertius Clericus accipit crucem, et similiter venit ante Altare. 3. Duo alii Clerici accedunt ad Celebrantem. 4. Celebrans surgens incipit alta voce Tractum *Sicut cervus* etc. ut infra, quod lente prosequetur cum suis Clericis. 5. Inchoato Tractu, dirigitur processio ad fontem, facta reverentia Altari, hoc ordine: Clericus cum cereo, Clericus cum cruce, Celebrans medius inter Clericos, recitans, tecto capite, Tractum. „℣. Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te, Deus. ℣. Sitivit anima mea ad Deum vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei? ℣. Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi per singulos dies, ubi est Deus tuus.“ 6. Ante cancellos fontis sistunt omnes, et Celebrans, facie versa ad crucem, expleto Tractu, dicit: *Dominus vobiscum,* et Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus* etc., sustinente librum quarto Clerico. 7. Clericus cum cereo, et deferens crucem ingrediuntur cancellos baptisterii, si loci capacitas sinat: stabunt vero semper ante faciem Celebrantis. 8. Celebrans accedit prope fontem, et dicit secundam Orationem et Praefationem, ut in Missali, tenens semper manus junctas.

9. Intra Praefationem, juxta proprios rubricae locos, haec peragit:

1. Post verba: *gratiam de Spiritu sancto*, dividit aquam manu dextera in modum crucis, et immediate manum tergit. 2. Post verba: *non inficiendo corrumpat*, tangit aquam manu, et deinde tergit. 3. Post verba: *indulgentiam consequatur*, facit tres cruces supra fontem manu dextera. 4. Post verba: *super te ferebatur*, dividit manu dextera aquam, et effundit versus quatuor mundi partes, orientem, occidentem, aquilonem et austrum, hoc modo:

1
3 4
2

5. Post verba: *in nomine Patris* etc., mutat vocem in modum Lectionis. 6. Post verba: *tu benignus adspira*, halat ter in aquam in modum crucis. 7. Post verba: *purificandis mentibus efficaces*, immittit aliquantulum cereum in aquam, dicens: *Descendat in hanc plenitudinem* etc., et extrahit. Immittit secundo profundius, et tono aliquanto altiori repetit: *Descendat in hanc* etc., et pariter extrahit. Immittit tertio usque ad fundum, et altiori adhuc voce repetit: *Descendat* etc., et non extrahit. 8. Ter sufflat immediate in aquam in formam tridentalem, juxta figuram in Missali, et prosequitur: *totamque hujus aquae* etc. 9. Post verba: *foecundet effectu*, extrahit cereum, qui panno abstergitur.

10. Prosequitur Praefationem, quam concludit humiliori voce, dicendo: *Per Dominum nostrum* etc., et adstantes respondent: *Amen*. 11. Secundus Clericus accipit vas pro aqua benedicta, et cum eo haurit aquam ex fonte. 12. Celebrans, accepto aspersorio intincto in aqua fontis, aspergit se, et circumstantes; deinde, medius inter Clericos, aspergit omnes per ecclesiam de dicta aqua, et revertitur ad fontem. 13. Extrahitur aqua benedicta pro fontibus lustralibus, benedictionibus domorum et esculentorum, ac aspersione in crastinum. 14. Celebrans accedens ad fontem, infundit in aquam oleum catechumenorum in modum crucis, dicens: *Sanctificetur* etc. 15. Deinde similiter chrisma, dicens: *Infusio chrismatis* etc. 16. Tandem infundit simul utrumque oleum,

pariter in modum crucis, dicens: *Commixtio chrismatis* etc. 17. Miscet manu sua olea infusa cum aqua, et spargit per omnem fontem. 18. Abstergit manum bombacio; deinde lavat manus cum mica panis.

Art. 6. *De Baptismo parvulorum. Duo potissimum* (verba sunt Ritualis Romani) *ex antiquissimo Ecclesiae ritu, sacri sunt dies, in quibus solemni caeremonia hoc Sacramentum administrare maxime convenit, nempe Sabbatum sanctum Paschae, et Sabbatum Pentecostes, quibus diebus baptismalis fontis aqua rite consecratur.* Ad parvulorum igitur Baptismum, solemniter administrandum, Celebrans, expleta, ut supra, fontis benedictione, ordine, ut infra, procedat.

1. In fine benedictionis fontis disponuntur baptizandi cum eorum patrinis extra limen ecclesiae. 2. Celebrans, lotis manibus, praecedente Clerico cum cruce, et remanente apud fontem alio Clerico cum cereo, accedit cum aliis duobus Clericis ad limen ecclesiae. 3. Ibi Celebrans procedit, ut in Rituali ad catechismum etc., usque ad introductionem infantis in ecclesiam, pro qua 4. Celebrans imponit super infantem extremam partem stolae, pendentem a suo humero sinistro, et introducit eum in ecclesiam, dicens: N. *Ingredere in templum Dei* etc. 5. Deinde, dicto *Credo et Pater noster*, versis renibus ostio cancellorum baptisterii, dicat exorcismum, tangat saliva aures, et nares infantis; eumdemque oleo catechumenorum ungat in pectore et inter scapulas. 6. Stans ibidem extra cancellos Celebrans deponit pluviale et stolam coloris violacei, et sumit stolam, et pluviale albi coloris. 7. Praecedente cruce ingreditur baptisterium, in quod ingrediuntur patrini cum infantibus. 8. Celebrans ad fontem interrogat: N. *Credis* etc., N. *Vis baptizari?* 9. Responso a patrinis: *Volo,* Celebrans procedit ad baptismum, vel per immersionem, si in baptisterio sit tantummodo unicus fons continens aquam benedictam, vel per infusionem, si habeatur duplex fons: alter cum aqua benedicta, et alter vacuus, qui per foramen excurrere faciat in sacrarium aquam baptismalem, profluentem e capite infantis baptizati super eumdem fontem vacuum. 10. *Si baptizet per immersionem,* Celebrans, accipiens infantem, ac ipse solus eum

sustinens, caute caput ejus immergit, et trina mersione baptizat, et semel tantum dicit: N. *Ego te baptizo* etc., et infantem completa forma, statim tradit susceptoribus. 11. *Si vero per infusionem,* tunc patrino, vel matrina, vel utroque infantem tenente super altero fonte vacuo sine aqua, celebrans vasculo accipit aquam baptismalem ex altero fonte, et de ea ter fundit supra caput infantis in modum crucis, et simul verba proferens, semel tantum, distincte et attente dicat: N. *Ego te baptizo* etc. 12. Absterso capite infantis, Celebrans dicens: *Deus omnipotens* etc., sacro chrismate inungit summitatem capitis baptizati. 13. Deinde, data veste candida, et candela accensa et dicto: N. *Vade in pace* etc., patrinos admonet, et parentes infantis admoneri curat, ut in Rituali. 14. Celebrans lavat manus, et depositis pluviali, ac stola albis, resumit stolam et pluviale violaceum.

Art. 7. *De Litaniis et Missa cum Vesperis.* 1. Praecedente Clerico cum cereo et cruce processionali, Celebrans subsequitur cum suis Clericis, et redit ante Altare. 2. Cereus figitur proprio candelabro et crux deponitur in cornu Epistolae. 3. Celebrans, stans ante Altare, deponit pluviale tantum. 4. Idem genuflexus, omnibus similiter genuflectentibus, recitat Litanias ex Missali posito super scabello ante seipsum. 5. Clerici respondent, et repetunt omnia, quae Celebrans dicit. 6. Ad Vers. *Peccatores,* tollitur pallium violaceum ab Altari: accenduntur candelae, et vasa florum inter candelabra apponuntur. 7. Celebrans prosequitur Litanias, usque ad *Christe exaudi nos,* inclusive. 8. Surgit Celebrans, et praecedentibus Clericis, accedit in sacristiam; ubi, deposita stola violacea, accipit manipulum, stolam et planetam albi coloris. 9. Celebrans comitatus a Clericis, ut supra redit ad Altare, ante cujus gradus facit confessionem de more, cum Psal. *Judica me* etc. et *Gloria Patri.* 10. Ascendit Altare, completaque Oratione: *Aufer a nobis* etc. in ejus medio, dicit immediate *Kyrie eleison,* ut alias, cum non legatur Introitus. 11. Ad *Gloria in excelsis* pulsantur campanae, quae usque ad hanc horam siluerant, (modo signum datum fuerit ab ecclesia matrice). 12. Post Epistolam Celebrans dicit ter *Alleluja,* elevando gradatim vocem, et Clerici, post

quamlibet vicem, in eodem tono repetunt illud, et Celebrans prosequetur Versum et Tractum. 13. Non dicitur *Credo,* et post *Dominus vobiscum* non legitur Offertorium. Non dicitur *Agnus Dei,* neque datur hodie osculum pacis. 14. Loco Antiph. *Communio,* dicuntur Vesperae, ut in Missali, videlicet: 15. Celebrans in cornu Epistolae dicit Antiph. *Alleluja* etc., et cum Clericis prosequitur Psalm. *Laudate* etc., et in fine repetitur *Alleluja.* 16. Deinde subdit Ant. *Vespere autem* etc. cum Cantico *Magnificat.* 17. Repetita Ant. *Vespere* etc. Celebrans accedit ad medium Altaris, osculatur illud, et versus ad populum dicit: *Dominus vobiscum,* et postea Orationem in solito cornu Epistolae. 18. Post *Ite Missa est,* additur *Alleluja, Alleluja.* 19. Completo Evangelio s. Joannis, revertitur in sacristiam, et missalia paramenta deponit.

Art. 8. *De reportatione pyxidis.* 1. Celebrans accipit super cottam, stolam albam, et praecedentibus Clericis cum cereis, et alio cum bursa corporalium, et velo humerali, accedit ad locum, ubi asservatur pyxis cum particulis. 2. Ibi, adhibitis debitis genuflexionibus, accipit velatis manibus pyxidem, quam portat in solito tabernaculo servandam. 3. Revertitur in sacristiam, in qua, depositis sacris vestibus, legit Antiph. *Trium puerorum* etc. cum *Alleluja,* et Canticum, et Psalmum, et Orationes pro gratiarum actione. 4. Interim per Clericos extinguuntur cerei Altaris. 5. Item tres candelae in cuspide arundinis, quae amplius non accenduntur, et arundo ipsa amovetur omnino. 6. Item extinguitur cereus paschalis; qui tamen, remanens in suo candelabro, accendetur in Missis in omnibus Dominicis ac festis Domini, et Sanctorum de praeceptis, et usque ad Evangelium inclusive in die Ascensionis Domini; quo dicto, cereus extinguitur, et completa Missa removetur e candelabro et servatur accendendus in Vigilia Pentecostes ad benedictionem fontis.

Sanctificati hucusque sacris ritibus sabbati, paschalibus initiati mysteriis, aequali religionis cultu properetur ad Dominicam Resurrectionis diem. Dies, *nobilitas anni,*[1] *mensium lux,*

[1] Ex Hymnario S. Gregorii.

alma dierum, horarum splendor; dies, quam fecit Dominus. Exultemus igitur et laetemur in ea, suffulti meritis, et intercessione praecelsae Genitricis Dei Mariae, quam cum S. Methodio experiamur [1] *Gaudium nostrum ineffabile.* Amen.

Caput tertium.

De caeterarum functionum ritibus. [2]

§. I. De Vesperis.

1. Celebrans, cotta indutus, praecedentibus acolythis, incedit ad Altare, dein ad sedem sibi paratam accedit, ibique recitat *Pater* et *Ave,* intonatque *Deus in adjutorium.* Pluvialis extremitates, si deferat sacerdos, acolythi hinc inde elevant, eundo ad Altare.

2. Ipse Celebrans primam Antiphonam, Hymnum et Antiphonam ad *Magnificat* incipere debet. Caeterae Antiphonae a Clericis, si periti sint, intonandae sunt. [3]

3. Ad cantores, qui cottis induti adsunt in medio chori pertinet incipere Psalmos. Itidemque ab illis Versus et *Benedicamus Domino* cantantur, aut a duobus acolythis. Nihil tamen impedit, quin Psalmi incipiantur ab unico cantore, de suo loco (By. Cav.).

4. Thurificatio permittitur. Si thurificatur Altare, duo Clerici Celebranti naviculam et thuribulum ministrant, et eadem praestant, quae pluvialistae in Vesperis solemnibus. Alter ex eis post thurificatum Celebrantem, chorum ac populum thurificat.

---

[1] In Homil. de Purif. B. M.

[2] Hic loci adnotasse sufficiat, quae in istis functionibus a solemnioribus differant; hinc pro majore dilucidatione ad sequentem sectionem recurrendum erit. Quod ad aquae benedictionem aspersionemque attinet, vide supra cap. II. §. 2.

[3] Ante Celebrantem adsit genuflexorium, vel pulpitum mobile ad cantandas Orationes et Capitulum.

5. Si acolythos cum candelabris adhibere juvabit, ea quae in sequenti sectione explicantur, servabunt.

§ II. De repositione ss. Sacramenti, seu Salute.

1. Induet Celebrans superpelliceum et stolam (S. C.) ac pluviale, si functio sit solemnis cum ostensorio; et cum adhibet pluviale, defert albam, sed sine manipulo (Rev. Theol.). Quem comitatur Sacerdos, aut Diaconus cum cotta, qui stolam assumet tantum cum ss. Sacramentum tractare debet (S. C.). Canonico sufficit rochettum absque cotta (S. C.).

2. Ministri inferiores adhibentur thuriferarius et ceroferarii. Non prohibetur tamen insuper adhibere acolythos cum suis candelabris.

3. Durante functione, ad Altare celebrans manet genuflexus. Surgit tamen ad *Te Deum* (S. C.), et ad alias preces, quae semper stando canuntur, ut *Regina coeli, Magnificat* (Rev. Theol.). Non in gradibus Altaris, sed retro in plano capellae genuflectunt acolythi et ceroferarii (Cav.), quorum alter Celebranti Orationes cantanti librum sustinet (Cav.).

4. Datur benedictio eo modo, quo explicabitur, cooperiendo pyxidem extremitatibus veli humeralis. Expleta benedictione Celebrans immediate pyxidem tabernaculo recludit, genuflectit, portam tabernaculi obserat, dein praecedentibus Clericis ad sacristiam redit capite cooperto.

§. V. De Processionibus

1. Primus incedere debet crucifer, a cujus latere procedunt acolythi cum candelabris. Celebrans superpelliceum, et, si libet, pluviale induet. Sed in processione cum venerabili Sacramento necessario utitur pluviali (S. C.).

2. Gestando sive reliquiam, sive ss. Sacramentum, operto capite incedet Celebrans (S. C.).

3. Decet, ut procedendo cantet Celebrans, modo aliquid in manu non gestet; imo etsi deferat, utiliter cantores adjuvabit.

4. Adsit, in quantum fieri potest, Clericus, qui caeremoniarii munus impleat, processionem dirigendo.

5. In processione cum ss. Sacramento, saltem unus, et si haberi possunt, duo thuriferarii sine intermissione thure ss. Sacramentum adolebunt.

6. In benedictione, quae datur ad Altaria per viam erecta, modum pro ultima benedictione praescriptum servabit Celebrans.

7. Cum vero incipiendo processionem dici debet, *Procedamus in pace,* ab ipso Celebrante cantatur.

§. IV. De exequiis.

1. Praecedente Clerico crucem deferente, Sacerdos superpelliceo et stola nigri coloris indutus, procedit ad domum defuncti; ibique cruce ad parietem deposita, Clericus aspersorium tradit Sacerdoti, qui Psalmum *De profundis* postea recitat.

2. Cum elevatur cadaver, Celebrans inchoat Antiphonam *Exultabunt,* deinde Psalmum *Miserere*, altera manu Rituale, altera vero cereum, quem domi accepit, tenens.

3. Ingrediendo ecclesiam, incipit Responsorium *Subvenite,* et ad suum locum in choro vadit, ut ibi expleat officium defunctorum. Nota, quod antequam recedat in sacristiam ibi accepturus paramenta, officium terminare Orationemque cantare debeat (S. C.).

4. Tempore Absolutionis si non habeatur Clericus, qui crucem teneat, ea in pede locatur ad caput defuncti; et Clericus incensum, aspersorium ac thuribulum ministrabit Celebranti, quem duobus vel tribus passibus praecedet circumeundo tumulum; aut si Celebrans pluviale deferat, illius extremitatem a latere dextro elevabit.

5. Item Clericus librum apertum ante Celebrantem sustinebit, qui in eo cantat: *Non intres,* vel Orationem, et loco

convenienti birretum deponet. Est abusus et corruptela, si capite cooperto Celebrans tumulum circumeat.

6. In coemeterio, unus ex acolythis cum cruce sistit se ad caput sepulchri, alter vero Celebranti aspersorium ministrat librumque tenet.

7. In fine Celebrans recitat, aut cantat *Requiescat in pace,* et revertitur in sacristiam voce submissa dicens Psalmum *De profundis.*

8. In exequiis parvulorum, pro possibili servabit ea, quae de hac re in sequenti sectione exponuntur.

Sectio tertia.

Caeremoniale functionum in majoribus ecclesiis.

Caput primum.

Animadversiones generales.

§. I. De cantu et organo.

1. Cum sancta Ecclesia nihil fere magis cordi habeat, quam ut uniformitas observetur in caeremoniis, quae publice exercentur et in oculos ac aures cadunt assistentium; ideo merito non solum diversas actiones ministrorum sacrorum in suis respective functionibus, sed etiam, ab incunabilis Christianismi, similes pro tono et cantu moderando formas praescripsit. Permultum ergo refert, ne officia divina languescant et audientibus fastidium afferant, ut quisque tum his regulis studeat, tum et omnem operam in illis fideliter observandis impendat.

2. Cantus ecclesiasticus vocatur planus, quatenus distinguitur a cantu figurato aut musicali. Qui cantus nihilominus non est adeo simplex et uniformis, quin habeat aliquas modulationes, tam in modo quam in vocis tono: hae vero diversi-

tates pauciores sunt, et subjiciuntur regulis simplicibus ac facilibus.

2. Etsi cantus, quo in divinis officiis utitur sancta Ecclesia,[1] non sit illa musica, quae longis brevibusque temporibus mensuratur, sed genus musicae primum et naturale, notis incerti valoris constitutum, non tamen ita aequalibus momentis notae cantandae sunt, ut videantur penduli oscillationes. Syllabae, verba, phrases ita cantu exprimantur, ut quae sunt audiantur.

3. Annotantur in libris liturgicis tres species notarum; brevis, quae valet unum tempus ▪, semi brevis, quae tantum semi tempus habet ♦, et longa, quae valet tempus cum dimidio ▪|. Verum hi modi non sunt stricte et praecise sumendi, sed circiter, quatenus modulatio adsit aliqua naturalis, non proprie mensurata.

4. Prout ritus officii plus minusve elevatur, adhibetur tonus solemnis, aut tonus simplex seu ferialis: quod et praecipue locum habet in Orationibus, Praefationibus et in Oratione dominica. Missae votivae, quae non cantantur solemniter ob causam gravem, aequivalent Missis ferialibus. Quod, ut videtur, Missale insinuat, indicans Praefationes feriales de Cruce, de sancto Spiritu, de sancta Trinitate, de B. V. Maria, de Apostolis, cantandas esse in Missis votivis, unam alteramve ex istis Praefationibus exigentibus. Ast festa duplicia et semiduplicia, juxta Caeremoniale Episcoporum, lib. I. cap. 17, gaudent ritu festivo. Caetera vero officia, extra ordinem Matutini, Laudum, Vesperarum et Missae, habent semper, sine exceptione, tonum simplicem. Sic in Laudibus vespertinis, quantumvis solemnibus, Orationes cantantur in tono simplici (V.). Attamen adhiberi poterit depressio finalis de *fa* ad *re*, ad concludendas Orationes Laudum vespertinarum, et alias, quae non comprehenduntur in horis canonicalibus, ut indicat *Directorium chori*.

5. In Orationibus tonus solemnis habet duas tantum modulationes, quarum prior fit descendendo per duas notas et

[1] Vide Lohner *Instruct. pract. Miss.* part. II. tit. 33.

ascendendo ad tonum primitivum, ut . Quae modulatio, quae olim vocabatur punctum principale, fit versus medium Orationis aut in fine periodi, quae gemino puncto terminatur, et praeterea in clausula, versus Orationis finem ad verba: *Spiritus sancti, Deus.*

6. Posterior modulatio vocata semi punctum fit descendendo uno semi tono, et resumendo statim tonum primitivum . Adhibetur, dum, post primam modulationem, quae reperitur versus medium Orationis, altera reperitur, quae constat duobus punctis, vel puncto et commate, aut etiam quandoque uno commate. Adhibetur pariter post prima verba conclusionis et fit semper ad *Filium tuum.* En exemplum harum modulationum, extractum ex Caeremoniali, juxta usum capellae pontificalis.

De-us, qui in-ter cae-te-ra po-ten-ti-ae tu-ae

mi-ra-cu-la, e-ti-am in se-xu fra-gi-li

vi-cto-ri-am mar-ty-ri-i con-tu-li-sti; con-ce-de

pro-pi-ti-us, ut qui be-a-tae Mar-ti-nae vir-gi-nis

et mar-ty-ris tu-ae na-ta-li-ti-a co-li-mus,

per e-jus ad te ex-em-pla gra-di-a-mur. Per

Do-mi-num no-strum Je-sum Christum Fi-li-um tu-um,



7. Tonus simplex generaliter nullam modulationem admittit, Orationesque cantantur uniformi voce. Cujus haud utile erit afferre exemplum; observandum est tamen, qualiscumque sit tonus, simplex solemnisve, Orationes graviter cantandas esse, ac morulam convenientem habendam in clausulis. „Re„gulare autem est, ut in utroque tono, voce gravi, et compe„tenti, interposita aliqua mora, in fine cujuslibet clausulae et „praesertim in clausula finali, ac cum decore et gravitate re„citentur Orationes," ait Caerem. Episc. Notandum insuper est, verba *Dominus vobiscum* et *Oremus* cantanda esse in tono simplici, ut supra indicatur. Huicce regulae uniformis toni, dum ritus est simplex, nonnulla fit exceptio: 1° pro *Oremus* ante *Flectamus genua* vel *Humiliate;* 2° pro Versiculis et Orationibus cantari solitis pro defunctis, extra Missam aut officium defunctorum. Sit exemplum excerptum ex Caeremoniali Episcoporum:



8. Ad bene cantandam Epistolam, juxta Lohner, tres regulae servandae sunt. 1° Verba lente et graviter, observatis punctis et quantitate, pronuntiare; 2° omnia cantare in eodem tono, non secus ac Orationes in ritu simplici; 3° modulari ut hic habetur, si reperiatur interrogatio:

Evangelium differt ab Epistola quoad secundam regulam. Quarta quintave syllaba ante quodque punctum, per tertiam deprimatur pro una nota tantum; et in fine Evangelii, sexta vel septima simili modo deprimatur, et paulatim elevetur, ut in adjectis paradigmatis videre est.[1]



9. Cantus Praefationum et *Orationis dominicae* scriptus est in Missalibus, item praecinatio *Gloria* et *Credo;* hinc inutile est, eumdem hic referre. *Ite Missa est* respondet *Kyrie eleison,* uti videri potest in Missali. Solummodo indicemus breviter

[1] Vinitor, datis eodem modo, quo Lohner tonis Epistolae et Evangelii, *tonus Epistolae, tonus Evangelii,* diversum postea tonum, fere conformem tono, qui generaliter in Gallia et in Belgio in usu est, indicat; illum vocat *tonum ad cantandum Epistolam et Evangelium.* De hoc autem nullam explicationem facit. An ita tonum, quo utebantur in ecclesiis Coloniensibus tempore, quo vivebat, scribere intenderit, valde probabile est.

tonum confessionis generalis, *Confiteor,* quam cantat Diaconus, in Communionibus solemnibus in Missa. Deprimitur per tertiam ad ultimam syllabam verborum sequentium: *Omnipotenti, Virgini, Archangelo, Baptistae, Paulo, mea culpa,* bis, *Virginem,* et eorumdem verborum, quae supra, in secunda parte relata sunt. Ad *tibi pater* et *te pater,* imitantur interrogationem Epistolae. Finaliter, ad verba *verbo* et *opere, maxima culpa, Deum nostrum,* fit modulatio particularis. Demus singulorum specimen.

10. Ad cantandas Lectiones, deprimitur vox de *ut* ad *fa,* cum adest punctum. Interrogatio fit ut interrogatio Epistolae. Insuper dum phrasis clauditur monosyllaba voce, aut voce hebraica, deprimitur ad tertiam et statim fit ascensus ad dominantem. Lectiones tenebrarum et officii defunctorum claudantur ut Versiculi. Prophetiae cantantur ut Lectiones, excepto quod ad punctum finale, vox non deprimitur ad quintam, sed uniformiter clauditur in tono dominante, vocem morose ducendo.

Deus in adjutorium, in diebus ferialibus, cantatur sine vocis inflexione; ast in dominicis, semiduplicibus, et festis solemnibus cantatur in tertio tono.

Ad Capitulum, interrogationes, voces monosyllabae aut hebraicae, subjiciuntur iisdem regulis, quibus in Lectionibus usus habet; ast finalis ordinaria, itemque finalis *Deo gratias,* fit per *la, sol, la.* Puncta fiunt *recto tono.*

Versiculus precum in diebus jejuniorum dicitur absque ulla modulatione; in simplicibus, feriis, et in commemorationibus, admittit clausulam *fa re,* seu *ut la;* in semiduplicibus et superioribus, habetur neuma de quo exemplum damus.

Ad Matutinum tenebrarum et in officio defunctorum, Versiculi habent finalem particularem, quae pariter Lectionibus adaptatur.

11. A. Tonus *Absolutionum, Benedictionum* et *Lectionum.*



vestrum. Tu au-tem, Do-mi-ne, mi-se-re-re no-bis.

℟. Deo gra-ti-as. Con-tra nos. Vo-bis. A-men. Is-ra-el.

B. Tonus *Capituli et Versiculorum cum responsis.*

Christus re-surgens ex mor-tu-is.. non do mi-na-bi-tur . . .

mor-tu-us est se-mel: quod au-tem vi-vit, vi-vit



De-o. ℟. De-o gra-ti-as. Sae-cu-lo-rum. A-men.



Su-per te or-ta est. De-o gra-ti-as. ℣. Ex



Si-on spe-ci-es de-co-ris e-jus.



℟. De-us no-ster ma-ni-fe-ste ve-nie - - - t.

℣. Di-vi-se-runt si-bi ve-sti-menta me-a. ℟. Et



su-per ve-stem me-am mi-se-runt sor-tem.

In fine Horarum, *Dominus det nobis suam pacem,* et *Divinum auxilium* post Antiphonam dicuntur *recto tono.* In

Oratione Antiphonae deprimitur vox ad tertiam, tum in fine Orationis tum in fine conclusionis. In officiis defunctorum Psalmi cantari incipiunt per dominantem. *Requiem aeternam* et *Lux perpetua* in duos Versiculos dividi debent.

12. Cantores *Introitum* tantum incipere possunt et debent, dum Celebrans ad Altare pervenit; et Sacerdos non potest prosequi Missam, postquam recitaverit *Credo*, nisi cantus absolutus fuerit. Insuper, juxta Caeremonialis Episcoporum praescriptum, non licet cantare durante elevatione, et Sacerdos illam facere non potest, nisi omni cantu cessante. Quocirca *Benedictus, qui venit* post elevationem absolutam incipi et cantari debet. Attamen, antequam resumatur *Benedictus*, cantari potest *Tantum ergo*, vel *O salutaris*, vel quid aliud in honorem ss. Sacramenti (S. C.) Antiphona *Communio* inchoari non potest, nisi postquam Sacerdos sumpserit ss. Sanguinem (Caer. Ep.).

Stent cantores (R.) ante librum in medio Chori positum (Caer. Ep.). Ipsorum est intonare, cum secus non indicatur (Caer. Ep.). Versiculi semper a duobus cantantur (S. C.). Dum ad quaedam verba genuflectendum est, tantum genuflectunt in fine horum verborum, si aliquantula mora sit (S. C.). Sed ad primam stropham quorumdam Hymnorum, *Veni Creator*, *Ave Maria* etc., flectunt utroque genu ad prima verba, et se erigunt ad prosequendum cantum (AA.).

13. Organum pulsatur omnibus diebus dominicis et festivis anni, et quandocumque Missa solemniter cantatur,[1] similiter in Missa feriae quintae in coena Domini usque ad *Gloria* inclusive, et in Missa Sabbati sancti incipiendo a *Gloria*, et si lubet, per totam Missam (S. C.). Tacet[2] vero in dominicis et feriis Quadragesimae et Adventus (excepta Missa dominicae *Laetare* et *Gaudete*), ac in officio et Missa defunctorum (Caer. Ep.).

14. In Missa, ad *Kyrie, Gloria, Sanctus* et *Agnus Dei*, in Hymnis ad *Te Deum*, et ad *Magnificat* Vesperarum, organum

[1] Si talis moris sit, potest pulsari organum in Missis conventualibus, licet non cantatis festorum solemnium, et in prima Missa neopresbyteri (S. C.).

[2] Admittunt tamen, quod organum adhibeatur, ad cantum sustinendum, sed excepto tempore Passionis. *(Rev. theol.)*.

alternatim pulsatur. Regulare autem est, quod primus versus Hymnorum Canticorumve, versus *Gloria Patri,* ultima stropha item strophae, in quibus genuflectendum est, cantantur a choro in tono intelligibili, non autem ab organo. Organi sonus substituitur cantui post Epistolam, ad Offertorium, ad Communionem Missae. Pulsatur etiam in initio et in fine Missae. Ad Vesperas pulsari solet organum loco Antiphonae in fine cujusque Psalmi, sed non post *Magnificat,* quia Antiphona necessaria est cantanda (*Rev. theol.*). Ad *Credo* organum non intermisceatur cantui, sed dum elevatur ss. Sacramentum graviori dulciorique sono pulsetur (Caer. Ep.). Organum pariter substitui potest choro in responso ad *Ite Missa est,* vel ad *Benedicamus Domino,* in Missa et in Vesperis (M. L.). Quandocumque per organum figuratur aliquid cantari, ab aliquo de choro pronuntietur intelligibili voce (Caer.), vel saltem submissa; quod non est omittendum (S. C.).

15. Anno 1749., Benedictus XIV., felicis memoriae, Episcopis status ecclesiastici scripsit litteras incipientes: *Annus, qui hunc,* in quibus quaecumque pertinent ad usum musicae in officiis divinis tractat erudite. Nonnulla ex his litteris excerpsimus, et illos quorum interest, ut legant meditenturque has litteras enixe adhortamur.

Relatis in paragraphis 4, 7, opinionibus diversorum auctorum de utilitate et incommodis musicae in ecclesiis, asserit in paragrapho 8, sola motteta, quorum verba excerpta sunt ex officio aliquo approbato, sive ex Scriptura, sive Patribus, cum formali approbatione sacrorum rituum Congregationis, tantum adhiberi posse, quippe cum plures summi Pontifices, ac inter alios Innocentius XII., generaliter prohibuerint quaecumque motteta, et tantum cantari partes Missae sine ulla additione et mutatione permiserint. Licet tamen, dum ss. Sacramentum exponitur, vel elevatur in Missa, cantare aliquid depromptum ex Missa aut ex officio ss. Sacramenti, sed sine mutatione. Verum non sufficit, ut hae constitutiones observentur; necesse est praeterea, ut cantus dignus et religiosus adhibeatur, et praesertim *verba intelligantur.* Quantum ad instrumenta, cum organo adhibeantur tantum barbiton tetrachordon majus

tetrachordon minus, monaulon pneumaticum, fidiculae ad sustinendas et roborandas cantantium voces; arceantur autem tympana, cornua venatoria, tubae, tibiae decumanae, cheles, aliaque id genus, quae musicam theatralem efficiunt. Caeterum observandum, est instrumenta tolerata rejicienda esse, si verba opprimant vocesque cantantium sepeliant. Symphoniae vero tolerari possunt, ubi sunt in usu, dummodo diu turnitate taedium non afferant, ac non adhibeantur diebus poenitentialibus et luctuosis ecclesiae, nempe in Quadragesima, in sacra hebdomada etc.

Litterae encyclicae Benedicti XIV., datae fuerunt die 22. April. 1749., et reperiuntur in ipsius Bullarii tomo III, aut volumine VII., Mechliniensis edit. pagina 34, 65, in *Magni Bullarii* (edit. Luxemb.) tom. XVIII. pag. 9.

§. II. De incensatione, de osculo pacis et de osculis.

1. Ad incensandum, Sacerdos sinistra manu summitatem catenularum tenere debet, et dextra catenulas inferiores aliquantulum super thuribulum sumere. Unoquoque ictu elevet thuribulum versus rem aut versus personam incensandam, et deinde illud demittat, faciendo morulam post unum alterumque ictum. In expositione Missae solemnis modum Altare et chorum thurificandi explicabimus.

2. Cum ss. Sacramentum in tabernaculo non includatur, Sacerdos tantum cruci se inclinat, et non genuflectit, Diacono autem et Subdiacono semper genuflectentibus. Ad Vesperas assistentes pluvialibus induti omnia peragunt ut Sacerdos.

3. Incensum semper benedicitur antequam imponatur in thuribulum, nisi ss. Sacramentum solum esset incensandum, uti ante benedictionem ss. Sacramenti, aut postquam illud expositum fuerit (S. C.).

4. Celebrans tribus ictibus, duobus vero Canonici, dignitates vel superior ecclesiae, qui sunt in choro; caeteri chorales unico ictu thurificantur (Caer.).

Seminarii alumni per modum unius plurimo ictu incensantur (S. C.), quasi transeundo (Caer.), et populus ter incensatur (AA.).

5. Cum in ecclesia cathedrali sint diversi ordines assistentium in choro, videlicet Canonici, Beneficiati etc., rigorose praescribitur, ut omnes Canonici incensentur ante ordines inferiores, et capellani ante simplices ecclesiasticos incipiendo a parte, ubi sedet dignior (S. C.), adeo ut, si opus fuerit, Diaconus aut Subdiaconus ab una ad alteram chori partem pluries transeat. Idem dicendum est de *osculo pacis* (S. C.). Quoad aspersionem aquae sufficit incipere a digniore. Nobis videtur ordines, ut distinctos non habendos esse, nisi relative ad functiones, quas in praedicta cathedrali, cui addicti sunt, exercent.

6. Princeps incensetur post Episcopum, imperator aut rex ante Episcopum non celebrantem; gubernatores autem post Episcopum, magistratus post Canonicos et dignitates, et domini post magistratum. Regina aut magna principissa gauderet privilegio incensationis ut maritus (Caer. Ep.), non autem mulieres, quae talis supremae conditionis non sunt (S. C.).

Ex consuetudine deducitur quisnam incensare debeat; ac gubernatores tres ictus (Caer.), magistratus vero tantum duo imo unum prout fert usus, recipiunt (G. By.).

7. Qui incensatur stet, et si forte sedeat aut genuflexus sit, admoneatur ut se erigat; si renuat, non incensetur (By.). Nullus, excepto summo Pontifice, incensari potest a genuflexo (Caer.). Mutua reverentia incensantis et incensati, ante et post incensationem fiat, ast illa reverentia plus minusve profundior fit, prout exigit eorum respectiva dignitas (Caer.). Quantum ad ordines clericorum secundarios, aut dum properare debet incensans ad absolvendam tempore congruenti incensationem (G. By.), sufficit si thurificans ad digniorem cujusque ordinis se inclinet (Caer.).

8. Qui thurificandus est, antequam accipiat reverentiam ab incensante, vertit se versus immediate sequentem, quasi ut praeveniat et sibi invicem reverentiam faciunt, sint ecclesiastici laicive (Caer. Ep.).

9. Pax datur per amplexum vel adhibito instrumento, et eodem ordine, quo fit incensatio. Clericis in Missis solemnibus, per amplexum datur, laicis autem, et ipsismet Clericis in Missis privatis, cum instrumento pacis (Caer.).

10. Accipiens pacem facit reverentiam prius et postea, dans vero tantum post osculum pacis. Admovent sibi genam sinistram (Caer.), sed sine tactu reali. * Dans pacem imponit quoque manus super humeros illam recipientis, hicque infra brachia alterius (S. C.). Prior dicit *Pax tecum*, posteriore respondente *Et cum spiritu tuo.*

11. Instrumentum sit ex materia pretiosa cum effigie aut imagine Salvatoris nostri. Ei affigatur velum sericum lineumve coloris paramentorum, quo abstergitur, et retro manubrium ad illud deferendum. Diaconus vel Sacerdos assistens, qui a Celebrante accepit osculum pacis, osculatur instrumentum, et tradit Caeremoniario acolythove, qui illud delaturus est laicis. Eadem observantur, quae supra pro reverentiis faciendis et verbis proferendis. In Missis privatis minister flexus utroque genu a dextris Sacerdotis ei porrigit instrumentum pacis; post osculatum Altare, Sacerdos illud utraque manu acceptum osculatur, et dicit *Pax tecum,* ministro respondente *Et cum spiritu tuo.* Tum minister accedit ad chorum traditurus instrumentum pacis osculandum, illud abstergens velo, aut linteo in manu sinistra posito (AA.).

12. A quo et quomodo detur pax, si habeatur Sacerdos assistens in Missa? Gav. Bauldry et Crassus volunt, ut Sacerdos assistens illam a Celebrante acceptam, det prius Diacono ac Subdiacono, postea choro. Pater Castaldus autem vult, ut Diaconus acceptam pacem a Sacerdote, det Subdiacono, qui illam defert choro, et reversus illam det Sacerdoti assistenti ac Caeremoniario. Corsettus autem affert decretum, quo Sacerdos assistens, acceptam pacem dat Subdiacono, qui illam defert choro, et deinde Diacono. [1] Quam ultimam opinionem admittit Turrinus, casu quo Sacerdos assistens sit indutus pluviali, ac eadem dignitate insignitus qua Diaconus et Subdiaconus. Ast si Diaconus et Subdiaconus sint Canonici, non autem Assistens, vel si non sit paratus, Diaconus accipiat pacem, det Subdiacono, qui deferat choro, et Caeremoniarius postea det Sacerdoti assistenti.

[1] Datum 17. Martii 1606. quod, ut affirmat Gavantus authenticum est. Ipso enim praesente, a Congr. Rit. prodiit.

13. Regulariter dum minister aliquam rem porrigit Sacerdoti, prius rem osculatur, deinde manum ejus; recipiens autem objectum, prius osculatur manum, deinde rem acceptam (Caer.). In conspectu ss. Sacramenti expositi non omittantur oscula ritui Missae congruentia seu praescripta, ast omittantur oscula purae reverentiae (S. C.). Coram Episcopo, non fit osculatio manus celebranti (Caer. S. C.). Omnia oscula praetermittuntur in Missis defunctorum (Caer.). Finaliter Canonici, licet generalibus praescriptis subjecti, dum quamlibet exercent functionem ad Altare (S. C.), non osculantur manum celebrantis, qui non sit Episcopus, ab ipso accipientes cereum, ramumve benedictum, sed rem solam (Caer.).

§. III. De disciplina in choro servanda

1. Diebus solemnibus (S. C.), canonici bini et bini ad chorum, manu birretum tenentes, procedunt, primo seniores dein juniores (Caer.). Ante Altare bini et bini genuflectunt, sibi mutuam faciunt reverentiam, et accedunt ad loca sua (B.). Dum autem praecedentibus acolythis cum candelabris, et sequente celebrante aut officiante ingrediuntur, digniores ultimo incedunt (R.). Eadem observantur in discessu (AA.).

2. Cum aliquis solus intrat in chorum ante officium, se inclinat, vel genuflectit si SS. Sacramentum sit in tabernaculo, flectit vero utroque genu si sit expositum (S. C.) et accedit ad sedem suam. Si intret, officio vel Missa inchoata, statim ac advenerit[1] flectit utroque genu ante Altare, et ibi oratione facta, reverentiam debitam facit Aaltari, dein Episcopo aut Celebranti, tandem choro (Caer.), incipiendo a parte ubi est dignior (S. C.). Tum omnes dignitate aequales aut inferiores surgunt, eumdemque debita reverentia consalutant (Caer.) assurgentes et birretum deponentes (S. C.). Si forsitan intraverit, dum cantatur *Deus in adjutorium, Gloria Patri,* Evangelium, vel quodcumque simile, ad quod chorus stat, vel est inclinatus aut genuflexus,

[1] Si rursus intraret, postquam exierit ex officio, non deberet denuo flectere et orare (S. C. 13. Septembris 1670., *in Beneventana ad 2.*). Mutuae reverentiae nunquam omittendae sunt, nisi post adorationem crucis feriae sextae majoris hebdomadae, usque ad primas Vesperas Paschatis (S. C.).

exspectare debet respective stans, vel inclinatus, aut flexus utroque genu, aliquantulum antequam accedat ad locum suum (Caer. Ep.). Celebranti et ejus ministris ante vel per chorum transeuntibus, omnes de choro, stantes birretumque ante pectus manu tenentes, inclinationem debitam faciunt (D. By. Bi. M.).

3. *Signant* dextro police labia ad *Domine labia mea aperies,* pectus sub *Converte nos* ad Completorium, frontem, os et pectus dum diaconus incipit Evangelium (AA.*). Se signant signo crucis de more, ad benedictionem in fine Missae, et in officio ad *Deus in adjutorium,* in initio cujusvis Horae (Caer.); in fine *Gloria, Credo* et *Sanctus* (AA.),[1] incipiendo *Magnificat* et *Benedictus* (S.C.), ad *Adjutorium nostrum, Indulgentiam* in initio Completorii; ad *Dominus nos benedicat,* et ad *Benedicat* in fine Primae et Completorii (AA.), quibus juxta d' Alfiume, addi debet *Nunc dimittis* (G. Bi.); ad Antiphonam ferialem *Per signum crucis* (G. By.); et in Missa, ad *In nomine Patris, Adjutorium nostrum,* quae Celebrans dicit in initio confessionis; ad *omni benedictione* Canonis, et dum dicitur *Libera nos,* simul cum Celebrante (Bi. By.); similiter ad Antiphonam Communionis *Per signum crucis* in Missa de sancta Cruce (By.).

Sibi *percutiunt pectus* ad *mea culpa* Completorii et Missae, ad *Agnus Dei* Missae et Litaniarum, ad *Domine non sum dignus* Missae (By. Bi. Dalf.), ad *Nobis quoque peccatoribus* (Dalf. By.), et ad utramque ss. Sacramenti elevationem (By. Bi.).

4. *Inclinandum est* plus minusve in officio dum cantatur *Gloria Patri* usque ad *Sicut erat,* dum dicitur *Confiteor* ad Completorium (Caer.), ad ultimam stropham Hymnorum, dum fit mentio de sancta Trinitate, aut alibi, quando expresse nominatur (S. C.), ad nomina Jesu, Mariae vel Sancti cujus fit, officium aut commemoratio, ac ad nomen Papae (AA.), ad Versiculos *Sit nomen Domini benedictum, Sanctum et terribile* (*AA.), *Benedicamus Patrem* Cantici *Trium puerorum* (D. Bi. Dalf. By.), ad *Benedicat* in fine Completorii (Dalf. Bi.), et ad tres Versi-

[1] Juxta P. Levavasseur, hoc signum crucis fieret dum ultima verba *Gloria in excelsis* aut *Credo,* cantata sunt a choro. Omnes autem auctores, quos legimus, supponunt illud signum crucis faciendum esse tempore, quo a Celebrante recitantur.

culos *Benedictus* et *Benedicamus*, etc., precum ejusdem Completorii (By.). In Missa inclinandum est cum bini dicunt Confiteor, ad elevationem (AA.) ad benedictionem (R.), ad verba, quae in *Gloria in excelsis* et *Credo*, exigunt a Celebrante inclinationem; ad *Deo nostro* Praefationis (AA.), ad *Sanctus*, ad *Agnus Dei*, ad *Nobis quoque peccatoribus*, et ad omnia, quae in officio parem inclinationem exigerent (Dalf. Bi.), ad *Ite Missa est* (Bi.) et dum fit aspersio aquae benedictae (D. Bi.), non vero ad *Oremus* (Rev. theol.).

5. *Utroque genu flectunt* in officio, ad preces *Aperi Domine* et *Sacrosanctae* quibus officium inchoatur et absolvitur (AA.); ad verba *Adoremus et procidamus* Invitatorii, ad Versiculum *Te ergo* Hymni *Te Deum* (Caer. Ep.), ad primum versum aliquorum Hymnorum (S. C.), dum Celebrans illas incipit,[1] ad preces feriales (R.); et ad suffragia illas sequentia (S. C.), etiam in Vigiliis suppressis quantum ad jejunium (S. C.), ad preces officii defunctorum, ad *Christus factus est*, etc., tenebrarum, et ad Antiphonas finales Beatae Virginis Mariae, praeter exceptiones N. 6 indicatas (R.); ad *Pater, Ave, Credo*, post Completorium recitanda, cum iisdem exceptionibus (AA.); ad Psalmos graduales et poenitentiales, ad Litanias, cum precibus et Orationibus (AA.), et in Laudibus vespertinis coram exposito ss. Sacramento (AA.).

Flectunt utroque genu in Missa: postquam advenerint ut se praeparent (AA.), ab initio Missae usque post confessionem finitam (R.), exceptis canonicis sacris paramentis (Caer.), aut rochetto indutis (S. C.); dum elevantur sacrae species (Caer.); in Missis ferialibus aut defunctorum, dum dicuntur Orationes et Postcommunio, et a Canone usque ad *Agnus Dei* exclusive (R.); ad *Incarnatus est* cantatum, pro iis, qui stant (S. C.), et ab omnibus in festis Nativitatis D. N. J. C. et Annuntiationis (Caer.) tantum (S. C.); a *Sanctus* recitato usque post elevationem calicis (By. B. D. Dalf.); dum cantantur verba flexionem utriusque genu exigentia, ut *Adjuva nos, Veni, sancte*

[1] Ast ipse non flectit utroque genu, nisi postquam illas inchoaverit, cantores e contra surgunt, postquam Celebrans inceperit illas cantare (S. C.).

Spiritus, et post *Expiravit* Passionis (AA.); ad benedictionem Sacerdotis, et ad omnem Episcopi benedictionem, exceptis Canonicis (S. C.); postremum dum Communio distribuitur choro, non autem dum distribuitur fidelibus (By.).

Flectunt uno genu ad *Flectamus genua, Et verbum, In nomine Jesu,* et ad quaecumque similia; in fine Lectionis, lector, si non est Canonicus (Caer.), et ad *Incarnatus est* dictum a Sacerdote (S. C.).

6. *Standum est* in officio, ad *Pater* et *Ave* praecedentia vel sequentia quamcumque horam, praeter exceptiones N. 5. citatas, ab initio cujusque Horae usque post inceptum primum Psalmum (Caer.), a Capitulo vel ab Hymno usque ad finem, nisi dum cantantur Antiphonae Canticorum *Magnificat* et *Benedictus* (AA.); ad parvas Horas, a tertio Psalmo finito usque ad finem; praeterea ad Primam a Capitulo usque ad lectionem Martyrologii, et ab ejus lectione facta usque ad finem (AA.), etiam ad Symbolum *Quicumque* (S. C.); ad Completorium, ab Hymno usque ad Antiphonam Beatae Virginis Mariae, quae etiam cantatur stando tempore paschali et dominicis, incipiendo a primis Vesperis (R.), licet tempore quadragesimali Vesperae dicantur ante meridiem (S. C.); in Matutinis, ad versiculos, ad *Orationem dominicam,* absolutionem et primam benedictionem cujusque Nocturni; ad prima verba Evangelii, ad lectionem lectam ab Episcopo (R.) vel a Celebrante pluviali induto (AA.). Etiam standum dum chorus incensatur (Caer.), et ex decentia dum ss. Sacramentum expositum est (S. C.); dum quis ejusdem vel superioris ordinis surgit, videlicet ut incipiat cantare Antiphonam; demum qui legit Lectionem debet stare. Cum in Martyrologio festa Nativitatis Domini et Paschatis annuntiantur surgunt, et statim postea sedent (By. M.).

In Missa: ad aspersionem aquae benedictae, incensationem, Evangelium, recitationem a Celebrante Hymni *Gloria* et *Credo,* Praefationem cum *Sanctus, Dominus vobiscum* et ad Orationes. Dum Celebrans ascendit ad Altare post confessionem quousque dixerit *Kyrie* (AA.) ab ultima consecratione usque post Communionem, et a Postcommunione usque ad finem Mis-

sae, nisi dum datur benedictio (AA.). Qui cantant stare debent (Caer.) et itidem omnes stant, dum Communio distribuitur fidelibus (By.).

Conveniens est, ut stantes se vertant versus Altare, ad Versiculos et Orationes in officio, et ad initium cujusque Horae; In Missa, ad Orationes, ad Evangelium, ad Praefationem, et a consecratione usque ad finem (Bi. By.). In quo aliquid conceditur usui et consuetudini loci (By.). Illi autem de choro non vertant se versus Altare, durante aspersione (S. C.).

7. *Fit sessio* in officio: dum cantantur Psalmi, postquam chorus inceperit cantare primum Psalmum, et dum cantantur Antiphonae eorumdem; ad Lectiones et Responsoria, ad lectionem Martyrologii, ac dum cantantur Antiphonae Canticorum *Magnificat* et *Benedictus* (AA.). In Missa, dum Celebrans sedet, possunt sedere; dein dum cantatur Epistola etc., usque ad Evangelium; ab Offertorio usque ad Praefationem, excepto incensationis tempore, et ad cantum Antiphonae *Communionis* (AA.).

8. Regulariter *caput operiunt* dum sedent, et discooperiunt dum se inclinant (Caer.). Dum surgendum est, primum se discooperiunt, et e contra se cooperiunt cum jam sedent (S. C.). Haud licet caput cooperire coram ss. Sacramento exposito (S. C.).

Pileolus imo deponendus est: dum ss. Sacramentum est super Altare, ad Evangelium, ad benedictionem, dum reverentiam faciunt choro vel Celebranti, aut cum ab illo aliquid accipiunt (B.), dum asperguntur, incensantur, dum ministrant Episcopo, aut soli cantant (S. C.), et etiam dum induti sunt pluviali; sed tum licet birretum deferre (S. C.).

§. IV. De disciplina in Choro servanda quibusdam anni diebus.

1. Responsorium post primam Lectionem, in prima Dominica Adventus, cantandum est peculiari modo. Nam post Versiculum *quique,* repetitur *ite obviam,* usque ad secundum asteriscum tantum, tunc dicitur alter Versiculus *qui regis,* post quem repetitur *nuncia,* usque ad tertium asteriscum. Tandem post Versiculum *Tollite portas,* repetitur integrum Responsorium usque ad Versiculum *Quique terrigenae.*

In feria quarta Quatuor Temporum, beneficiarius indutus habitu chorali accedit ad cornu epistolae lecturus lectionem quae sequitur Orationem *Praesta quaesumus.* In sabbato Quatuor Temporum, quinque beneficiarii, incipiendo a juniore, accedent lecturi quinque Lectiones in tono feriali, in medio chori. Si fieret ordinatio, hanc functionem peragerent Canonici (Dalf.).

2. In Vigilia Nativitatis Domini, officians qui est lecturus solemniter Martyrologium,[1] induit, dum cantatur Prima, superpelliceum et stolam, vel amictum, albam et stolam, cum pluviali coloris violacei (S. C.), et praecedentibus acolythis et thuriferario, accedit ad medium chori, imponit thus et illud benedicit (S. C.), incensat librum nihil dicens; et statim ac chorus respondit *Deo gratias,* cantat lectionem *Anno a creatione mundi,* tono in Martyrologio praescripto. Ad verba *In Bethlehem,* usque ad *secundum carnem,* omnes flectunt utroque genu, exceptis acolythis cum candelabris (AA.) et Celebrante (M. adversus By.). Tum recedit, et lector accedit ad absolvendam lectionem (AA.). Ea nocte Horae matutinae solemniter cantantur, et Celebrans, indutus alba et pluviali, cantat ultimam Lectionem et intonat Hymnum *Te Deum.* Post Orationem additur *Benedicamus Domino, Deo gratias,* et non dicto *Fidelium animae,* Celebrans accedit ad sacristiam, ubi induit sacra paramenta Missae. In hac Missa et in duabus Missis sequentibus, chorus flectit utroque genu ad verba *Et incarnatus est* in Symbolo.

Missa finita, Celebrans exuit casulam et manipulum, ac induit pluviale, et comitantibus duobus assistentibus, qui de choro veniunt, accedit ad locum suum, ubi Laudes incipit (AA.).

3. Ad Matutinum diei Epiphaniae, post *Pater, Ave, et Credo,* incipitur immediate Antiphona *Afferte* (B.), facto signo crucis (Tet. Dalf.). Psalmus *Venite* cantatur ad tertium Nocturnum (R.).

Cantato Evangelio, omnes sedent, et junior ex Canonicis, alterve, juxta consuetudinem (S. C.), induit pluviale et accedit ad pulpitum ubi, reverentia debita facta Altari, Episcopo et

[1] In secunda parte, Sect. III, cap. 3, §. 4, *de Prima recitanda* habentur regulae ad Martyrologium legendum.

Capitulo, denuntiat cantando festa mobilia anni, juxta formulam Pontificalis (Caer.). Quotiescunque pronuntiat nomen Jesu Christi, omnes se inclinant capite detecto (AA.). Annuntiandum est festum Annuntiationis, casu quo acciderit feria sexta aut sabbatho majoris hebdomadae, quippe quod transferatur cum duplici praecepto in feriam secundam *in Albis* (AA.).

4. In Quatuor Temporibus Quadragesimae, Pentecostes et mensis Septembris, observantur dicta sub n. 1.

Ad Tertiam, per totam octavam Pentecostes cantatur Hymnus *Veni Creator,* in cujus prima stropha omnes flectunt utroque genu: similiter flectunt ad versiculum *Veni sancte spiritus,* qui cantatur ante Prosam.

5. Ad Matutinas tenebrarum accenduntur in Altari sex cerei cerae communis, et in plano presbyterii, prope gradus Altaris, collocatur, in loco, ubi de more cantatur Epistola, candelabrum triangulare cum quindecim cereis ejusdem materiae (Caer.). Ita tempestive sunt cantandae, ut circa solis occasum terminentur (By.). Praeintonantur Antiphonae, quarum primam incipiendo, Celebrans omnesque de choro se signant signo crucis. Quia non cantatur neque *Gloria Patri,* neque *Tu autem* post Lectiones, vox deflectitur aliquantulum ad ultima verba Psalmorum, Lectionum, et Orationis *Respice quaesumus.* In fine cujusque Psalmi clericus extinguit unum cereum ex candelabro triangulari, incipiendo ab eo, qui est remotior in parte Evangelii, deinde cereum correspondentem alterius lateris, sicque prosequendo alternatim usque ad ultimum, qui remanet accensus in superiori parte candelabri. Dicitur stans et secreto *Pater* post quodcumque Nocturnum. Ad *Benedictus,* extinguuntur omnes lampades ecclesiae, et ad quemlibet versum Cantici, incipiendo ab *Ut sine timore,* extinguitur unus cereus Altaris alternatim, incipiendo ut supra. Dum repetitur Antiphona Cantici *Benedictus,* caeremoniarius cereum, qui remansit accensus, sumit et abscondit retro post Altare ad cornu Epistolae. Ad *Christus factus est,* omnes flectunt utroque genu usque ad finem, et Celebrans dicit ipsemet genuflexus Orationem *Respice,* cujus conclusio recitat secreto. Tum fit strepi-

tus, per breve spatium, cum cereus reapparet. Qui cereus reponitur in suo loco, moxque extinguitur (Caer.). In hoc officio non omittantur salutationes et resalutationes in choro (J. C.).

6. Post *Benedicamus* secundarum Vesperarum festi Omnium Sanctorum, paramentis festi Omnium Sanctorum substituuntur paramenta alia officio defunctorum congruentia; et si ita moris sit, collocatur in medio ecclesiae lectica cum quatuor saltem facibus, et super eam pannus nigri coloris. Celebrans induit pluviale nigrum, et praeintonata a digniore ex assistentibus Antiphona, incipit *Placebo* in ritu duplici: cantores inchoant Psalmum *Dilexi,* et omnes sedent usque ad *Magnificat.* Acolythi accedunt ad Celebrantem cum candelabris sub fine Cantici. Ad *Pater noster* et ad Orationem, omnes flectunt utroque genu, exceptis Celebrante et ejus assistentibus ac acolythis (AA.).

Nocturna de more cantantur, sed non requiritur, ut ipsemet Celebrans cantet ultimam Lectionem (By.).

§. V. Officium Presbyteri assistentis.

Regulariter non licet adhibere Sacerdotem assistentem in Missis solemnibus; sacrorum rituum Congregatio permittit tamen Canonicis vel dignitatibus cathedralium ecclesiarum, ut in Missis solemnibus adhibeant Sacerdotem assistentem, ex privilegio speciali aut antiquissima consuetudine. Cum vero Presbyteri assistentis functiones, si excipias Missas aut Vesperas Pontificales, in Caeremoniali Episcoporum non explanentur, quisque facile intelliget, in hac re magistris Caeremoniarum multa remitti. Ne tamen mancum sit opus, et aliunde ne videamur de nostro regulas tradidisse, in hac re pedetentim Turrinum, optimae notae authorem, qui magistros ipsos By. Cast. Cors. habuit, secuti sumus.

1. Si Sacerdos assistens induat cottam absque pluviali, inferior est ministris sacris eisque locum cedere debet, in functionibus, quas in Altari peragunt. Qua in hypothesi, Sacerdos assistens, vel expectat Sacerdotem ad Altare, vel ipsum sequitur, aut praecedit Subdiaconum. Ad confessionem flectit utroque genu retro post Diaconum vel ad cornu Epistolae:

ad Introitum ascendit ad librum, ministris linea recta stantibus. Ad *Gloria* et *Credo* non accedit ad medium Altaris; ad *Sanctus* et *Agnus Dei* Subdiacono locum cedit. Defert librum ab uno latere Altaris ad alterum, illumque amovet dum fit incensatio. Celebrante legente Evangelium, se sistit ad librum, et Diacono illud cantante, stat ad cornu Evangelii extra gradus Altaris, aut potius retro post Celebrantem ut ministret Subdiacono delaturo librum osculandum. Tum redit ad medium Altaris prope librum. Incensatur, post Subdiaconum, a Diacono, accipit pacem a Subdiacono, post pacem choro latam, ministratque tantum Celebranti ad librum.[1]

2. Si Sacerdos assistens sit simplex capellanus, licet indutus pluviali, locum nihilominus cedere debet ministris, si sint Canonici. Accedit ad Altare ante ministros, aut a sinistro latere Celebrantis aliquantulum retro post ipsum. Stans retro post Subdiaconum facit confessionem, et incensatur ab acolytho. Quantum ad caetera, servat quod dictum est.

3. Si sit indutus pluviali sitque eodem ordine quo Diaconus ac Subdiaconus insignitus, super illos praecedentiam habet. Accedit igitur ad Altare a latere dextro Diaconi, se sistit ad dextram Sacerdotis sub confessione, stantibus Diacono a sinistris et Subdiacono retro. Ascendentem ad Altare adjuvat Celebrantem, moxque recedit, reverentia debita facta cruci tabernaculove, ad cornu Epistolae, Diacono Sacerdoti naviculam incensi porrigente. Amovet Missale illudque reponit tempore congruenti, respondetque Sacerdoti. Ministri stant a lateribus ejus paululum a retro, Subdiacono a dextris, Diacono autem a sinistris. Reversus cum Sacerdote ad medium Altaris, ibi stat a dextris ejus sub hymno *Gloria,* Diacono vero ac Subdiacono a sinistris ministrantibus.

Ad Orationes stat ad librum, itidemque ad Epistolam sub qua Diaconus accedit ad ejus sinistram; posthac recedit aliquantulum ad angulum, ut cedat locum Subdiacono appropinquanti, qui, postquam osculatus fuerit Sacerdotis manum, defert

[1] Est paucis mutatis functio, quam implet prior Caeremoniarius, juxta auctores, qui adducunt duos Caeremoniarios.

librum; ipsum sequitur Presbyter assistens ad cornu Evangelii et respondet Celebranti, stantibus Subdiacono paulo retro post Celebrantem, Diacono autem in loco ab auctoribus praescripto.

4. Dum cantatur Evangelium, stat ut dictum est n. 1. Ad *Credo,* stat a sinistris Sacerdotis. Dum sedendum est, sequitur vel praecedit Celebrantem, prout facilius fieri potest, et sedet vel medius inter ministros et a Celebrante separatus, vel a dextris Celebrantis, ministris a sinistris stantibus, vel melius solus in scamno prope Altare. Dicit cum Sacerdote et ministris *Sanctus, Agnus Dei,* et ad thurificationem amovet librum. Incensatur a Diacono ante Subdiaconum, ast post chorum. Ad elevationem flectit utroque genu super altiorem Altaris gradum, ad cornu Evangelii, deinde redit ad librum, se signans, et reverentias debitas cum Celebrante faciens. Post *Agnus Dei* transit ad dextram Sacerdotis ad recipiendam pacem, ut dictum fuit §. 3, n. 12.

5. Si qui sint communicandi, flectit utroque genu super infimum Altaris gradum ad cornu Evangelii. Reliqua fiunt more solito; refert librum, dum opus erit, ad cornu Epistolae, transit ad latus Evangelii, ubi genuflexus expectat benedictionem, ministratque Celebranti ultimum Evangelium dicenti.

Redeunt eodem ordine, quo venerant.

6. Si assistat absolutioni defunctorum, non induit pluviale, ceditque locum Diacono, qui Sacerdoti ministrat.

Feria quinta in Coena Domini, ad processionem ss. Sacramenti, equidem non reprobatur Sacerdos assistens pluviali indutus elevans fimbrias anteriores pluvialis Celebrantis; verum si deficiant ministri, potius adhibeatur Subdiaconus, qui paratus crucem deferat.

§. VI. Monita generalia ad ministros tum sacros tum inferiores.

1. Diaconus ac Subdiaconus pariformiter Caeremonias, quae ipsis sunt communes, agere curabunt. Ac primo, sumptis paramentis suis, exceptis manipulis, ambo, praecipue tamen Diaconus, Celebrantem, dum se induit, adjuvant (AA.). Ex aliquo decreto id vetitum videbatur Diacono et Subdiacono,

verum non ita pridem eo sensu interpretatum est, ut respiciat tantum ministros Canonicos.

2. Ante Missam omnia praevideant, Missaleque praeparent, ac neuter librum in Missa prae manibus teneat (By.).

3. Quoties Celebrans in medio eorum genuflectit aut surgit, ambo eum adjuvent brachia ejus sustentando (AA.).

4. Quando respondent *Kyrie eleison,* aut recitant Symbolum, *Sanctus,* etc. unus non recitet altius altero, sed ambo uniformitatem in omnibus servent, quantum fieri potest (AA.).

5. Si sedeant, cum unus surgit aliquid facturus, surgat et alter aperto capite, donec redierit socius, et sibi ipsis aliquantulum inclinant ante et post discessum (AA.).

6. Dum mutant locum, Diaconus, cui brevior est via, lentius incedat ita ut uno eodemque tempore ad latera Celebrantis perveniant (AA.).

7. Quando genuflectunt ad Altare, manus non imponant super illud, sed eas teneant junctas ante pectus (AA.).

8. Ambo etiam aequaliter distent a Celebrante, sive initio Missae, sive ad Altare sint (AA.). Unde congruum est, notari aliquo signo loca, in quibus stare debent ad latera Celebrantis (By.).

9. Quando Celebrans vult sedere, prius sedeat, et hi facta illi reverentia aperto capite postea sedeant; prius vero surgant et deponant birreta sua quam Celebrans (AA.)

10. Quando descendere debent ab uno gradu ad alium licet primum, caveant diligenter ne directe retrocedant, sed aliquantulum recedant ad latus, ut quasi aspiciant locum, ad quem descendunt (By. Li.).

11. Cum Celebrans, facta confessione, ascendit ad Altare, ejus vestes anteriores hinc inde elevant. Item quando Celebrans pluviali indutus accedit ad Altare, ad ejus latera procedunt, a parte sua anteriores fimbrias pluvialis elevando (AA.).

12. Tabernaculo, imo cruci genuflectere debent quoties 1° accedunt ad medium Altare (quod medium intelligitur, sive in pradella, sive in aliquo gradu), sive ad latus Celebrantis:

2° a medio recedunt: 3° ante medium transeunt, casu excepto quo genuflecterent in recessu et accessu (AA.).

13. Post consecrationem si Diaconus aut Subdiaconus, qui est a tergo Celebrantis, ad ipsius latera accedit, aut vice versa: antequam recedat genuflectit, non vero in loco, ad quem pervenit. Quam regulam communiter auctores ad similes casus ante consecrationem applicant, et ita nobis videtur agendum.

14. Caeremoniarum magistri partes sunt caeteros omnes monere et dirigere, ipseque ordinarie stat ad latus illius, qui aliquid agit. Hinc Celebranti assistit, Missalisque folia vertit, nisi alibi sit necessarius. Ministros comitatur, et cum ex eis aliquis se inclinare aut genuflectere debet, ipse quoque, quasi praecedendo, se inclinat aut genuflectit. Itidem cum omnes, qui sunt in choro, aut ad Altare, inclinare aut genuflectere debent, prius aliquantulum recedens a loco suo, eadem faciat aut innuat facienda. Incedit regulariter aut stat a sinistris illius, quem comitatur, nisi aliquid obstet, v. g. viae angustia, aut populi concursus, tunc enim praecedit, numquam vero sequitur (AA.).

15. Deficiente Caeremoniarum magistro, ejus vices suppleat tum Diaconus ad Celebrantem, tum alibi acolythus aut thuriferarius. In exponendis Missae solemnis ritibus, Caeremonias in casu a ministro inferiori peragendas adnotare non omisimus.

16. Acolythi ceroferarii debent esse ambo pares statura, quantum fieri potest; qui candelabra recta et non inclinata deferunt. Cum autem ea tenent, semper ea nudis ac discoopertis manibus sumunt; et is qui est a parte dextera, dextram in medio candelabri globo, sinistram vero in pede qui cingulo respondet, ponit; qui vero ad sinistram e contra globum sinistra, et dextera pedem accipit (Caer.).

17. Albis non utantur, sed superpelliceis seu cottis induuntur; bini incedere semper pari et aequali passu, et in omnibus aliis semper convenire et conformes sibi invicem esse debent, quantum fieri potest. Dum stant in Missa aut Vesperis candelabra tenentes, sint instar statuarum immobiles, unde

non genuflectunt ad Evangelium, ad initium Hymnorum, et ad alia cum Clerici et alii genuflectere debent. Dum candelabra non ferunt, et manus vacuas habent, quandoque manus junctas ante pectus, quandoque vero pectori modeste appositas tenere debent (AA.).

18. Diebus solemnioribus, cum plures sint cerei accendendi, hunc ritum servent. Ambo, facta Altari genuflexione, virgas oblongas, quae habent candelam accensam in summitate, accipiunt, tum a parte sua primum cereos, qui sunt in medio Altaris, seu cruci proximiores, deinde remotiores, eodem ordine et tempore accendunt. Quibus accensis descendunt simul ad infimum gradum Altaris, ubi genuflectunt, candelas extinguunt, virgas in suis locis deponunt, et redeunt in sacristiam vel in chorum. Quando autem praedicti cerei sunt extinguendi, cum iisdem genuflexionibus accedunt, et a parte sua quisque ordine retrogrado extinguit hinc inde, a remotioribus a cruce incipiendo (By.).

19. Si acolythi habeantur, qui funalia portant, illa manu extima teneant, altera pectori admota (AA.).

20. Thuriferarius caute advertat, ut ignis non deficiat: quocirca ignem in vase ad id destinato sive in sacristia, si nimium non distet, sive prope credentiam praeparet; ac ex eo carbones accensos forcipibus ante thurificationem accipiet, quos finita thurificatione in idem refundit (AA.). Quonam modo thuribulum gestet et Celebranti offerat, in sequenti explanatione dicitur.

21. „Si, inquit R. D. de Conny, ministrorum a rubrica praescriptorum minuere numerum haud liceat, nec alios extra rubricam adducere permissum est, v. g. illos Subdiaconos subsidiarios, quos alicubi *Indutos* vocant, aut *choristas* sive cantores pluviali decoratos“. Non ita pridem Rev. Briocensis Episcopus s. Congregationi exposuit in sua dioecesi usum esse, ut cantores, tum in Missa, tum in Vesperis, pluviali induerentur, petiitque num ille usus continuari possit. Cui responsum datum est negativum quoad Missam, affirmativum vero pro Vesperis. Et revera in Vesperis, assistentibus aliquod munus, quo cantores donamus, incumbit, dum in Missa, eorum

praesentia Caeremoniali adversatur. *Nec alii praeter ipsos* (Diaconum et Subdiaconum) *erunt parati,* ait ille liber. Itaque in hoc agitur de consuetudine rubricis opposita, quam eliminare necesse est.

22. *Nota.* Ubi explicatur modus thurificandi ad Offertorium, duplex textus eorumdem verborum signatur; cujus ratio est quod rubricistae diversas in opiniones abeunt, circa divisionem verborum, ac ipsorum cum actionibus relationem. Hinc duo potiores sententias referre curavimus. Casu quo Celebrans aliqua verba, dum reliquias aut imagines thurificat, proferre velit, posteriorem textum eligat, et tunc versus reliquias, diceret, dum ducit thuribulum, verba, *sicut incensum in conspectu tuo.*

§. VII. De praeparandis pro Missis solemnibus.

1. In Altari ponatur Missale apertum (R.) coopertum tegumento coloris officii diei (Caer. Ep.), super pulpitum, ad cornu Epistolae cum signaculis dispositis (AA.).

2. Calix vero in credentia paratur (R.), ita ut pars aperta bursae, qua cooperitur, respiciat parietem (By. Bs. a P. M.); item super eam a dextris, videlicet in cornu Altari proximiore,[1] collocetur pelvicula cum ampullis, itemque manutergium (By. Bs. M.). A sinistris credentiae ponatur pro Diacono et Subdiacono Missale cum signaculis dispositis (AA.), coopertum etiam in majoribus festis, panno coloris indumentorum (Caer. Ep.). Addatur parva campanula pulsanda ad elevationem,[2] et a sinistra parte velum humerale Subdiaconi coloris paramentorum, aut plicatum (M.), vel expansum super calicem (attamen infra bursam), et alias res, saltem dum Episcopus celebrat (ex Caer. Ep. By. Bs.).

---

[1] In extremitate credentiae anteriore vel posteriore, prout ponuntur candelabra acolythorum super partem ejus posteriorem aut anteriorem.

[2] Juxta usum alicubi receptum, acolythi accedunt ad sacristiam sub initio Praefationis et ex illa exeunt ad *Sanctus*, deferentes una manu cereum, altera vero parvam campanulam. Haec igitur non ponitur in credentia, sed relinquitur in sacristia. Verum talis usus passim haud recipitur, nec abest a credentia campanula aut thuribulum.

3. Itemque super credentiam defertur thuribulum cum navicula, si remote non suspendatur ad cornu Epistolae (M.), et instrumentum pacis cum fimbria coloris paramentorum affixa manubrio, nisi forte collocetur inter candelabra Altaris (By. Bs. Bi. M.).

4. Insuper in credentia collocetur Pyxis vel vas hostias consecrandas continens (Bs. Bi. M.). Quae omnia tamen sic disponantur ut relinquatur spatium ad collocanda candelabra acolythorum (Bi. M.).

5. Ad cornu Epistolae praeparetur scamnum longum cum postergali coopertum panno viridi convenienti (Caer. Ep.), in cujus medio sit cussinus lanae vel corii, sed non sericus. Faldistoria seu sedes cum brachiis omnino prohibentur (S. C.). Praeterea, in eodem latere prope cancellos, poterit addi alterum scamnum nudum, nitidum et minus elevatum, ad usum ministrorum inferiorum (a P. Bi.).

6. Pulpitum aut ambo, ubi legitur Evangelium, cooperiatur etiam pannis pretiosis coloris sacrorum paramentorum Missae (Caer. Ep.).

7. Postremo, non longe a credentia, in loco congruenti, et in quantum fieri potest, sat remoto, ponatur vas cum carbonibus ardentibus, et forficulae ad usum thuriferarii (Caer. Ep.).

8. Dum exponitur ss. Sacramentum, Altare maximo cum apparatu ornetur: tabernaculi conopaeum et Altaris antipendium sint coloris albi. Viginti cerei accendantur; in expositionibus vero privatis ad minus sex adhibeantur. Statuae imaginesque Sanctorum velentur, saltem in expositione orationis quadraginta horarum, statuae ac reliquiae Sanctorum ab Altari arceantur (S. C,).

9. Juxta Bauldry, in Missa defunctorum praeparanda sunt quae sequuntur. Antependium Altaris sit nigrum absque ullis figuris mortis, lacrymarum, vel ossium in forma crucis (Caer.). Super Altare, sex ad minus candelabra (S. C.), ex materia obscura, cum candelis cerae communis, nisi heredum voluntas sit, ut adhibeantur cerei albi (By.). Gradus Altaris sint nudi, aut extendatur tapetium nigrum super suppedaneum (Caer.). Tabernaculum, si sit in hoc Altari,

cooperiatur conopaeo violaceo (By.), et super Altare nec deponantur reliquiae imaginesve Sanctorum, neque vasa, neque flores, neque quidquam ad ornamentum conducens: crux et candelabra tantum adsint (Caer. Ep.). Credentia cooperiatur mappa simplici et brevi (By.), deponanturque in ea candelabra acolythorum cum cereis communibus, et alia, quae in Missa necessaria sunt (Caer.), excepto Subdiaconi velo oblongo (By.). Indumenta Sacerdotis et ministrorum, velum pulpiti etc., nigra sint, absque crucibus albis vel imaginibus mortuorum (Caer.).

10. Dum Missa cantatur coram Episcopo in parochia suae dioecesis, praeparetur pro Praelato, ad cornu Evangelii, si locus permittat, thronus elevatus tribus gradibus, qui cooperiantur tapetibus. Sedes ipsa cum postergali velatur panno serico; eique superappenditur umbraculum seu baldachinum coloris correspondentis Altaris paramentis, dummodo tamen et in Altari exstet baldachinum sumptuosius. Si Episcopus habeat secum Canonicum, vel si adhibeat pastorem sibi ministrantem, praeparetur sedes simplex, a dextris sedis Praelati, et extra gradus anteriores throni. Si adsint duo assistentes, collocetur prope parietem scamnum ad utraque latera sedis Praelati; tertius assistens, casu quo habeatur, locum habeat ante Praelatum, a dextris ejus, in quantum fieri potest, modo Canonicus non vertat terga Altari. Ante Altare, in medio presbyterii ponantur cussini, et faldistorium coopertum pannis coloris Missae congruentis, aut alterum genuflexorium facilius amovendum.

Cum Praelatus pervenerit ad ecclesiam, parochus, comitantibus parochiae clericis, it obviam eidem, et genuflectens, porrigit aspersorium, quod osculatur itemque manum ejus. Praelatus postquam signo crucis se signaverit, benedicit omnes assistentes genuflexos. Parochus rursus osculatur manum Praelati et aspersorium, quod resumit, moxque reiterata genuflexione, procedit cum clericis praecedens Praelatum. Accedunt ad chorum et flectunt utroque genu Altari. Praelatus aliquantulum genuflexus super genuflexorio, dum Celebrans et ministri induunt sacra paramenta, ascendit super

thronum, et ab acolytho amovetur genuflexorium (Caer. Ep. V. M. Cav. By.).

11. In sacristia praeparentur indumenta Celebrantis ac sacrorum ministorum, superpellicea acolythorum et Caeremonarii, candelabra et faces pro elevatione Sacramenti, si lubet, thuribulum cum navicula incensi, et casu, quo fiat aspersio aquae benedictae, vas cum aspersorio (AA.).

§. I. Ritus servandi in Missa solemni

1. De Praeparatione Cele-

TEXTUS.	CELEBRANS.	DIACONUS.	SUBDIACONUS.
	Recitatis Psalmis et precibus ad praeparationem, lavat manus (AA.) ad lavatorium; in diebus solemnibus, acolythus ei infundit aquam, Diacono ac Subdiacono manutergium tenentibus (By. aP. M.)	Accipit Missale Celebrantis, cujus signacula adaptat, illudque statim tradit apertum ferendum super Altare in cornu Epistolae. Evangelio praeparato (V. B. Bi.), lavat manus (M. Bi.).	Quaerit in libro Epistolam, quam legit, adaptat signaculum (V. B. Bi.) et, lotis manibus praeparat calicem quem cum libro Epistolarum (Bi. V.) ferendam ad credentiam, secundo caeremoniarum magistro, si adsit, tradit (L. aP.).
	Tum accedit ad sacra paramenta quibus induitur, recitatis precibus, ut in Missa privata (AA.).	Sumit paramenta, manipulo excepto, et stolam ita super humerum sinistrum imponit, ut duae illius extremitates unitae pendeant infra brachium dexterum (AA.). Deinde, si non sit Canonicus (S. C.), Celebrantem paramenta induentem, eo modo, quo minister in Missis privatis, adjuvat, ac tunc sumit manipulum (AA.).	Sumit paramenta excepto manipulo deinde cum Diacono adjuvat Celebrantem sacra paramenta induentem. Quo facto sibi imponit manipulum (AA.).
	Paramentis indutus, stat in medio, capite detecto, et conversus ad imaginem sacristiae, imponit in thuribulum thus, quod benedicit (AA.), nisi hoc non sit in usu (aP. L.).	Stat, capite detectus, in eadem linea, a dextris Celebrantis, cui porrigit cum osculis cochlear et naviculam, petens bene dictionem (AA.).	Stat in linea, a sinistris Celebrantis capite aperto (AA.).
	Capite aperto, se inclinat imagini sacristiae (AA.), caput tegit,	Tenens manu birretum, facit profundam cruci inclinationem	Imitatur Diaconum (AA.), accipit aquam benedictam

[1] Si esset unicus acolythus ad accendendas candelas, in cornu Epistolae accendere inciper

[2] Casu, quo adsit navicularius, hic incederet a sinistris thuriferarii, tenens dextra (M.), v nioni Merati, scilicet thuriferarium utraque manu thuribulum terre debere. Nonnulli non proba trario quidam regularis, qui Romae diu moratus est, testatur, hunc usum servari in Missa quisitus et antiquissimus," ait Turrinus.

ım in tabernaculo ss. Sanctissimum includatur.

rantis et ministrorum.

THURIFERARIUS.	ACOLYTHI.	MAGISTER CAEREMONIARUM ET CHORUS.
Satagere debet, ut in thubulo carbones ardentes ntineantur ac in navila incensum cum cochari includatur (L. B. Bi.). Lotis manibus (M. Bi) duit togam talarem ac perpelliceum (V. M.).	Lotis manibus, induunt superpelliceа (M. V.), deinde accendunt cereos Altaris incipiendo ' prius accendere cereos cruci propinquiores (M. V.), mox in sacristia candelas candelabrorum, quae deferre debent (V.).	Induit superpelliceum curatque, ut quaecumque convenienter disponantur (AA.).
Potest loco acolythorum, juvare ministros induens sacra paramenta (B.Bi.).	Possunt adjuvare ministros induentes sua paramenta (B.).	
Venit cum navicula et ıribulo ad dextram Diaıi, vel in medio acolyorum (AA.), traditaque ıcono navicula, porrigit lebranti thuribulum. Quis resumptis, manet in loco (AA.).	Stant in eadem linea qua Celebrans, in extremitatibus, hinc et inde, vel retro post Celebrantem, facie ad imaginem sacristiae versa (AA.).	
Facit profundam inclinationem, et sinistra manu[2] ens manubrium thuri-	Se inclinant, et aperto capite, manibus nudis (Bi. By. M. V. aP.), ferunt can-	Simul una cum aliis profundam inclinationem cruci facit, et aperto ca-

delas cruci proximiores (B. V.); sed melius a cornu Evangelii incipiendum (S. C.).

stra (Ca.), naviculam, altera manu super pectus posita (AA.). Tumque videtur standum opi- exeundo e sacristia usum incensi eo, quod de hoc taceant recentiores scriptores. Ast e con mnibus. Ceterum liturgistae omnes idem docuerunt. „Usus communis ab omnibus DD. re-

TEXTUS.	CELEBRANS.	DIACONUS.	SUBDIACONUS.
	et se vertens vicissim ad ministros, ipsorum salutationi inclinatione respondebit (By. L. M. V. aP.). Ultimus accedit ad Altare, manibus junctis (R.). Accepta aqua benedicta, detegit caput et postquam se signaverit, iterum caput cooperit (R.).	(AA.), caput tegit et inclinationi mediori celebranti facta, sequitur Subdiaconum, manibus junctis (B. M. aP.). Ingrediens in ecclesiam sumit birretum sinistra, porrigit aquam benedictam Celebranti, factis Salutationibus assuetis, et postquam se signaverit, rursus caput tegit birreto (B.).	se signat, statim que tegit caput.
	Cum pervenerit ad Altare, tradit Diacono birretum (AA.), et in plano (S. C.) flexione unius genu facta, manibus junctis, illico surgit (B.).	Sistit ad Celebrantis dextram, caput detegit, et accepto Celebrantis birreto cum osculis assuetis (B. By. M. aP.) flectit uno genu (R.) in plano (S. C.) et surgit (R.).	Si sistit ad Celebrantis sinistram, caput detegit, simulque genuflexione facta in plano (S. C.) surgit.
		Hic et alibi potest tempore, quo genu flectit, sustinere Celebrantis brachium (Bi. By. aP.).	Potest, dum genuflectit, sustinere Celebrant brachium (Bi. B aP.).

2. Ab initio Missae usqu

In nomine Patris etc.	Se signat et recitat Psalmum alternative cum ministris (AA.), submissa voce, modo audiri queat (S. C.)	Se signat et respondet manibus junctis ante pectus (AA.).	Ut Diaconu Manus juncta non debent ta gere tunicellan neque colloca infra illam (B V.).
Confiteor, vobis, fratres; vos, fratres.	Se inclinat profunde (R.), et manens inclinatus se vertit leviter prius versus Diaco-		

THURIFERARIUS.	ACOLYTHI.	MAGISTER CAEREMONIARUM ET CHORUS.
uli, cum pede naviculae, ajus pars aperta versa est d extra (B. M. V.), vel d intra (Bi.), et dextra uribuli catenulas, ita ut asculum sit elevatum et nulum a se distans (M.). d introductis parvo digito annulum operculi et pole in annulum catenulae, efert, sola dextra, thuribum (B. Bi. V.), omnesque aecedit, agitans leviter uribulum (AA.). Prope ltare discedit ad cornu pistolae cum primo acotho, ibique stat (M. Bi.), d accedit ad locum suum .). Si non recedat ad locum, nit retro post Celebranm et genuflectit in plano M aP. Bi.) solus vel in edio acolythorum (AA.); ique manet (Bi M.); vel ctit utroque genu in ano ad cornu Epistolae, itatque thuribulum (By. M. V. aP.).	delabra recta, illa non inclinantes, ita ut qui est a dextris ponat dextram in medio globuli candelabri, et sinistram in angulo pedis ejusdem, et qui est a sinistris ponat sinistram in ampliatione candelabri, et dextram in pede ejusdem (By. Bi. B. V. M. aP.). Incedunt ex aequo immediate post thuriferarium (AA.). In presbyterio dirimuntur et absque genuflexione se sistunt, hinc et inde, prope angulum graduum Altaris, facie unius ad faciem alterius versa (B. M.). Si spatium sit sufficiens, se collocant in extremitatibus, in linea recta cum Celebrante (By. Bs. Bi. M.), vel redientes ad medium retro post ministros (Cav. Cor. By. M. aP. B.), simul genuflectunt, et nulla interposita mora (AA.), deferunt candelabra ad credentiam, super angula anteriora (G. Cor. B. Bi.), aut super posteriora (Bs. By. P.). Postea primus defert birreta (V.).	pite (B. Bi. L.), manibus junctis (B. V. L.) accedit vel primus omnium ante thuriferarium (aP. Cas. Cor.), vel post acolythos, ante subdiaconum (By. Bs. Bi. V.), cui simul ac Diacono ministrat aquam benedictam in exitu e sacristia (B.). Dum chorus incipit Introitum, accepta birreta defert in scamnum, in quo Celebrans sedere debet, aliumve in locum aptum (B. G. By. Bs. V. M. aP.).

finem incensationis.

Si sit in cornu Epistolae, enet genuflexus in medio olythorum (M. Bi.).	Manibus junctis ac duobus genibus flexi ad latera credentiae, quodam modo collateralia suis candelabris, facie ad Altare conversa, se signant et respondent cum ministris (Bs. M. B. aP.).	Flectit utroque genu ubi vult (G. M Bi. By.) melius tamen ad latus Epistolae, facie versus cornu Evangelii conversa (Cas. B.), se signans ac respondens (AA.). Qui sunt in choro faciunt bini (*) confessionem genuflexi (AA.), iis exceptis, qui sunt parati

TEXTUS.	CELEBRANS.	DIACONUS.	SUBDIACONUS.
	num, deinde versus Subdiaconum (AA.).		
Misereatur tui.	Manet inclinatus et in fine se erigit (R.).	Se inclinat profunde (AA.) aut leviter (Bi.) versus Celebrantem (Caer. Ep.)	Ut Diaconus.
Confiteor tibi, pater, te pater.		Se inclinat profunde (R.) et se convertit versus Celebrantem, manens inclinatus (Caer. Ep.).	Ut Diaconus.
Misereatur vestri.	Se vertit leviter ad ministros (Caer. Ep.).	Manet inclinatus (AA.)	Ut Diaconus.
Indulgentiam.	Se signat (R.)	Se erigit et se signat (AA.).	Ut Diaconus.
Deus, tu conversus.	Mediocrem facit inclinationem (R.).	Facit etiam inclinationem sed profundiorem (Bs. By. Bi. M. aP. J.).	Ut Diaconus.
Aufer a nobis.	Surgit et manibus junctis, ascendit ad Altare (R.).	Ascendit ad Altare, sinistra manu inferiorem partem albae ac togae Celebrantis, dextra pectori admota (L. Bi. By. M.).	Ascendit quoque levans albam dextra manu, sinistra pectori admota (L. By. M. G. Bi).
Quorum reliquiae hic sunt.	Osculato Altari et absoluta Oratione, se convertit ad Diaconum (R).	Genuflectit, junctis manibus a dextris Celebrantis in suppedaneo (AA), ibique (By. M. B. L), sive in secundo gradu, ad quem descendit (Cast. aP.), accipit dextra manu naviculam, quam in sinistra reponit. Extracto ex vasculo cochleari (AA.), se inclinat leviter Celebranti, dictoque: *Benedicite, Pater reverende,* osculatur cochlear ac Celebrantis manum (R); moxque demisso cochleari, tenet naviculam utraque manu (Cas. M. J.).	Genuflectit, manibus junctis, a sinistris Celebrantis (AA.), et secedit paululum, facie semi versa ad Altare, aut potius ad populum (G. By. aP.).
Ab illo benedicaris, † *In cujus ho-*	Accepto cochleari, et sinistra manu super pectus posita, ter sumptum ex navicula thus (AA.), imponit in thuribulum (R.), in medio, a sinistris et a dex-		

THURIFERARIUS.	ACOLYTHI.	MAGISTER CAEREMONIARUM ET CHORUS.
		(Cav.) vel insigniis canonicalibus induti (S. C.).
	Se inclinant cum ministris (AA.).	Se inclinat etiam (AA.).
	Ut ministri.	Ut alii.
	Ut ministri.	Ut alii.
	Ut ministri.	Ut alii.
	Inclinant (AA.).	Inclinat (AA.).
Surgit cum thuribulo et navicula, ascendit per laterales gradus fere usque in medium Altaris, ibique genuflectit, et stat a dextris Diaconi, propius Altare, et ante Celebrantem: dextra tradit naviculam Diacono, et porrigit thuribulum Celebranti (By. Bi. B. P. V. M.), tenens sinistra annulum superiorem, et dextra partem inferiorem catenularum, aperiendo et elevando thuribulum (By. Bi. Cas. V. M.). Quibus ita peractis, flectit utroque genu (B. G.), aut solum caput inclinat (M. P. aP. V. B.).	Surgunt et remanent in loco, facie ad Altare conversa (Bi. M. B.). Disjunctas manus tenent pectori modeste admotas (B. V. By. Bi.), brachio dextro super sinistro reposito (B.): manuque habent neque librum, neque rosarium (Bi.).	Choro surgente ascendit cum ministris ad superiorem partem Altaris, in suppedaneo, et genuflexione a dextris Diaconi facta (Bi. V.), sumit e manibus thuriferarii naviculam, quam tradit Diacono, absque osculis (Bi. By. V. B.), et si thuriferarius minus expers sit, sustinet coram Celebrante thuribulum apertum ac erectum (V. Bi).

TEXTUS.	CELEBRANS.	DIACONUS.
nore cremaberis. Amen.	tris, recitans Orationem (AA.), remissoque cochleari, signat signo crucis, thus in thuribulo sparsum ad illud benedicendum (R.), sinistra manu posita superAltare (Bi.) vel super pectus (J.).	Resumit cochlear (AA.), quod osculatur post manum Celebrantis (R.), illudque statim reponit in navicula, quam claudit (M. By.). Dextera manu accipit thuribulum a thuriferario, cui reddit naviculam. Deinde accepta sinistra manu extremitate catenularum prope thuribuli vasculum (Bi. M.), imponit in sinistra manu Celebrantis catenularum summitatem (AA.). quas prius osculatur (B. Bi.), et extremitatem vasculo propinquiorem in ejus manu dextra, quam similiter osculatur (R.) externe (AA.).
	Accepto e manibus Diaconi thuribulo, admovet Altari sinistram manum (L. M.), vel extremitatem utriusque manus super illo ponit (Bi.), genuflectit prius, quam incipiat incensare (R.), et nulla facta nova cruci inclinatione (B. V. L. M. J.), illam ter incensat (R.), linea recta, et non a dextris et a sinistris (J.), ponendo morulam inter quemque thuribuli ictum (M. J.), nihilque dicendo (R.). Postea incensat Altare ut ad Offertorium (AA.).	Manibus junctis, genuflexioneque facta, se sistit paululum retro post Celebrantem (M. V. L. B.), vel in secundo gradu (B.), erigit sinistra casulam Celebrantis, dextra supra pectus posita, illumque comitatur toto incensationis tempore (AA.).
	Remisso Diacono thuribulo (R.), stans, manibus junctis, in extremitate suppedanei, Altare ad sui sinistram habens (AA.), solus incensatur (R.), tribus ictibus (AA.), a Diacono, cui capitis inclinatione nullatenus respondet (M. J. V.).	In Epistolae cornu, in secundo gradu, resumpto thuribulo, incensat ter Celebrantem uti infra explicabitur (AA.), et sinistra manu reddit thuriferario thuribulum (Bi.).

SUBDIACONUS.	THURIFERARIUS.	ACOLYTHI.	MAGISTER CAEREMONIARUM ET CHORUS.
Duo thuriferarii cum thuribulis et navicula accedunt ad medium chori (B.) vel extra cancellos (M. Cav.), vertentes se ad Altare. Discedendo genuflectunt (AA.). Ante fores sepulchri facta flexione utriusque genu cum inclinatione, discedunt (M.) a sinistris (B.), ubi flectunt utroque genu (M.).	Subdiaconus in medio acolythorum (R.), tenens crucem detectam (M.) se sistit ante thuriferarios (AA.). Discedunt, nulla genuflexione facta (AA.), et deducunt processionem (R.), via breviori B. By.). Sequitur Clerus (R.) Stant in loco diei praecedentis, sine genuflexione, itidemque et Clerus, qui tamen genuflectit (M. B.) Post haec acolythi ad medium reduces, quasi claudunt ingressum capellae, ibique stant (Cav.).	Curat, ut accendantur cerei in sepulchro (M.) ibique extendantur corporale super Altare (M.). Secum defert velum humerale (By.). Accensis et distributis facibus (R.), itur ad sepulchrum, ubi bini genuflectunt, dignioribus propius Celebrantem (AA.). Accepta birreta remittit ad presbyterium (B.).

TEXTUS.	CELEBRANS.	DIACONUS.	SUBDIACONUS.
		(R), absque osculis (G. M. B.).	Surgit (AA.).
	Surgit et imponit in duobus thuribulis thus, quod non benedicit (R.). Incensat ut heri, et postea induitur velo humerali albo (R.).		
		Surgit, ascendit in suppedaneum, factaque flexione unius genu (M. B. By. Bs. Cav.) vel utriusque (aP.), sumptum calicem tradit Celebranti, ut heri (AA.), aliquantisper tamen illum deponet supra Altare, si aliter agere non possit Bs. M.).	
	Processionaliter redit ad Altare, Hymnum *Vexilla* recitans cum ministris.	Processio ut heri.	Ut heri.
Processio redit ad Altare.	Ingressus ad Altare, stat in inferiori illius parte (Cav.) vel ascendens in gradum suppedaneo proximiorem (M. aP. By.), dato calice Diacono, flectit utroque genu profunda cum inclinatione, deinde exuitur velo humerali, remanens flexus genibus (M. By. Bs.).	Ascendit in suppedaneum, flexioneque utriusque genu facta, conversus ad Celebrantem, amovet humerale et sumit calicem adhuc duobus flexus genibus (M. By.), exsurgit, calicem deponit super Altare, solvit funiculum, extendit velum, ac genuflectit (AA.), dorso ad cornu Epistolae parumper verso (By. Bs. M.). Tunc surgit et descendit prope Celebrantem (M. B.), non renovata genuflexione (Cav.), nisi thuriferarius non adfuerit, et porrigit navicu-lam (B. M.).	Flectit utroque genu a sinistri Celebrantis (Bs M.). Resumit velum humerale (By. Bs M.).
	Surgit, imponit incensum, quod non benedicit, et incensat more solito (R.).		
	Tum surgit, ascendit ad Altare, genuflectit, et assurgens, sumit calicem (R.), ex quo infundit non tangens hostiam super patenam; si tetigerit illam, digitos abluat in aliquo vase (R.); reposito calice super corporale (AA.) in cornu Epistolae (Bs. M. Cav. V.), receptaque patena, deponit hostiam super	Ascendit ad dextram Celebrantis ac genuflexione facta, depromit velum ex calice (AA.). Renovata genuflexione (M. aP.), tollit patenam, quam rectam reponit super corporale, postea pallam (AA), renovataque genuflexione (By M. aP.) tenet patenam elevatam (R.), super corporale ante Celebrantem (AA.), quam	Ascendit a sinistram Celebrantis (AA.). Genuflexion facta ante et pos transit ad dex tram Diaconi (M B. aP. By.).

THURIFERARII.	ACOLYTHI.	MAGISTER CAEREMONIARUM ET CHORUS.
Porrigunt thuribulum ut heri (AA.).		
	Deducunt processionem, via longiori eodem ordine, quo die hesterna (AA.).	Cantatur *Vexilla* (R), ast ultima stropha semel tantum dicitur (M.).
Ut heri (AA.). Accedunt, primus ad cornu Epistolae, secundus ad cornu Evangelii, ubi flectunt utroque genu (M.).	Referunt candelabra ad credentiam, et Subdiaconus discedit (By. B. aP.) vel permanet flexus utroque genu aP. G. P. Cors. Cast.). Ii de choro circulum ante Altare facientes, flectunt ambobus genibus (By. M. B. P.) ibique genuflexi manent cum cereis accensis (Caer.).	Tradit cereos illis, qui umbellam tulerunt, et qui manent flexi utroque genu ante Altare, si sint Clerici, vel ante cancellos By. M.).
Primus, genuflexione facta, accedit ad dextram Diaconi (Bs. By. M.) et praesentat thuribulum (AA.).		Genuflexione facta, ante et post, sumptum velum humerale defert ad credentiam (By. Bs. M.).
Primus redit ad locum (Bs M.), alter discedit in sacristiam, genuflexione facta (G. B. Cors. aP.) et reversus flexis genibus, tenet cereum (By.) aut naviculam (M.).	Alteruter recipit velum calicis (M. P. aP.), facta, ante et post, genuflexione (aP. M.).	Ascendit ad dextram Diaconi (aP.).
	Primus affert ampullas, genuflexione facta (aP. M.).	Descendit, ut cedat locum Subdiacono (aP.).

TEXTUS.	CELEBRANS.	DIACONUS.	SUBDIACONUS.
	corporale nullo verbo prolato (R.), nec ullo signo facto (Bs. By. aP. V. M.), ac remittit patenam supra corporale in cornu Epistolae (By. Bs. M. B.).	postea tradit Celebranti absque osculis (AA.).	
	Non dicta Oratione *Deus qui humanae,* deponit calicem super corporale (R.) retro post hostiam (AA.). Imposito thure sine benedictione (R.), incensat oblata, genuflexione ante et post facta (M. B. Cav.), dicens inter incensandum, *Incensum istud* (R.). Deinde crucem incensat (S. C.), et genuflexione facta, Altare incensat, more solito, genuflexione facta toties quoties transit ante sanctissimum Sacramentum (R.). Finaliter descendit, per laterales gradus (AA.) ad cornu Epistolae, extra Altare (R.), ubi, conversus ad populum (AA.), lavat manus nihil dicens (R.).	Infundit vinum (R.) in calicem non abstersum (AA., quem dat Celebranti et cooperit palla (R.). Porrigit naviculam et thuribulum, absque osculis et sine *Benedicite* (By. B. Bs. M.). De caetero imitatur Celebrantem, et agit ut in aliis Missis (AA.). In secundo gradu, reddit thuribulum thurifer-ario (M.), non incensato Celebrante (R.).	Porrigit vini ampullam et infundit parum aquae (R.) nihil dicens (M.). Deinde transit ad sinistram Celebrantis, facta, ante et post, genuflexione. Imitatur in omnibus Diaconum (aP. M. B. Bs. By.).
		Stans a dextris Celebrantis ac ad ipsum versus illi offert manutergium (aP. By. Bs. M. Cav.).	Stat a sinistris et ipse porrigit manutergium (AA.).
In Spiritu.	Per gradus laterales redit ad Altaris medium, in quo genuflectit. Surgit et inclinatione facta ac junctis manibus, dicit (R.) submissa voce. Dein osculato Altari ac genuflexione facta (AA.), se convertit ad populum, dorso ad cornu Evangelii verso	Redit in medium per gradum, ac ibi genuflexione facta (By. Bs. M. B. Cav.) vel facta ante et post (P.) vadit ad librum (AA.).	Revertitur ad locum infra gradus, genuflexione facta (AA.).
Orate fratres.	dicit: et per eamdem viam revertens non completo circulo (R.) ac renovata genuflexione (By. Bs. M. B.) cantat statim alta voce, ut in Missa:	Non respondet (R.).	
Oremus. Praeceptis.			
Amen.	Respondet, submissa voce: tunc eadem voce, qua	Genuflexione facta, redit in medium, in secundum gradum, retro post Cele-	

THURIFERARIUS.	ACOLYTHI.	MAGISTER CAEREMONIARUM ET CHORUS.
Flexione facta cum ferente naviculam, et duobus genibus, in suppedaneo (M.), vel in plano (B.), ministrat thuribulum.	Ampullas refert (By. B.) vel dimisso solo vino, stat infra gradus, cum secundo tenente manutergium (aP. M.).	
Thuribulo resumpto et in sacristiam relato, redit et genuflexione facta, flectit utroque genu prope socios ad credentiam (By Bs. M.)	Secundus tradit manutergium ministris, quorum in medio primus infundit aquam, ipsemet tenens pelviculam (aP. By. B. M.)	
		Genuflexione facta, transit ad cornu Evangelii, super secundum gradum (M. aP.).
		Genuflexione facta, revertitur ad librum (aP. M. B. Cav.).

TEXTUS.	CELEBRANS.	DIACONUS.
Libera nos.	dixit *Pater,* in tono orationis feriarum, dicit absolute, non se signans patena (R.). et manibus extensis (M. B.). Tum genuflexione facta (R.) exsurgit (AA.), supponit patenam sanctae hostiae, quam accipiens dextra (R.) sola, indicem inter et pollicem (Caer. Ep.), elevat ita ut videri possit a populo (R.); sinistra tenens patenam supra corporale (Caer. Ep.), digitisque unitis, ut post consecrationem (M. P. Cav.).	brantem (B. M. By. Bs aP. Cav.). Flectit utroque genu a dextris Celebrantis in suppedaneo (M. B. P Cav.) vel in secundo gradu (V. aP.), manibus junctis et non erecta ca sula (AA.).
	Advertit ne hostia corporalis limites excedat (M. By. Bs. B. Cav.).	
Perceptio.	Sacram hostiam demissam, genuflexione nullatenus facta*, statim dividit supra calicem in tres partes, quarum tertiam mittit in calicem more solito, nullo verbo dicto (R.), nullaque crucis signatione facta (S. C.). Genuflexione facta, surgit (By. Bs. M.), et dicit manibus junctis super Altare, ut in aliis Missis, *Perceptio,* et reliqua, *Panem coelestem, Corpus Domini nostri* etc. et sacrum Christi corpus sumit (R.).	Exsurgit, transit ac sinistram ad librum (M Bral. Cav.) dextramve ut detegat calicem (By Bs. Bi. B. aP. M. L.), dein mutat locum, genuflexione, ante et post fa cta (By. Bs. M. aP.).
Quod ore solum.	Postea genuflectit (M.), resumptasque cum patena particulas immittit in calicem (M. V.), neque quidquam peragens (AA.) neque dicens, sumit particulam cum vino (R.). Lavat digitos super calicem, more solito sumptaque ablutione dicit solam Orationem *Quod ore* etc., manibus junctis (R.) ante se (By. M. Tet. Cav. P. aP.).	Profundam inclina tionem facit (aP. By M. B.). Clauso libro, genu flectit (B.), ac resumpt planeta, redit ad dex tram Celebrantis, genu flexione in medio fact (M. aP. P.).
	Descendit, genuflectit in plano (M.), caput tegit, ac ultimus discedit (AA.).	Ut Celebrans, quem antecedit in discessu (AA.).
	Hoc officio absoluto, recitantur Vesperae, accensis duabus candelis (B	

§. V. De ritibus servandis

Ad ea praeparanda, quae pro Officio hujus diei requiruntur cimus, quod ministri utuntur planetis plicatis in initio Officii, c albo. Non inutile esset ante Officium benedicere aquam, secundum

SUBDIACONUS.	THURIFERARIUS.	ACOLYTHI.	MAGISTER CAEREMONIARUM ET CHORUS.
Imitatur Diaconum a sinistris Celebrantis (M B. P.).			Flectit utroque genu in ultimo gradu laterali Evangelii (M. Cav. aP.).
Accedit ad librum el ad calicem ad ppositum Diaconi AA.).			
Discooperit calicem, et postea se clinat (AA.). Infusis vino et qua pro ablutione AA.), crucique inination facta (B. .), accedit ad cornu vangelii, ubi absrgit et disponit licem, more solito y. Bs. M. P. aP.). otest etiam illum eferre ad credenam et revertit, geuflexionem faciens y. B. Bi. M. V. . G. Cors.).		Afferunt ampullas, genuflexione facta (AA.). Unus ex eis affert velum nigrum ad latus Evangelii (M. Cav.).	Flectit utroque genu in secundo gradu (aP.). Extinguit cereos (Caer. Ep.), toto choro sedente (B.). Sumptum calicem refert super credentiam, cruci genuflexione facta (M. P.).
Ut Diaconus (AA.). l aliquot (aP. Cast.)	Discedit primus manibus junctis (M.).	Sequuntur thurimus ferarium sine cereis (M.). vel omnibus (By. Cors. G.).	

Sabbato sancto.

debis Memoriale Benedicti XIII. supra (pag. 97). Solummodo obser-ndum duquod tempore Missae induantur dalmaticis. Missa cantatur lore formulam Ritualis Romani, infundendam in labris (B.), quae his

tribus diebus hausta fuerunt (S. C.). Quaelibet Missa, excepta sol benedicere; itidem Diaconus, qui cantat *Exultet,* debet idem esse habent fontem baptismalem, at in aliis hoc prohibetur. Benedicti Sacra olea, impedimento majori excepto, hac die infundi deben in Communionem distribuere licet (S. C.) et tempore Missae, tantum sum, ut aqua benedicatur in vase, ex quo tum sumant fideles, tum

TEXTUS.	CELEBRANS.	DIACONUS.	SUBDIACONUS.
	Indutus amictu, alba, stola ac pluviali violaceo, accedit (R. capite tecto ac manibus junctis[1] (M. B.). Cum pervenerit in atrium seu aditum ecclesiae, stat contra crucem, traditoque birreto (B.), manibus junctis, sine cantu et in tono feriali (B. Bi. Bs. By. V. M. P.) vel submissa voce (aP. Cast.), recitat tres Orationes pro benedictione novi ignis (R.). Quae benedictio ante omnia fieri debet (S. C.).	Accedit ad sinistram Celebrantis, manibus junctis, capiteque detecto (B. M. V. aP. By. P. Cav.) vel tecto (L.). Transit ad ejus dextram, acceptoque birreto cum osculis (B.) assistit, vertens folia, elevansque pluviale, dum Celebrans cruce signat (B. Bs. By. M. V. aP.).	Indutus casula plicata, absque manipulo, defert crucem praecedentibus acolythis (B. M.). Cum pervenerit ad portam, se constituit prope mensam, retines ad portam versus crucem vertens, crucifixum vero et faciem suam Celebranti (B. M. P. aP. V.).
	Post haec, recitat quartam Orationem super grana incensi (R.), non addito neque *Domin. vob.,* neque *Oremus* (AA.).		
	Impositum in thuribulum incensum benedicit, more solito; deinde ter aspergit aqua benedicta quinque grana incensi, et ignem (R.), ter (aP. By. Cav. P.) dicens: *Asperges me,* sine cantu et sine Psalmo; mox incensat eodem modo (R.), nihil dicens (AA.).	Porrigit naviculam et cochleare, aspergillum, deinde thuribulum, osculis solitis factis (B. M. By. Bs. V. aP.).	
	Antequam discedat, benedicit impositum in thuribulum incensum (By. Bs. M. B. V. Cors. Cav. P.), sufficienter ut supersit pro incensatione libri (M. B. Cav. P.), et ultimus venit	Postea transit ad sinistram Celebrantis (M.), et sublatis planeta et stola violacea, induitur stola, manipulo ac dalmatica albi coloris (R.), reditque ad dextram Celebrantis, cui porrigit naviculam, osculis solitis factis (By. Bs. M. B.). Quibus ita peractis, arundine sumpta	Sumit (B. aP. Bi Cors. L. V.) vel non sumit manipulum (Bral. M. Cav.). Ferens crucem antecedente thurifer rario (R.), incedi post acolythos (G M Cav. P.) ipsumqu

[1] Si transeunt ante majus altare, omnes genuflectunt, exceptis Celebrante, qui se inclinat, e

solemni, prohibetur hodie, et ille, qui celebrat, debet ipse fontem qui assistit Missae. Fontes benedicendi sunt in ecclesiis, quae ignis, cerei, necnon prophetiae praecipi possunt ab Episcopo (S. C.). fontes, etiam si nova non habeantur (S. C.). Ubique post Missam ubi usus viget (S. C.). Pro gratia, Lucionensi dioecesi fuit conces- in fontes mittatur (S. C.).

THURIFERARIUS.

Cum thuribulo vacuo et navicula (R.), incedit ad dextram (M. B.) acolythi vel ipsum sequitur (aP. By.), et se sistit retro post Diaconum, a dextris ejus (B.) aut retro post acolythum qui defert grana incensi (M. By. Bs. P. V.).

Imponit carbones benedictos in thuribulum (R.), quod porrigit more solito (AA.).

Incenso benedicto praeit processioni (R.), thuribulum leviter agitans (B.) habensque a sui sinistris gerentem naviculam (M.).

ACOLYTHI.

Unus ferens vas aquae cum aspergillo (R.), incedit vel primus (aP. By. L.) vel in medio, a sui sinistris habens gerentem quinque grana incensi (B. M. V. P. Cav.), et accedunt extra portam aut in aditum ecclesiae (R.). Primus, deposito in mensa vase, aperit librum coram Celebrante (Cav. B.), vel se sistit ad dextram thuriferarii (M. P. Bs. V.), a sui dextris stante secundo cum granis incensi (aP.); vel adstat thuriferario (B.) aut Diacono (M. P.), tenens elevatam super pectus pelviculam, quam praesentat Celebranti (B. M.).

Clausum librum reponit in mensa, resumptoque aquae vase ac mutato loco (B.), tradit Diacono aspergillum, quod postea resumit (M. By. Bs. V.). Deposito iterum vase, accendit novo igne (AA.) candelam, quam immittit in laterna, si opus sit (M. By. aP. V. Cors.). Alter ministrat Diacono (M. B.), resumptaque pelvi, se sistit ad dextram thuriferarii (B.).

Primus incedit a dextris thuriferarii (B. aP. Bi.), aut a sui dextris (G. M.) incedit ille, qui fert quinque grana incensi (R.), alter cum candela accensa, procedit a sinistris Diaconi (B. aP. M. Cav. By. P.).

MAGISTER CAEREMONIARUM ET CHORUS.

Excusso e silice igne extra ecclesiam, accendit carbones (R.). Tum accedit cum processione, omnino primus incedens (aP. M.) vel ante Celebrantem (aP. M. P.), et se sistit a sinistris parum retro post Celebrantem (M. aP. P.), stantibus a sui sinistris illo, qui tenet librum, et paulo longius illo, qui fert naviculam (aP. M.).

Chorus, qui eo venit post acolythos, ita se sistit, ut digniores sint Celebranti proximiores. Redibunt eodem modo (AA.).

Tradit referenda ad credentiam paramenta Diaconi (By. Bs. M. B. aP.), extinctis omnibus ecclesiae luminaribus (R.), excepta ss. Sacramenti lampade (M. P. Cav.).

Incedit a latere Celebrantis (B.).

Subdiacono, qui nequidem se inclinat (By. B. aP.).

TEXTUS.	CELEBRANS.	DIACONUS.	SUBDIACONUS.
	(R.) manibus junctis et solus cooperto (G. M. By. B. aP.) vel discooperto capite (Cav. P.).	(R.), utraque manu (AA), antecedit Celebrantem (R.).	illum sequuntur Clerici bini et bini (AA.).
	Consistit in ecclesia, caputque detegit (G. aP. Cors. M. Cav.).	Ingressus in ecclesiam (R.), consistit (AA.), inclinat arundinem ad acolythum, ut unum ex ejus ramis ascendat (R.) et statim erigit (AA.),	Consistit (AA.).
Lumen Christi.	Facta flexione (R.) unius (B.) vel utriusque genu (M. aP. Cav.), surgit ante (AA.) vel post *Deo gratias* (Cav.).	flectensque (R.) unum (B.) vel utrumque genu (M. aP. Cav.), voce mediocri cantat (AA.).	Non flectit cum cruce (R.).

Processio pergit incedere: in medio ecclesiae Diaconus secundum Tertius ramus accenditur ante Altare, et Diaconus cantat adhu Chorus accurate observabit, quae dicta fuerunt de prima vice (R.).

	Tradito birreto (M A. P.) ac inclinatione facta, ascendit in suppedaneum, osculatoque Altari (AA.), transit ad cornu Epistolae. Se vertit ad Diaconum (AA.), quem benedicit, dicens: *Dominus sit.... suum paschale praeconium* (R.), manu super librum non posita (Caer. Ep. adversus By. Cast. aP.), deinde vertit se ad Diaconum, stans ut in Evangelio (Cast. B.) manibus junctis (By. Bs V. aP. M.).	Tradita arundine (R.) paululum retrocedit ad cornu Evangelii (B.), accipit Missale (R.) et in medio suppedanei (M. P.) flexus utroque genu petit benedictionem uti pro Evangelio (R.), absque tamen osculo manus Celebrantis (Caer. Ep.). Descendit in planum et genuflexione facta, accedit deinde ad pulpitum, in quo deposito libro (R.) se convertit ad meridiem (M.) vel ad septentrionem (By. aP.) apertumque librum ter incensat (R.), nihil dicens. Tunc, manibus junctis (AA.), cantat (R.).	Recedit ad cornu Evangelii, a dextri thuriferarii (B. By. vel hunc inter e acolythum ferenten grana incensi (aP By.), deinde redi prope medium Al taris cum cruce (B By.).
Exsultet. *Curvat imperia.*	Non sedet (By. Bs. M. aP.).	Accedit ad cereum paschale (B. M.), quod vel affertur (M.), et in eo figit grana incensi in formam crucis (R.), hoc ordine, 1 4 2 5 3 soptea, redit ad locum	Sequens thurife rarium (M. By. B aP.), venit ad dex teram Diaconi cun cruce (R.), cuju imago aspiciat Cele brantem (B. M. By V.); ipse vero s vertit ut Diaconu (Caer.).

THURIFERARIUS.	ACOLYTHI.	MAGISTER CAEREMONIARUM ET CHORUS.
Consistit.	Consistunt.	Consistit.
Flectit utroque genu (R.).	Flectunt utroque genu (R.)	Flectit utroque genu (R.), et chorus respondet *Deo gratias* (R.).

ramum accendit, cantans *Lumen Christi* paulo altius.

altius (R.), singula vice elevans altius arundinem (By. M. Cav.).

Recedit ad cornu Evangelii (B. By. aP.) stans prope gradus.	Ferens grana incensi recedit ad cornu Epistolae (R.) Evangeliive (aP. By.); alter extincta candela, acceptaque arundine, se sistit ad sinistram prioris (B.).	Cum advenerit, accedit ad locum (Bs. By. M. B.) accepturus birreta, et se sistit retro post Celebrantem (aP. M. P.).
Genuflexione facta, incedit secundus cum illo, qui defert naviculam, et acolytho ferente grana incensi (M. Bs. aP. By.). Se sistit ad dextram Subdiaconi (R.). Refert thuribulum (B.).	Genuflexione facta, secundus qui defert arundinem, incedit a latere Subdiaconi (M. Bs. V. aP. P.); uterque se sistit ad sinistram Diaconi (R.), hic proximior (M. By. V. P.).	Vel genuflexione facta, incedit primus ad locum Evangelii (M. Bs. aP.) et stat retro post Diaconum (B.). Chorus surgit ad *Exsultet* (R.).
	Qui defert grana incensi accedit ad Diaconum (B. M.).	Chorus sedet; magister caeremoniarum comitatur acolythum, moxque redit ad locum (B.).

TEXTUS.	CELEBRANS.	DIACONUS.	SUBDIACONUS.
		(B. M. aP. G.) et prosequitur (R.).	
Rutilans ignis accendit.		Accendit cereum paschalem cum uno ex ramis cerei triangularis (R.), tunc redit et prosequitur (AA.).	
Apis mater eduxit.		Paululum consistit (B.), deinde pergit, inclinato capite ad nomen Summi Pontif. (AA.). Praetermittit ea, quae spectant ad imperium romanum, et sede vacante ea, quae ad S. P. pertinent (S. C.).	
Explicit praeconium.	Stans in loco (aP. By. Bi. Cors. Cav.) vel descendens ad scamnum ac rediens per gradus laterales (B.), exuto pluviali; induit casulam manipuluumque coloris violacei (R.).	Clausum librum relinquit super pulpito ac genuflexione facta, accedit ad scamnum (AA.), in quo, resumptis paramentis violaceis (R.), se sistit ad dextram Celebrantis, uti in Introitu Missae (B. M. G. By. Bs).	Discedit et sequitur thuriferarium (M.). Deposita cruce, ac genuflexione facta cum Diacono, quem comitatur ad scamnum, ubi assistit Celebranti (B.), sumit manipulum (M.). Dein se sistit ad dextram Diaconi (AA.).

Celebrans legit submissa voce Prophetias, sedente choro tem- in tono feriali, manibus apertis (Caer. Ep.). In fine cujusque Pro- Oratione, redeunt ad sua loca (AA.). Debent cantare cum opus sit:

	Depositis in loco casula et manipulo, induit pluviale violaceum; descendit, inclinat Altari, dein capite tecto manibusque junctis (M), accedit ad fontem baptismalem (R.). Sistit se in introitu capellae vel ante clathros (R.), et deposito birreto ac manibus junctis, cantat, in tono feriali, Orationem *Omnipotens*, cruci se inclinans, dum dicit *Oremus* (M.), et conversus ad occidentem (By. V.).	Deponit manipulum (M.). Genuflexione facta (M.), incedit a dextris Celebrantis (Caer.Ep.), elevans extremitatem pluvialis (M.) ac detecto capite (By. M. Bs.). Stat a dextris Celebrantis, levans extremitatem pluvialis, dum opus est (M. By).	Ut Diaconus, et incedit a sinistris Celebrantis (Caer. Ep.). Stat a sinistris.

THURIFERARIUS.	ACOLYTHI.	MAGISTER CAEREMONIARUM ET CHORUS.
	Redit ad locum, catinoque in credentia deposito, sumit unam candelam extinctam (B. M. Bs. aP.). Alter comitatur Diaconum, deinde superimponit arundinem in pede prope Altare, et in candelabro cereum, cujus crucem ad Celebrantem vertit (Caer. Ep.). Prior, accensa candela ex cereo vel arundine, accendit lampades chori (R.) ac lampadem sanctissimi Sacramenti, quam modo extinxit (M. P. Cav.).	Chorus sedet (M. B. By.). Chorus sedet (Bs.).
Discedit primus, genuflexioneque facta, redit ad sacristiam (By. M. aP.) aut retro post Altare (M.)	Discedunt ac sequuntur Subdiaconum, et genuflexione facta, ministrant, unus Celebranti, alter autem Diacono (M.).	Disponit pulpitum nudum in medio chori (AA.).

pore, quo cantantur. Chorus surgit, dum Celebrans cantat Orationes phetiae, ministri se sistunt unus post alterum, absolutaque quacumque *Flectamus genua* et *Levate*. Prophetiis cantatis:

Utraque manu (By.) sumpto cereo paschali accenso, accedit ad medium presbyterii (M.), et non facta, neque genuflexione, neque inclinatione, praeit AA.) et se sistit prope alios (M.).	Alter pluviale defert ad Altare (M.), alter sumit crucem processionis (M. By. P. Cav.) et acolythi cereos (R.). Se sistunt ante thuriferarium, quem sequuntur ad fontem (M.), cruciferario inter acolythos medio (R.). Se sistunt prope fontem, extra cancellos et se vertunt ad Celebrantem (M. By.).	Assistit Celebranti (M.), curatque, ut disponantur in Altari cussini (aP. M.). Cantores intonant et chorus prosequitur (V. By. Bs. M.) Tractum: *Sicut cervus*. Ad fontem stant in duobus lineis vel in circulo (M. Bs.), digniores Celebranti proximiores (AA.). Caeremoniarius accipit birretum aut birreta et poni jubebit super scamnum presbyterii (AA.).

TEXTUS.	CELEBRANS.	DIACONUS.
	Ingressus capellam, se vertit eodem modo (By.), cantans Orationes in tono feriali (M.), deinde elevans vocem in tono Praefationis (R.), manibusque semper junctis (AA.). Accurate servat quaecumque in Missali notantur.	Ingreditur, se sistit a dexteram Celebrantis, c cum opus sit, mantile por rigit, aut sustollit pluvial (AA.).

Benedictione fontis peracta, Celebrans a Diacono accipit asper dicens (By. M. Cav.). De ipsa aqua benedicta accipitur ex fonte genuflexos (Cav.), aut stantes et inclinatos (Bs. By. P. M.). Tunc et abstergit (M.).

Celebrans et omnes alii redeunt ad Altare eodem ordine, quo nias, et chorus respondet (R.), repetendo illud idem, quod cantores quuntur (AA.), aut si aderit Episcopus, tunc solum incipiunt Litanias brans vero et ministri depositis pluviali et planetis plicatis, et (Cav. Altaris gradum et procumbunt (R.): quae prostratio semper fit etiamsi

Peccatores.	Surgit (R.), inclinationeque facta, tegit caput, et, manibus junctis (M. Cav. P.), redit ad sacristiam (R.), ubi induit paramenta alba (AA.).	Uti Celebrans, genuflecti (M. B.), et redit ad sacri stiam.
Kyrie.	Accedit ad Altare more solito (AA.), et recitat *Judica me.* Osculato Altari ac incensatione peracta, dicit *Kyrie*	Accedit ad Altare.
Gloria.	in cornu Epistolae (aP. M.), reditque intonaturus Hymnum Angelorum (AA.).	
Epistola finita.	Data manu osculanda Subdiacono (M. G. B. By. Cors. aP. Bi. L. Cav.P.), cantat *Alleluja* ut in Missali (R.).	
	Non dicit *Credo,* sed *Dom. vob., Oremus,* sine Offertorio (R.).	
	Paululum retrocedit ad cornu Evangelii (M.).	Sumpta bursa, se locat in medio, extensoque cor porali, redit ad locum (Ton. M.)
	Praefatio. *Communicantes* et *Hanc igitur* sunt propria (R.).	
Pax Domini.	Non dicit *Agnus Dei* nec dat pacem (R.).	Mutat locum, genuflexione ante et post, facta (aP. M. B.).
Alleluja.	Transit ad cornu Epistolae lecturus submissa voce hanc Antiphonam (G.	
Vespere autem Sabbati.	M. By. B.), postea cantat: quae verba chorus prosequitur (R.) et ipsemet submissa recitat voce (By. Bs. V. aP. M.).	
Magnificat.	Se signat, transit ad medium, ubi se inclinat, imponit et benedicit incensum (By. Cav. Bs. V. H.), ac in-	Se signat (Cav.).

SUBDIACONUS.	THURIFERARIUS.	ACOLYTHI.	MAGISTER CAEREMONIARUM ET CHORUS.
Ingreditur et se sistit ad sinitram Celebrantis.	Cum cereo se tenet haud procul a Celebrante et ministris (AA.).	Si locus detur, in capellam ingreditur crucifer cum acolythis, et se sistit ante Celebrantem, ita ut inter eos sit fons (L. V.).	

sorium cum osculis (M.), et se ipsum et circumstantes aspergit nihil in vase consueto, et interim Sacerdos aspergit per ecclesiam fideles Celebrans sacra olea in fontem infundit (R.), et postea manus lavat

accesserunt ad fontem (M.), et duo cantores incipiunt cantare Litadixerunt (M. V. Cav.). In medio chori cantores genuflexi prose- (S. C.), caeteris de choro in suis locis genuflectentibus (R.). Cele- P.) aut non manipulo (M.), genuflectunt in plano ante infimum non foret fons benedicendus (AA.).

Ut Diaconus (M. B.). Missa fit ut alias.	Primus discedit, junctis manibus (B.). Accedit ad Altare.	Thuriferarium manibus junctis sequuntur (M.). Accedunt ad Altare more solito.	Manibus junctis procedit ante Subdiaconum (M.), cereos accendit (R.), et antependium ac conopoeum aptat. *Kyrie* novies post Litanias cantatur solemniter, ut in Missa (R.).
Facta Altari reverentia, calicem de credentia accipit, quem humerali velo coopertus defert ad Altare in cornu Epistolae (aP.). Ut Diaconus.	Campanulas pulsat (AA.). Thuribulum et incensum more ordinario ministrat (R.).	Campanae in turri positae, antequam audiatur ecclesia matrix, non sunt pulsandae (S. C. C.) Non deferunt candelabra ad Evangelium (R.), sed sistunt a latere Subdiaconi junctis manibus, se signantes etc. (B. aP. M. Cast. H. Cav.).	Cantatur *Gloria* dum (V.), vel postquam campanae intra ecclesiam pulsatae fuerint (L. Cast. By. aP. M. Cav. P.). Dein per ecclesiam discooperiuntur omnes imagines (S. C.).
	Incensum ministrat et thuribulum (R.).		Dignior primum *Alleluja* cantat, quod bis chorus repetit, et post Antiphonam ab utroque choro alternatim cantatam, dicitur Psalmus *Laudate*, *Gloria Patri*, et post Psalmum iterum ter *Alleluja* (AA.).

TEXTUS.	CELEBRANS.	DIACONUS.
	censat, ut in Introitu (R.). Incensatur ipse in cornu Epistolae, moxque recitat vicissim cum ministris *Magnificat*, et repetit Antiphonam (Bs. M. By. aP. V. P. Cav.).	Incensat Celebrantem, chorum ac Subdiaconum (AA.), et redit ad locum, ubi incensatur a thurifer rario (By. Bs. M. B.).
Dom. vob.	Redit ad medium Altaris. Reliqua more solito fiunt (AA.).	Cantat *Ite, Missa est*, additis duobus *Alleluja*.

Caput

De Vesperis, Matutinis, Processionibus

§. I. De caeremoniis servandis

1. Ad Vesperas solemnes, Celebrans, indutus superpelliceo Altare, ut in Missa. Induatur porro pluviali ab initio Vespe- capite aperto, deinde Caeremonarius (V. Cors.), tum alii de Clero vel quatuor, imo sex,[3] in solemnitatibus (Caer. Ep.), postremo assistentes, qui fimbrias anteriores pluvialis Celebrantis parum- junctis (G. Cast. Cors. V.).

2. Cum pervenerint ante Altare, stant omnes linea recta; candelabra cum cereis extinctis in utroque cornu Altaris, aut et genuflexione aut inclinatione facta, omnes flectunt utroque Caer. Ep.), dicentes *Aperi, Domine* (B.).

3. Oratione facta, surgunt, factaque iterum genuflexione Epistolae Celebrans medius inter duos assistentes, aliisque, si vel pluvialibus induti ad scamna in choro praeparata accedunt, ratamque (AA.). Celebrans ibi sedet paululum (By. V. Cors.), et

4. Ad signum Caeremoniarii tacent organa (V.), Celebrans Altare, capite detecto, dicit voce submissa et manibus junctis: V.) aut Caeremonario Celebrantis pluviale elevante (B. V. Cors.), *Gloria Patri*,[4] Celebrans et omnes de choro, conversi ad Altare,

---

[1] Omnino conferenda sunt ea, quae habentur infra de *Vesperis pontificalibus*, Sectio-

[2] Die 14. Junii 1845. S. R. C. scribens Episcopo Oristanen. illi commendavit decretorum hac dioecesi, curet Amplitudo tua, ad tramites decreti generalis, quod omnes indiscriminatim ab ullo sub quovis praetextu deferatur".

[3] Licite adhibentur sex pluvialibus induti in omnibus ecclesiis ad Vesperas, non autem

[4] Fert usus quod omnes ex utraque chori parte cantent *Domine ad adjuvandum*, *Gloria*

SUBDIACONUS.	THURIFERARIUS.	ACOLYTHI.	MAGISTER CAEREMONIARUM ET CHORUS.
Incensum recipit super secundo gradu (M. By. Bs. B), deinde descendit.	Diaconum, acolythos et populum thurificat, et facta genuflexione thuribulum in sacristam reportat, postea redit (Bs. By. M. B).		

tertium.

et aliis solemnibus functionibus.

in Vesperis solemnibus.[1]

et pluviali, non autem alba neque stola[2] (S. C.), procedit ad rarum (S. C.). Procedunt primo acolythi cum cereis accensis, bini et bini juniores acolythis proximiores, mox duo pluvialistae, Celebrans medius inter duos ultimos pluvialibus indutos seu per elevant (AA.). Procedunt omnes cooperto capite et manibus

acolythi hinc inde a lateribus, genuflexione facta, deponunt in plano. Celebrans medius est inter omnes pluvialibus indutos, genu super infimum gradum, genuflexique parumper orant (AA.

aut inclinatione, accedunt ad praeparata scamna ad cornu adsint, discedentibus ad scamnum separatum aut ante Altare; et Celebrans ascendit ad primam chori sedem ornatam decotunc organa pulsantur (V.), saltem in ecclesiis cathedralibus (AA.). surgit, surgentibus omnibus de choro (V.), et conversus ad *Pater et Ave* (Cors. B. V.). Proximiori ex pluviali indutis (Cors. Celebrans cantat *Deus in adjutorium,* se signans (AA.). Ad inclinant caput (V. By.). Statim postea, scilicet *Alleluia* aut *Laus*

---

nis IV. cap. 2.

praecisam observantiam. „Ne ulterius, inquit, transgressioni legis aditus pateat in universa adstringit, mandare, ut in choro tempore divini officii stola amplius non appareat, neque

ad Missam (S. C.).

Patri, Sicut erat et *Alleluia.*

tibi expleto (Caer.), primus pluvialista, Caeremonario comite, si adsit, reverentia Altari facta et Celebranti inclinatione, isti praecinit primam Antiphonam (V. B. Cors. By.), et deinde reverentiis factis discedit ad locum (AA.).

5. Celebrans inchoat primam Antiphonam, illaque a choro cantata, duo cantores superpelliceis induti, in medio chori, inchoant Psalmum. Ad *sede a dextris meis,* omnes sedent et caput tegunt, post Celebrantem, ac sic manent, sedent, ac tectum caput tenent usque ad finem ultimae Antiphonae (AA.).

6. Ad versum *Gloria Patri,* qui solemnius cantari potest (By.), omnes caput detegunt profundeque se inclinant, etsi minime surgant (AA.). Praeterea advertendum, uno ex Canonicis surgente ad accipiendam suam Antiphonam, quippe cum quatuor ultimae etiam praeintonantur,[1] incipiendo a dignioribus, omnes Canonici surgunt et caput detegunt, et non sedent nisi postquam ille rursus sedeat (Caer. Ep.).

7. Dum cantatur ultimus Psalmus, thuriferarius surgit, reverentiaque Celebranti ac genuflexione Altari facta, accendit cereos acolythorum (By. V.), aut ipsi acolythi accendunt (B.), et deinde praeparat thuribulum in sacristia (AA.).

8. Circa finem ultimi Psalmi, acolythi soli (B.), aut comite uno Caeremonario, accedunt ad sumenda candelabra, ad Altare, cui flectunt uno genu, etiamsi sanctissimum Sacramentum fuerit expositum (S. C.), atque, dum repetitur ultima Antiphona, accedunt ad Celebrantem, non reiterata genuflexione; et una cum pluvialistis, qui ante illum venerunt, faciunt ei reverentiam, et se sistunt ante illum, conversi unus ad alterum (B. V.).

9. Finita ultima Antiphona et expleto organi sonitu, Celebrans surgit, traditoque birreto Caeremonario, manibus junctis stans, cantat Capitulum super librum positum in pulpito, aut ab uno Clerico sustentatum (AA.). Respondetur *Deo gratias.* Tum primus ex pluvialibus indutis se sistit ad Celebrantem ac Hymnum praecintonat (B. V.).

10. Celebrans cantat prima Hymni verba, quae si in-

[1] Si pluvialistae numero essent plus quam duo, ultimus ipsorum praecinet Antiphonas eodem quo diximus ordine; alias duo cantores procedent ante digniorem successive, et alter ex illis praecinet Antiphonam submissa voce.

cludant Dei aut Salvatoris invocationem, vel saltem in die Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, elevatis ac junctis manibus, inclinat caput Altari (S. C.). Si prima Hymni stropha genuflexionem exigat, Celebrans illam intonat priusquam flectat utroque genu (V. M.). Cantato Hymno, acolythi referunt candelabra, et assistentes tendunt ad loca sua, postquam Celebranti debitam reverentiam fecerint (AA.).

11. Versiculus cantatur in medio chori a duobus assistentibus (Cors. B.) vel a duobus acolythis (V. B.), et dum chorus versiculo respondet, primus ex assistentibus redit ad Celebrantem, cui, reverentia de more facta, praecinit Antiphonam *Magnificat*. Celebrans illam Antiphonam inchoat, deinde sedet ipse et omnes de choro quousque absolvatur (AA.).

12. Interea acolythi, resumptis candelabris, redeunt ad Celebrantem aut ad medium chori, ipsum expectantes (By. V.). Thuriferarius item ad ipsos venit (B.).

13. Finita Antiphona ac Cantico *Magnificat* incepto omnes surgunt; Celebrans se signat et praecedentibus thuriferario, acolythis, Caeremonario, Altari se inclinat et procedit ad Altare sanctissimi Sacramenti, habens a dextris et sinistris pluvialibus indutos, qui fimbrias anteriores ejus pluvialis parumper elevant. Hi tres procedunt capite tecto (B. Cors.) aut detecto (V.). Ante Altare stant omnes linea recta ibique genuflectionem faciunt. Cum duobus assistentibus[1] Celebrans ascendit ad Altare, illud osculatur et mox se vertens ad sui dextram, imponit thus, illud benedicit, et incensat Altare eo prorsus modo, quo ad initium Missae ad Introitum (AA.) Laudabiliter alternatim recitant Canticum *Magnificat* (S. C.). Deinde redeunt eodem ordine et modo, ad incensandum Altare majus absque nova incensi benedictione (AA.).

14. Genuflexione Altari facta, acolythi recedunt cum candelabris, et Celebrans ad locum reversus ibi incensatur a primo assistente, qui postea ipse incensatur ab ultimo aut a Caeremonario, qui incensat chorum (Cors. V.). Tum thuriferarius

[1] Romae, nonnulli de Clero comitantur Celebrantem. Dum vero ss. Sacramentum est in Altari majori, illum non comitantur, nec aliud Altare incensatur (S. C.). Tum Celebrans non tegit caput in accessu ad Altare (AA.).

populum incensat triplici ictu, attamen sub *Gloria Patri* subsistens, absolvensque thurificationem ante *Oremus* (AA.).

15. Cum repetitur Antiphona, omnes sedent: acolythi cum candelabris accedunt iterum, simul ac pluvialibus induti, ad Celebrantem, eique assistunt quousque Orationes absolvantur (AA.).

16. Stans Celebrans cantat Orationes, manibus junctis ac facie ad Altare conversa. Tum duo, qui cantaverunt versiculum, accedunt ad eumdem locum ad cantandum *Benedicamus Domino* (AA.). Quo cantato, Celebrans remissiori voce subjungit: *Fidelium animae* (V. Cors.). Interim acolythis in medio expectantibus Celebrantem, omnes discedunt eodem quo venerunt ordine.

17. En nonnulla observanda juxta Caeremoniale romanum D. De Conny. (A.) Si Vesperae dividantur a Capitulo, in earum initio, omnes induant paramenta coloris sequentis diei. (B.) Assistentibus, in chori medio, ante primam sedem, disponantur parva scamna aut scabella panno viridi cooperta. Si Celebrans sedeat in scamno in cornu Epistolae, duo primi assistentes a lateribus ejus sedeant. (C.) Antiphona non praecinitur nisi postquam cantus Antiphonae praecedentis absolutus fuerit. (D.) Si Hymnus sit *Veni Creator* vel *Ave maris stella,* in quo praescribitur, dum cantatur prima stropha, flectere utroque genu facie ad Altare conversa, soli acolythi stant, et tantummodo, prima stropha cantata, assistentes ac acolythi discedunt. (E.) Dum cantatur Hymnus, omnes stant capite detecto, Celebrans vero ac ejus assistentes manibus junctis.

18. Exposito sanctissimo Sacramento, Celebrans induit stolam (B.), acolythi non extinguunt cereos, et Celebrans cum assistentibus flectunt utroque genu ante et postquam recitent Orationem *Aperi,* item ante et post incensationem (S. C.). Non incensatur aliud Altare (S. C.), et cum thuriferarius incensat populum, diligenter advertat, ne sanctissimo Sacramento terga vertat (AA.). Nulla reverentia facienda (S. C.). Attamen reverentia in choro non omittatur ante et post incensationem, pacem, etc. (De Conny.)

19. Episcopo ad Vesperas assistente ad stallum, induto

habitu communi, id est rochetto et mozetta, Vesperae cantantur more solito, verum Celebrans incensatur duplici ictu, deinde dignior Canonicorum accedit ad incensandum Episcopum. Si assistat in sede cappa indutus, ei assistent duo Canonici. Celebrans inclinatione quasi petat incipiendi licentiam. Benedicatur thus ab Episcopo, qui incensatur a Sacerdote assistente post Celebrantem (Caer.). Capitulum cantatur ab uno cantore, et, cantato *Benedicamus Domino,* Episcopus dat benedictionem (AA.).

§. II. De caeremoniis observandis ad Matutinas solemnes, ad minores Horas et ad Completorium.

1. Hora competenti, omnes de Clero accedunt ad sacristiam et induunt superpelliceum, vel aliud insigne regulariter et legitime concessum, itidem Celebrans induit sua paramenta sine pluviali, et procedunt ad chorum, capite detecto, tenentes utraque manu birretum ante pectus. Praecedunt Caeremonarius, duo choristae, et Celebrans; deinde Canonici aut Sacerdotes, primum digniores (Caer.), in ecclesiis cathedralibus ac collegiatis, et seniores in ecclesiis parochialibus.

Cum pervenerint ante Altare, omnes genuflectunt, Celebrans in infimo gradu, et duo choristae a lateribus ejus in plano, caeteri vero accedunt ad sua respectiva loca. Oratione peracta, Celebrans exsurgit et Altari inclinatione profunda aut genuflexione facta, facit hinc et inde reverentiam Canonicis vel Sacerdotibus, qui etiam illi reverentiam reddunt, et accedit ad locum sibi praeparatum, stantibus choristis in habitu chorali super scamnum infra sedem officiantis,[1] caeterisque in suis respective locis (Caer.).

2. Cum Celebrans pervenerit ad stallum, sedet et tegit caput. Signo a Caeremonario dato, detegit caput, surgit et conversus versus Altare, dicit secreto et integre *Pater, Ave* et

[1] In plano chori ante Celebrantem, et ibi in scabello parum oblongo, panno viridi tecto, sedent, faciebus ad Altare versis, vel si ferat locus, ad alteram chori partem, ait Bauldry, qui auctor nihilominus approbat usum communem, quem memorat Du Molin, et juxta quem illud choristarum scamnum collocatur non infra Celebrantem, sed in medio chori ante pulpitum. Idem Bauldry etiam vult, ut duo choristae simul accedant ad praecinendas Antiphonas, etsi unus tantum cantet.

Credo; omnes de choro caput detegentes et surgentes, simul ac Celebrans, et facie ad Altare versa, dicunt *Pater, Ave* et *Credo* (Caer.).

Credo finito, Celebrans cum pollice manus dextrae extensae ac ante se conversae, sinistra autem super pectus posita, signando os, cantat alta voce: *Domine labia mea aperies,* omnibus de choro similiter signantibus os ac respondentibus: *Et os meum annuntiabit laudem tuam.*

Celebrans eodem tono dicit: *Deus in adjutorium meum intende,* signando se cruce a fronte ad pectus, ut alias dicitur in initio Vesperarum, respondente choro: *Domine ad adjuvandum me festina.*

Se inclinat et chorus etiam, dum cantatur: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* Dicto *Alleluja* vel *Laus tibi Domine,* se reponunt in suis respective stallis; facie unius chori ad alterum conversa, stantes et capite detecto, usque dum Invitatorium, Psalmus *Venite exsultemus Domino,* et Hymnus absolvantur.

3. Choristae accedunt ad pulpitum positum in medio chori, ad cantandum Invitatorium et Psalmum *Venite exsultemus,* etc.; choro his respondente, et omnes tam Celebrans, et choristae quam caeteri de choro, genuflectunt dum cantatur: *Et procidamus ante Deum.*

Unus choristarum, cantato *Gloria Patri,* invitatur a caeremonario inclinatione mediocri, ut accedat ad annuntiandum Hymnum.

Discedens a pulpito, facta Altari inclinatione profunda, seu genuflexione, si adsit tabernaculum, accedit ante Celebrantem, cui mediocri inclinatione facta, annuntiat Hymnum. Quo repetito a Celebrante, chorus prosequitur reliqua, choristis stantibus prope Celebrantem.

4. Hymno cantato, idem chorista, qui Hymnum annuntiavit Celebranti, accedit ante illum eique facta mediocri inclinatione, annuntiat primam Antiphonam, quam Celebrans repetit. Deinde reverentia eidem facta redit ad pulpitum, ad quod cum advenerit, se inclinat vel genuflectit versus Altare, et Antiphona integra a choro dicta, choristae inchoant primum Psalmum usque ad medium versiculi, choro reliqua prosequente.

Celebrans et omnes de choro sedent et caput tegunt, dum dicitur Psalmus, itidem choristae ad loca sua regressi, omnes se discoperientes et se inclinantes, dum dicitur: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto,* et postea se cooperientes. Quod et semper observetur quotiescumque dicetur choro sedente. Versus finem *Sicut erat,* choristae se discooperiunt, surgunt et revertuntur ad pulpitum.

5. Primo Psalmo finito, Caeremoniarius accersitum unum de choristis ad annuntiandam secundam Antiphonam, factis eisdem quae supra inclinationibus aut genuflexionibus, deducit ante digniorem chori. Cui cum chorista mediocriter se inclinaverit, annuntiat Antiphonam. Qua repetita, reiterata ei inclinatione, redit ad locum. Antiphona dicta, choristae praecinunt secundum Psalmum, et sic de omnibus Antiphonis ac Psalmis postea praeintonandis.

Tertio Psalmo absoluto atque Antiphona repetita, Celebrans omnesque de choro se discooperiunt et se erigunt.

Duo choristae aut duo acolythi, dum dicitur Antiphona, accedunt ad medium chori ante pulpitum, ubi, facta reverentia Altari ac Celebranti, si aspiciatur, Antiphonaque absoluta, cantant versiculum, et redeunt ad locum, debita reverentia Altari ac Celebranti facta, illis de choro ad Altare conversis.

6. Dum versiculus dicitur, Caeremonarius accedit ad invitandum Canonicum aliumve dicturum primam Lectionem, semper incipiendo a junioribus, et stans ante illum eique mediocriter se inclinans, invitat ad accedendum ad pulpitum in chori medio positum, ad quod illum deducit.

Cum pervenerit ante pulpitum, iste Altari se inclinat aut genuflectit, mediocrique inclinatione facta choro prius ab uno latere et postea ab altero, semper incipiendo a latere chori ubi est Celebrans, accedit ad pulpitum Altari proximius positum, ac Lectionem, quam lecturus est, oculis perlustrat.

Cum a choro responsus fuerit versiculus, Celebrans stans ad Altare conversus, dicit alta voce *Pater noster,* etc., prosequens reliqua submissa voce usque ad verba, *Et ne nos inducas in tentationem,* quae dicit iterum alta voce, choro etiam ad Altare converso ac respondente: *Sed libera nos a malo.*

Celebrans stans, ante se librum tenente acolytho, dicit alta voce absolutionem, *Exaudi Domine,* etc., et *Amen* a choro responso, lector se vertit ad Celebrantem, profunde inclinatus, et dicit alta voce: *Jube Domne benedicere,* persistens sic inclinatus quousque Celebrans dixerit: *Benedictione perpetua* etc. *Amen* a choro responso, Celebrans sedet ac caput tegit, ac etiam illi de choro, adeo ut demittant chori sedes, si adsint, sine strepitu et manibus illis admotis (quod curandum est quotiescumque sessio fiat), et qui est ad pulpitum, inchoat Lectionem alta voce, distincte ac devote, in tono ordinario et solito, utraque manu birretum ante pectus tenente, aut utraque manu super librum posita (S. C.), si birretum dimiserit.

7. Finita Lectione per verba: *Tu autem Domine miserere nobis,* si sit Canonicus, se inclinat profunde, si sit alius Sacerdos, genuflectit Altari, et, reverentia facta illis de choro, ab utroque latere, incipiendo a latere, ubi est Celebrans, redit ad locum.

Lectiones dicuntur, praecipue in diebus festi, a Canonicis junioribus incipiendo; in aliis autem diebus ab aliis Clericis, et si non adsint Canonici, ut in ecclesiis parochialibus, incipiendo a junioribus Presbyteris aut Clericis.

8. Lectione absoluta, choristae caput aperiunt, surgunt et accedunt ad pulpitum inchoaturi Responsoria, quae totus chorus prosequitur. Duo Clerici aut cantores insuper tempore competenti accedunt ad pulpitum, ad cantandos versiculos, factis prius et postea genuflexionibus atque inclinationibus. Versiculi primae ac secundae Lectioni respondentes dicuntur ab his Clericis aut cantoribus, versiculi autem tertiae Lectionis et *Gloria Patri* dicuntur a choristis.

9. Dum cantantur Responsoria, Caeremonarius, postquam reduxerit illum, qui cantavit primam Lectionem, accersit illum, qui dicturus est secundam. Qua finita ac reducto illo ad locum, deducit tandem illum, qui dicturus est tertiam. Servent omnes easdem Caeremonias, quas in prima Lectione, tam in accessu, quam in discessu a pulpito.

Dum Celebrans dicit secundam et tertiam benedictionem, *Unigenitus Dei Filius,* aut *Spiritus sancti gratia,* etc., stat capite aperto, chorus etiam capite aperto, sed sedens.

Ad *Gloria Patri* tertii Responsorii, Celebrans et qui sunt in choro tum sedentes, caput aperiant ac maneant inclinati quousque *Gloria Patri* dictum fuerit, nec antea se erigant.

10. Eadem observantur in Psalmis, Lectionibus ac Responsoriis aliorum Nocturnorum, sed dum dicuntur verba textus Evangelici, quo inchoatur septima Lectio, omnes surgunt ad lectorem conversi, et dum dicit: *Et reliqua,* omnes sedent et se cooperiunt. Sub octava Lectione, Celebrans induit pluviale ab acolytho allatum. Ambo choristae etiam pluvialia induunt in locis suis.

Dum cantatur octavum Responsorium, duo acolythi sumptis suis candelabris, et, accensis cereis ac Altari genuflexione facta, accedunt ad Celebrantem, quem salutant profunda inclinatione, se sistunt unus ad dextram ejus, alter autem ad sinistram, ibique stant donec nona Lectio a Celebrante dicta fuerit.

11. Responsorio octavae Lectionis absoluto, choristae, cantatis versiculo et *Gloria Patri,* accedunt ad Celebrantem, qui surgit nec non omnes de choro. Stans in loco, librum Breviarii ante ipsum tenente aliquo acolytho, Celebrans, conversus ac inclinatus ad digniorem de Clero, dicit: *Jube Domne benedicere,* digniori de choro respondente: *Ad societatem civium,* etc., aut *Per evangelica dicta,* etc. Tum Celebrans dicit alta voce Lectionem, interea choro stante aperto capite (AA.).

Sub fine Lectionis, Celebrans se vertens ad Altare, profunda inclinatione facta, dicit: *Tu autem Domine,* etc., choro ei respondente: *Deo gratias.*

12. Dicta Lectione, primus ex choristis praecintonat *Te Deum.* Quo a Celebrante repetito, omnes redeunt ad sua loca, ut ad Hymnum Vesperarum, choro stante et detecto capite cantum Hymni prosequente. Ad versiculum *Te ergo.... redemisti,* Celebrans ac omnis chorus flectunt utroque genu.

Laudes celebrantur eodem modo et ritu, quo Vesperae (Caer.), sed non adsunt nisi duo assistentes pluvialibus induti (By.).

13. In minoribus Horis hebdomadarius dictis *Pater* et *Ave,* quibus additur *Credo* ad Primam, praecinit *Deus in adjutorium,* recitat Capitulum, Orationem ac Versiculum *Fidelium.* Primus

cantor inchoat Antiphonam et primum Psalmum, quem cum sequentibus prosequuntur duo chori partes alternative. Responsoria brevia dicuntur a duobus acolythis aut duobus cantoribus, in festis primae ac secundae classis, aliis autem diebus ab uno. Hymnus quoque inchoatur, prout fert officii ritus, ab uno duobusve cantoribus. *Benedicamus Domino* dicitur, vel a cantoribus, aut a duobus acolytis.

14. Ad Primam, lector, reverentiis de more factis, accedit lecturus Martyrologium super pulpito, omnibus aliis sedentibus. Surgitur ad versiculum *Pretiosa,* quem dicit Celebrans. Lector, recitata in fine Lectione brevi, recedit ad locum, inclinatione genuflexioneve facta.

15. Ad Completorium, lector in chori medio, dicit *Jube Domne,* conversus et profunde inclinatus ad Celebrantem, qui illum benedicit sine ullo signo, dicens *Noctem quietam.* Lector, finita Lectione ac genuflexione facta ad *Tu autem,* redit ad locum. Celebrans dicit *Adjutorium* sese signando, ut omnes de choro, mox profunde inclinatus, recitat *Confiteor,* se vertens ad ceteros de choro ad *vobis fratres* et *vos fratres,* et se erigens post *Misereatur.* Chorus dicit *Misereatur,* conversus ad Celebrantem, deinde *Confiteor,* se inclinans profunde, et se vertens ad Celebrantem ad verba *tibi, Pater,* et *te Pater.* Celebrans vertit se ad chorum, dicens *Misereatur,* postea se signat ad *Indulgentiam,* omnibus aliis similiter se signantibus. Celebrans dicit: *Converte nos,* sibi pectus signans pollice dextro, seque signans signo crucis ad *Deus in adjutorium,* omnibus aliis illum imitantibus. Ad Antiphonas, Hymnos, Psalmos, Responsoria, observantur dicta pro minoribus Horis. Celebrans dicit Capitulum et Orationem stans, vel genuflexus ad Preces, si recitandae sint. Dicto *Benedicamus Domino,* vertit se versus digniorem chori ad illum invitandum ut dicat: *Benedicat et custodiat.*

Antiphonam Beatae Mariae Virginis dicunt vel stantes aut genuflexi, prout tempus exigit, Celebrans autem stans dicit Orationem. Dicunt quoque *Pater, Ave, Credo,* similiter vel stantes aut genuflexi, ast *Sacrosanctae* semper genuflexi recitant.

§. III. De expositione et repositione ss. Sacramenti.

1. Triplex datur expositio sanctissimi Sacramenti. Prima, quae *solemnissime* celebratur, complectitur expositiones, quae fiunt in oratione quadraginta horarum, vel intra octavam sanctissimi Sacramenti, aut tempore calamitatum, in gratiarum actionem etc. Quae expositiones satis diu protrahuntur et maximo cum apparatu celebrantur. Expositiones *minus solemnes*, seu simpliciter *publicae*, breviores sunt, ac celebrantur occasione festi alicujus Sancti, aut fundationis exsequendae, modo tamen ss. Sacramentum extrahatur e tabernaculo, et patenter super throno collocetur. Caeterae expositiones sunt *privatae*, et fiunt simpliciter aperiendo tabernaculum, absque eo quod ex illo extrahatur sacra pyxis, quae, velo cooperta suo, sic populo ostenditur (Ben. XIV. Gard.).

2. Expositio ss. Sacramenti, non stricte privata, fieri nequit, sine Ordinarii licentia, aut a saecularibus, aut a regularibus. Quod satis superque decrevit sacrorum rituum Congregatio: imo Ben. XIV, in Constit. *Accepimus* ait: „Certissimum est, huic sedi Apostolicae, in quibuscumque ecclesiis, etiam privilegio immunibus, sive saecularibus, sive regularibus, non licere exponi publice divinam Eucharistiam, nisi causa publica et Episcopi facultas intervenerint.“ Consuetudo contraria rationabiliter non introduceretur, quippe cum minueret cultus decentiam, et in casu potius obligationem quam jus impediendi tenent Episcopi ex sancta synodo Tridentina (Mél. théol.). Maxime notandum est, expositionem ss. Sacramenti semper prohibitam esse, dum fieri nequit modo decenti (Gard.).[1] Quocirca fieri

[1] Legatur de hac re sapientissimus Bauldry: „Antequam ultra progrediar, dicam libenter, me minime probare illam consuetudinem, quae a paucis annis invaluit, exponendi ss. Sacramentum in ecclesiis praesertim in majoribus festivitatibus Sanctorum. Mos enim iste adversatur Caeremoniali Episcoporum praecipienti, ut decenter collocetur in loco congruo et diverso ab Altari majori, et prohibenti celebrationem Missarum, nisi necessitas urgeat. Et certe superiores ad id attendere debent diligenter, ne ob nimiam exponendi ipsum ss. Sacramentum frequentiam, cultus ei debitus et honor minuatur, quod saepe evenit. Ideoque prohibere deberent hujusmodi expositionem absque Ordinariorum expressa et speciali ad id licentia, ut sentiunt multi, et praecipue id prohibent Acta Mediolanensis ecclesiae, et nisi publica et gravis Ecclesiae causa id exposcat: festivitates enim Sanctorum, et festa Patronorum ecclesiae aliam solemnitatem requirunt, et expositio Sacramenti diversam postulat et sibi peculiarem solemnitatem. Nam praesente Domino summo, cessare debet honor, qui servo exhibendus esset, ut praesente sole alia omnia astra splendorem amittunt,

nequit triduo sacro majoris hebdomadae (S. C.),[1] noctuque mulieres nullatenus admittantur. Institui tamen potest in defunctorum favorem (S. C.). Ordinarie fit sub fine Missae, post breviorem processionem factam (Instr. Clem.).

3. Altare, in quo fit expositio ss. Sacramenti summo cum apparatu ornetur, tabernaculique conopoeum ac Altaris antependium sint coloris albi. Quacumque in expositione ss. Sacramenti, etiam privata, sex cerei saltem accendantur (S. C.). Maxime ergo decet, ut in expositionibus solemnibus accendantur decem, duodecimve (AA.) imo viginti (S. C.). Non tantum curandum est, ut Altare, in quo ss. Sacramentum exponendum est, magnifice ornetur, sed ut cum debita adorantium, praesertim Sacerdotum, frequentia honoretur. Maxime etiam decet, ut ex Clericis, qui aliis exemplo esse debent, unus vel duo Sacerdotes, vel saltem Clerici superpelliceis induti, continuo assistant. Episcoporum est, invigilare, ut haec fiant (S. C.). Cantiones in vulgari lingua (S. C.), motteta, vel Missae a musicis cum instrumentis cantatae prohibentur coram ss. Sacramento exposito (Gard.). Attamen nihil impedit, quin preces cantentur in honorem B. V. Mariae aut Sanctorum (S. C.).[2] Statuae ac imagines Sanctorum velo cooperiantur, saltem in oratione quadra-

---

et ea de causa jam multi Episcopi hunc morem juste abrogarunt.“ *Manual. sacr. Caerem.*, part. III, cap. 17.

[1] Equidem S. R. C. expresse non definivit, expositionem non posse fieri in ultimo triduo s. hebdomadae, nisi post Vesperas sabbati s., verumtamen haec doctrina tam bene respondet decretis ab ea prolatis, et usui constanti ecclesiarum Urbis, ut ab ea recedere haud liceat. Num autem possit haberi expositio, si benedicendi sint solemniter cerei, palmae, ac processio habenda? Utique si haec expositio non est necessaria, haberi non potest. Si autem fieri debeat, v. g. pro precibus XL horarum, tunc benedictio fiet in minori Altari, et quoad fieri poterit, sine cantu, ac processio omittenda. 17. Sept. 1822, *in Dubiorum*, ad 10. V. *Eucharistia*, §. II.

Vigebat consuetudo in quadam ecclesia olim Fratrum Praedicatorum, recitandi quotidie mane rosarium, ac post ipsum recitatum dandi benedictionem cum ss. Sacramento. Servandam esse hanc consuetudinem, respondit S. Congr. 11. Sept. 1847, *in Ariminen.* V. *Benedictio*, §. IV.

Alius vigebat usus in dioecesi Montis Politiani, nempe exponendi SS. S. in refrigerium alicujus defuncti, sive semel, sive aliquoties per annum. De gratia speciali Ordinario facultas data est, hunc usum permittendi, pensatis casibus et circumstantiis. 22. Juli 1848, *in Montis Politiani.*

[2] Si coram ss. Sacramento exposito cantari possunt preces pro defunctis, ut declaravit S. R. C., a fortiori cantari possunt in honorem Sanctorum. Utique Romae cantantur Litaniae Sanctorum in oratione XL horarum.

ginta horarum: Sanctorum autem statuae aut reliquiae ab Altari amoveantur (S. C.).

4. Nisi aliter fieri possit, in Altari, in quo ss. Sacramentum est expositum, numquam licet distribuere Communionem (S. C.). Ex dicta Innocentii XI, favorabilia tamen regularibus Belgii: *Quod si sacra Communio, eodem tempore, quo ss. Sacramentum expositum sit, administranda fuerit, id fiat in Altari diverso, sumendo ss. Sacramentum ex ciborio, et finita Communione reponatur in tabernaculo, aut ita velo tegatur, ut conspici non possit* (Bull.). Missam autem, excepta Missa, quae repositionis vocatur, qua expositio solemnior clauditur, non licet celebrare in hoc Altari sine gravibus causis (S. C.). Etsi, exposito ss. Sacramento, haud valde conveniens sit, non prohibetur tamen sedere, sed non licet tegere caput, nisi velo cooperiatur ss. Sacramentum, et in choro tantum (S. C.). Si habeatur concio, cavendum est, ne terga vertantur ss. Sacramento, etiam velato (S. C.).

5. Laudes apud nos dictae vespertinae, quidquid quidam opinentur, non sunt recentis inventionis, cum de iis mentio fiat jam ante saeculum duodecimum; satis autem recens est consuetudo introducta illas claudendi cum benedictione ss. Sacramenti, fere semper in illis expositi.[1] Antiquitus Laudes vespertinae Hymnis, Psalmis etc., constabant, et absolvebantur benedictione manu data. Quod et hodie adhuc observari licet (S. C.): consuetudo autem, de qua conquerebatur P. Raynaud,[2] adeo invaluit, ut hodiedum vox *Salut* includat semper expositionem ss. Sacramenti. Supponamus igitur rem semper isto fieri modo.

6. Sacerdos cantaturus Laudes vespertinas induat super-

---

[1] Generatim synodi et scriptores belgici vertunt vocem *Salut* per *Laudes vespertinas*, sed non recte. *Laudes vespertinae* sunt proprie Vesperae, et sic vocabantur ut discrepantes a Laudibus matutinis, quae nomen Laudum servarunt. Matutinae horae tum vocabantur nocturni. Du Cange atque Trevoux melius vertunt per *salus*, *salutatio*, quae est vox latinitatis aetatis mediae. Caeterum, eadem est significatio ac *laudes*, laus, honor Deo.

[2] Invaluit usus a paucis annis, praeter antiquum Ecclesiae morem, ut divina Eucharistia saepe saepius exponatur, et sub Vesperam, facto ad id populi concursu, Sacerdos, saltem linteatus, accepto in manus quod praestabat eucharistico cymbio, benedictionem impendat, efformato in aere cum cymbio (custodia) signo crucis. *Heterocl. spir.*, sect. II, punct. 3.

pelliceum, aut, si sit Canonicus, rochettum (S. C.) cum stola ac pluviale. Comitatur cum Sacerdos vel Diaconus, qui non induit stolam, nisi dum tangit ostensorium seu pyxidem (S. C.), et ambo accedunt ad Altare, praecedentibus thuriferario, et duobus, quatuor, sexve acolythis deferentibus faces. Non tamen prohibetur, ne illis adjungantur duo acolythi cum candelabris (S. C.). Si adessent cum assistente Diaconus et Subdiaconus, hi inducrentur iisdem paramentis, quibus in Missa, sine manipulo, et Celebrans induceret albam loco superpellicci (S. C.).

7. Inclinatione imagini sacristiae facta, procedunt primo navicularius, ferens naviculam a sinistris thuriferarii, deinde acolythi cum candelabris, tum deferentes funalia, mox Clerici cum libro et velo humerali, postremo Sacerdos assistens, stola plicata super brachium posita, et Celebrans indutus pluviali, hi capite tecto et manibus junctis (Mer. Cav.). Diaconus et Subdiaconus, si adsint, elevant fimbrias anteriores pluvialis Celebrantis, qui medius procedit (AA.). Cum pervenerint ad Altare, detecto capite genuflectunt in plano, mox flectunt utroque genu in ultimo gradu. Acolythi etiam genuflectunt retro post ministros, ibique genuflexi persistunt. Sacerdos assistens, a dextris Celebrantis, imposita super collo stola, ascendit super suppedaneum, aperit tabernaculum et genuflexione facta (Cav. Mer.) descendit: thus imponitur in thuribulum. Incensatione peracta, rursus ascendit, et collocat ostensorium super thronum (By.). Alii volunt, ut collocetur super Altare ante incensationem, sed in praxi statim ac Diaconus extraherit ostensorium e tabernaculo, super thronum erigit, genuflectit et descendit, ut thus imponatur (Cav.*Mer.). Ante et post incensationem, Celebrans atque Assistens genuflexi profunde se inclinant (AA.). Licet Diacono, cum induitur stola et dalmatica, vices gerere assistentis Sacerdotis. Assistens vero potest, si ita moris sit, osculari crucem stolae, antequam illam super collo imponat (S. C.).

8. In Laudibus ss. Sacramenti adhiberi debet color officii diei, si cum officio immediate conjungantur, si autem fiant tanquam functio omnino separata, adhiberi debet color albus (S. C.). In omnibus casibus velum humerale album adhibendum est (S. C.).

Bene notandum est, quod Sacerdos assistens non possit ferre stolam super collum, nisi dum exponit vel deponit ss. Sacramentum, alias defert stolam super brachium sinistrum.

Dum cantantur Laudes vespertinae, Celebrans sit in infimo gradu Altaris, genuflexus (By.), et non surgat nisi ad preces, quae surgi exigunt, uti, *Magnificat, Te Deum.*

9. Cum ss. Sacramentum servatur in alio Altari, non instituenda est processio, ut inde extrahatur ac deferatur, quod omnino repugnaret regulis liturgicis. En quomodo procedendum sit juxta Baldeschi. Sacerdos, indutus superpelliceo et stola, praecedentibus acolythis cum cereis accensis, accedit ad ss. Sacramentum sumendum. Porro induit velum humerale, si diversum sit Altare (S. C.), et SS. defert exponendum super Altare dispositum, recitans Psalmos. Genuflexionibus debitis factis, ac ss. Sacramento incensato, recedit. Tum tantum Celebrans accedit Altare. Laudibus vespertinis finitis, idem Sacerdos assistens reponit ad tempus custodiam cum ss. Sacramento, vel in tabernaculo hujus Altaris, aut in ipso Altari, corporali tectam. Celebrans ac ejus ministri redeunt ad sacristiam, tumque solummodo Sacerdos assistens accedit ad referendum ss. Sacramentum in tabernaculum, ex quo sumpserat.

10. Notandum est, Celebranti licere accipere, antequam benedicat, e manibus Diaconi ostensorium, quod et ipsi reddet, benedictione data (S. C.). Tunc Diaconus immediate reponeret ss. Sacramentum in tabernaculum. Juxta praescripta pro feria quinta in Coena Domini, videtur Celebrantem Diaconumve, ostensorium accipientem, genuflexum esse debere.

11. Arbitramur prohiberi in Laudibus vespertinis cantica ex libris liturgicis non excerpta. Cum enim Laudes illae vespertinae sint officia publica nomine Ecclesiae celebrata, in ipsis non possunt adhiberi nisi preces ab ea rite approbatae. In illis praedictis Laudibus igitur cantentur Antiphonae, Responsoria, Hymni Sanctorum solemnitatumve, sive partes Missae aut officii ss. Sacramenti.

Attamen Guyet arbitratur, et haec opinio Romae non male audit, licite cantari, Ordinario loci approbante, formulas latinas ex libris liturgicis non excerptas, ea tamen conditione, ut sint

et antiquitate et usu recepto insigniores, ut *Inviolata, O filii, Puer nobis,* etc.

Si cantetur *Te Deum,* standum est[1] (S. C.). Omnes Orationes precibus cantatis correspondentes uniantur sub una tantum conclusione, in fine dictarum Laudum, Oratione ss. Sacramenti praemissa (S. C.), dein ceteris Orationibus, prout ordo dignitatis ferat (AA.). Conclusio brevis est. Versiculi autem non uniendi sunt[2] (S. C.). Licet etiam cantari Responsoria in refrigerium defunctorum, coram ss. Sacramento (S. C.). *Tantum ergo* cantatur sub fine (AA.); ss. Sacramento in tabernaculum reposito, potest cantari *Laudetur et in aeternum* (*).

12. Quoad benedictionem, vide dicta in fine processionis ss. Sacramenti (pag. 266). Si Episcopus Laudibus intersit, non Celebrans, sed ipse Praelatus in sede sua imponit incensum(S. C.)!

13. De reliquia s. crucis servanda sunt, quae sequuntur. 1. Post expositionem aut processionem, benedicendus est populus, vel a simplici Sacerdote, sed interea nihil cantandum. 2. Haec reliquia incensatur, etiam feria VI. in Parasceve a Sacerdote stante. 3. Transeuntes ante illam super Altare expositam unico genu flectunt, inclinant vero caput, si sit reposita in custodia. 4. Hinc capitulum processionaliter transiens ante Altare, in quo reconditur, non debet genuflectere. 5. Capite detecto in processione deferri debet, et etiam sub baldachino, imo incensantibus duobus thuriferariis, ubi est consuetudo. 6. Cum Missa celebratur coram reliquia ss. Crucis exposita, illae caeremoniae, quae in Missa ad Altare, ubi reconditur ss. Sacramentum in tabernaculo, servandae sunt. Hinc in choro non habent caput detectum, et transeuntes unico genu flectunt. 7. Demum pro ejusdem expositione in feria VI. Parasceves, quoad colorem pluvialis, modum recitandi Orationem *Respice,* admittendi populum ad adorationem, et alia, servetur consuetudo. — Ita S. R. C. in *Cenomanen,* die 18. Febr. 1843.

---

[1] Si haec functio fiat in gratiarum actionem absque processione, addentur, post *Te Deum*, versus *Benedictus es*, *Benedicamus Patrem*, etc. et sola Oratio *Deus, cujus misericordiae* (S. C.).

[2] Estque alia methodus his in partibus approbata, quam retinere licet; nempe ut singulis Hymnis, Psalmis, Responsoriis uniatur suus versiculus, suaque Oratio sub conclusione brevi.

§. IV. De processionibus.

1. Subdiaconus, qui plerumque defert crucem, induat amictum, albam, cingulum atque tunicellam, saltem dum instituitur processio immediate ante aut post Missam. His exceptis casibus, seu dum non ministrat Altari, induat superpelliceum et tunicellam, cum amictu, si sit Canonicus. In nonnullis processionibus specialibus, loco tunicellae, induat casulam plicatam, aut tantum albam. Dum rubricae non praescribunt, ab uno Subdiacono crucem esse ferendam (S. C.) vel dum aliter fieri nequit, ob parvum numerum ministrorum sacrorum, aut in processionibus frequentioribus, vel quotidianis, crux deferatur a Clerico superpelliceo seu habitu chorali induto (By.).

2. Ab utroque crucis latere procedunt acolythi cum candelabris et cereis accensis. Insuper in processionibus solemnioribus in gratiarum actionem, etc., thuriferarius praecedit crucem, agitans thuribulum fumigans. Caeremonarius sequitur crucem, nihilominus potest alibi se sistere, si opus fuerit, ad dirigendam processionem. Cantores autem superpelliceis induti juxta morem romanum, sequantur immediate crucem, et dum processio longior est, ita collocentur, ut dividant corpus aliquod, verbi gratia, medii inter seminarii alumnos (S. C.).

3. Celebrans super albam pluviale induat. Diaconus et Subdiaconus, in processionibus, sequentibus aut praecedentibus Missam, itidem in processionibus ss. Sacramenti, induant dalmaticam et tunicellam. In caeteris autem processionibus, induant pluvialia. Verum in qualibet processione magis congruit, ut habeant dalmaticam et tunicellam (By.). Nunquam vero sumunt manipulum, excepta feria quinta in Coena Domini ad lotionem pedum. Stant a lateribus Celebrantis (R.), cujus pluvialis fimbrias anteriores elevant (AA.). Si Diaconus esset solus, absque Subdiacono, se sisteret ad Celebrantis sinistram (R.).

4. De modo procedendi in processione, videbis praescripta in feria quinta majoris hebdomadae et in die Parasceves.

Dum defertur ss. Sacramentum, nemini licet tegere caput, similiter quando deferuntur sacrae reliquiae verae crucis, excepto Episcopo. In omnibus aliis processionibus, licet Clero

tegere caput, exceptis deferentibus sacras reliquias aut imagines Sanctorum, thuriferario, cruciferario ac acolythis. Laici semper incedunt capite detecto (S. C.). Dum processio fit in ecclesia, Celebrans, ministri et qui paramentis induuntur, soli se cooperiunt; tamen se discooperiunt transeuntes ante Altare, aut ante imagines Sanctorum, in quorum honorem instituitur processio (By.).

5. Ante Altare majus, vel ante sacras reliquias expositas, omnes inclinant caput; ante ss. Sacramenti tabernaculum, genuflectunt; dum ss. Sacramentum elevatur exponiturve, omnes utroque genu flectunt, postea continuo procedunt. Si transeant ante ecclesiam, detegunt caput. Verum in ss. Sacramenti processionibus, nulla exhibetur reverentia (AA.).

Si forte processio intret in quamdam ecclesiam, hujus Clerici aut saltem major pars, accedant ad recipiendos processionaliter incedentes (S. C.), praecedentibus cruce ac candelabris. Rector, cum superpelliceo absque stola (S. C.), stet a dextris, quo faciliori modo possit aspergere aqua benedicta omnes processionaliter incedentes, et, si Celebrans fuerit Praelatus, ipsi aspersorium porrigat. Aspergat quoque laicos Celebrantem subsequentes, et non recedat antequam omnes in ecclesiam ingressi fuerint (Mél. théol.). Cum pervenerint ad Altare, cantores cantant Titularis Antiphonam, cujus Versiculos et Orationem Celebrans cantat, manibus junctis (By.). Ritu paschali, si tempore paschali, cantantur Antiphonae (S. C.).

6. In processionibus Rogationum et sancti Marci, Sacerdos stola violacei coloris sit indutus,[1] ceteri vero Sacerdotes et Clerici superpelliceis induti (R.). Stantes sequentem Antiphonam concinunt, *Exsurge,* absque Alleluja cum Psalmo *Deus auribus, Gloria Patri,* et repetunt Antiphonam. Deinde genuflectunt omnes (R.), Celebrans medius inter ministros in ultimo gradu Altaris, et duo Clerici ante Altare majus genuflexi de-

[1] In omnibus processionibus utitur habitu coloris violacei, praeterquam 1° in processionibus Corporis Christi: 2° et quae fiunt solemnibus diebus, vel in gratiarum actionem; quibus diebus utitur colore propriae solemnitati congruenti: porro in processionibus Corporis Christi et in gratiarum actionem utitur paramentis coloris albi, nisi Missa, quae praecedit, alium colorem exigat: 3° in processione, quae fit ob translationem sacrarum reliquiarum alicujus Sancti, utetur tunc colore huic solemnitati congruenti (R.): 4° in processione omnium Dominicarum, Missam immediate praecedente: 5° in illa, quae fit in honorem alicujus Sancti (By.).

vote Litanias cantare incipiunt, ceteris eadem voce respondentibus. Cum autem cantatum erit, *Sancta Maria, ora pro nobis,* surgunt omnes, et ordinatim procedunt, egredientes, Litaniasque prosequentes (R.).

Si processio sit longior, vel repetantur Litaniae (R.), aut integrae, aut singuli versiculi,* vel Litaniis absolutis usque ad preces exclusive, dicantur aliqui Psalmi ex poenitentialibus, seu gradualibus. Hymni vero, vel Cantica laetitiae in Rogationibus, aut aliis poenitentiae causa institutis processionibus, non dicuntur. Si ad unam vel plures ecclesias sit divertendum, ingressis ecclesiam, intermissisque Litaniis vel Psalmis, cantatur Antiphona cum Versu et Oratione sancti Patroni illius ecclesiae (R.), ut in suffragiis (AA.). Si in Altari habeantur insignis reliquia, aut imago, ob quam fit processio, Celebrans illam incensat triplici ictu, dum Antiphona cantatur (By.). Deinde egredientes, resumptis precibus, eodem ordine procedunt usque ad ecclesiam, ubi cum precibus et orationibus omnibus processio terminatur, ut in fine Breviarii romani post Psalmos poenitentiales (R.). Observandum est, nihil posse mutari vel addi Litaniis, nequidem nomen Patroni (S. C.), solummodo post versiculum *A fulgure et tempestate,* addatur: *A flagello terrae motus* et *A peste, fame et bello* (S. C.).

7. In processione festi sanctissimi Corporis Christi, decenter ornentur ecclesiae, et parietes viarum, per quas est transeundum, tapetibus et aulaeis, et sacris imaginibus; non autem profanis aut vanis figuris seu indignis ornamentis (R.). Possunt etiam per vias erigi aliquot Altaria, saltem si via processionis sit longior, ut, si opus sit, ss. Sacramentum super illa collocari possit. Sessio vero toties quoties non fiat nec benedictio detur; sed semel tantum et iterum in processionis decursu (S. C.). Ac tunc strophae, versiculus ac Oratio ss. Sacramenti cantentur (AA.). Celebrans, qui idem esse debet, qui Missam cantavit, incedit sub baldachino (S. C.) ss. Sacramentum ante faciem gestans (R.) et recitans alternatim cum ministris (Caer.), quod et facere similiter possunt Clerici (*), sequentes Hymnos, quos cantores pro longitudine processionis concinunt, *Pange lingua, Sacris solemniis, Verbum supernum, Salutis*

humanae sator, Aeterne Rex altissime, et Cantica *Te Deum, Benedictus, Magnificat*, etc. (R.). Solummodo reservantur duae ultimae strophae *Pange lingua* (Vid. feriam quintam in Coena Domini.).

8. Si usus ferat, disponantur paramenta sacra, nempe tunicellae, dalmaticae, casulae et pluvialia pro Clericis, qui procedent juxta ordinem dignitatis, minus dignis antecedentibus (S. C.). Attamen jus utendi dictis ornamentis ad solos pertineret Canonicos cathedralis ecclesiae, si adessent (S. C.), qui illis induerentur super rochettis aut superpelliceis, ac amictu absque manipulo (AA.). Omnes Clerici Hymnos decantantes gestant manu cereos accensos (R.). Convenit item, ut laici utriusque sexus deferant cereos accensos (By.) habeantque laternas clausas, ne extinguantur cerei (*).

Pulsantur campanae ecclesiae principalis toto processionis tempore, itidemque campanae ecclesiarum, juxta quas transit processio. Si ingrediantur in unam ex his ecclesiis, rector cum Clericis comitetur illos, vel expectet eos ad portam ecclesiae; si autem non intrant in ecclesiam, rector, comitantibus acolythis et thuriferario, accedit ad incensandum ss. Sacramentum, dum transit, genuflexus, profunda inclinatione prius et postea facta (By.).

9. Sacerdos primum Missam celebret, in qua duas hostias consecret, et sumpta una, alteram in tabernaculum in processione deferendam ita reponat, ut per vitrum seu crystallum, quo ipsum tabernaculum circumseptum esse debet, exterius adorantibus appareat, operiaturque (R.) vel non (Caer. Ep. Gard.) velo, donec auferatur ab Altari (R.). Peracto autem sacrificio, et processione jam inchoata, Sacerdos, depositis casula et manipulo (Caer. Ep.), pluviali albo indutus (R.), sine quo procedere nequit (S. C.), ac alba, quae etiam necessario adhibetur (S. C.); genuflexus super infimo Altaris gradu (By. Gard.) ter incensat Sacramentum.[1] Deinde Diaconus (R.) vel Subdiaconus (AA.), oblongum ac decens velum circumponit

[1] Conferantur quae dicta sunt in feria V. in Coena Domini. Auctoribus placet, ut crucem deferat Subdiaconus. Sed praeterquam quod nihil tale praescribatur in Caeremoniali Episcoporum, Instructio clementina pro Oratione XL horarum ordinat, ut crux a Clerico superpelliceo induto deferatur.

scapulis Sacerdotis, qui parte veli ante pectus pendente, utraque manu cooperta, ostensorium seu tabernaculum a Diacono sibi porrectum reverenter suscipit in supremo Altaris gradu, manens genuflexus (AA.). Mox ascendit in suppedaneum, et Sacramentum ante faciem tenens, vertit se ad populum, ac inde descendit, comitantibus ministris (R.), levantibus fimbrias anteriores pluvialis (Caer.), sub umbellam, ante quam (R.) paululum a latere, incedunt duo acolythi cum thuribulis effumantibus (R.). Dum vero Sacerdos discedit ab Altari, Clerus vel Sacerdos cantare incipit sequentem Hymnum: *Pange, lingua* (R.).

10. Peracta processione, et ss. Sacramento ad ecclesiam reportato, et super Altare deposito (R.), Sacerdos cum ministris rursus ascendit ad Altare, et Diaconus super suppedaneo, in cornu Epistolae, accipit ostensorium a Sacerdote, in altiori gradu stante (Caer. Ep. Gard. By. M. Cast. Brff.). Tunc Sacerdos facta genuflexione adorat ss. Sacramentum, descenditque infra infimum Altaris gradum, itidem Diaconus, postquam ss. Sacramentum super Altare deposuerit (AA.). Omnes Ecclesiastici, qui adsunt, hinc et inde ordine genuflexi, illud reverenter adorant, et canunt *Tantum ergo.... Genitori,* dum de more Sacerdos ter incensat (R.). Attamen Sacerdos tantum surgat cum ministris (Gard.), ad imponendum incensum, dum cantatur *Genitori* (Inst. Clem.), saltem non ante *Veneremur cernui* (AA.), faciatque ante et postquam incenset, non antequam imponat incensum in thuribulum (Rev. théol.), profundam capitis inclinationem (AA.). Cantato *Genitori,* duo cantores (R.), genuflexi (AA.) concinunt *Panem de coelo...* Sacerdos surgit (R.), et, non dicens *Dominus vobiscum,* cantat Orationem: *Deus, qui nobis,* cum conclusione brevi (R.) et, manibus junctis, super libro, quem tenent ministri genuflexi (AA.). Tum Sacerdos, non facta genuflexione (By.), meliusve facta genuflexione utriusque genu (B. Gard. Mer. Tet.), induit velum humerale, quod etiam Episcopus debet deferre (S. C.), accedit ad Altare cum ministris, qui manent genuflexi super oram suppedanei, ut fimbrias anteriores pluvialis Sacerdotis elevent tempore benedictionis (Gard.), genuflectit (AA.), inversumque ostensorium (aP.) sumit manibus velo tectis, et se vertit per latus Epistolae ad popu-

lum, tenens ostensorium ante pectus (AA.). Quod tamen ispi licet accipere de manibus Diaconi (S. C.). Ad benedictionem elevat ostensorium usque ad oculos, illud demittit infra pectus, illudque iterum elevat usque ad pectus, deinde se verticum ostensorio versus sui sinistram, mox ad sui dextram, et reducit ad medium, ibique paululum consistit (AA.), et complet circulum a sui dextra, vel quod licet (S. C.) per sinistram (By.) et reponit ss. Sacramentum super Altare. Interea nihil dicit (R.), neque ipse, neque ullus alius, qualiscumque consuetudo contraria vigeat (S. C.). Genuflexione facta, descendit infra Altaris gradus, dum ss. Sacramentum a Diacono in tabernaculo reponitur (R.), cum genuflexionibus debitis (AA.). Rubricae non prohibent, quin a thuriferario incensetur ss. Sacramentum tempore benedictionis; servanda itaque locorum consuetudo (S. C.).

Hic modus benedicendi[1] servatur etiam in aliis benedictionibus faciendis cum sanctissimo Sacramento (R.).

11. In processione pro translatione sacrarum reliquiarum insignium, serventur sequentia: Primo procedunt musici; deinde confraternitates laicorum secundum ordinem antiquitatis, vel prout de jure vel consuetudine praecedere solent, cum cereis accensis; tum Sancti vexillum, a laicis delatum; quod vexillum praecedunt immediate alii musici, capite detecti, et sequuntur, qui faces deferunt, mox religiosi secundum ordinem antianitatis; postremo Clerus saecularis, demum Celebrans cum ministris (Cast. Cors. By.), induti albi vel rubei coloris paramentis, prout Sancti, cujus reliquiae transferuntur, exposcit qualitas, et luminaria accensa ferentes (R.). Corpus Sancti defertur ab Episcopis, vel ab Abbatibus mitra insignitis, aut saltem a sacerdotibus dignioribus Cleri, capite detectis, indutis paramentis. Principes, magistratus. etc., sequuntur sacras reliquias, cum cereis accensis (Cast. Cors.). Decantant Litanias

[1] Licetne dari benedictio cum pyxide quando exposita fuit? Affirmative, Episcopo consentiente (Cav. Gard.), et consequenter ubi talis usus generalis viget, servetur, quousque formaliter prohibeatur (Rev. théol.). Pyxis autem integra cooperiatur velo humerali (S. C.), et si lubet, omittatur thurificatio ante benedictionem (S. C.). In expositionibus vero et benedictionibus cum ciborio juxta ritum variarum Germaniae dioecesium congruentius adhibetur thurificatio (S. C.).

cum invocatione Sanctorum, quorum reliquiae deferuntur, et Psalmum *Laudate Dominum de coelis* cum sequentibus, et alios Psalmos et Hymnos de Proprio, vel de Communi eorum Sanctorum, quorum reliquiae deferuntur, et *Te Deum* (R.) ingrediendo in ecclesiam, in qua asservari debet Sancti corpus. Dum consistunt ad Altaria in viis erecta, reliquias super Altare positas, Sacerdos pluviali indutus, ter incensat, sese inclinans ante et postquam illas incensaverit.

Cum pervenerint ad ecclesiam, reliquiae super Altare depositae thurificantur, et cantores cantant Antiphonam cum Versiculo, Celebrans vero Orationem Sancti. Si reliquiae deponendae sint statim in loco destinato, cum illis non benedicatur populus (Cast. Cors. By.).

§. V. De caeremoniis exequiarum.

1. Constituto tempore, quo corpus ad ecclesiam deferendum est, convocetur Clerus et alii, qui funeri interesse debent, et in parochialem, vel in aliam ecclesiam, juxta loci consuetudinem (R.), numquam per viam, vel ad domum defuncti (S. R. C.) ordine conveniant,[1] ac datis certis campanae signis, eo modo et ritu, quo in eo loco fieri solet (R.). Parochus ad domum defuncti una cum aliis procedit, ubi candelae (R.), cerae communis distribuuntur (AA.), et accenduntur intorticia. Parochus ingreditur domum seu locum, in quo jacet defunctus (R.), et se sistit ad ejus pedes, a retro habens Clericum cum aqua benedicta; item ingredi potest cruciferarius et se sistere ad defuncti caput, aut primus ad extra manere (AA.). Parochus vero, antequam cadaver efferatur, illud aspergit aqua benedicta (R.), tribus vicibus, in medio, a sinistris et a dextris (Cav. Brff.). Mox dicit Antiphonam *Si iniquitates observaveris,* et Psalmum *De profundis,* et repetit Antiphonum totam *Si iniquitates.* Deinde cadaver effertur et mox ordinatur processio (R.), modo sequenti ad ecclesiam.

[1] Si Capitulum cathedralis ac simul religiosi alicujus conventus ad funera associanda invitentur, regulares tenentur ire ad cathedralem, ut ex ea procedant cum Capitulo ad levandum corpus defuncti. (S. C. C. 12. Mart. 1858.) — Cum ad funera invitantur regulares, possunt elevare crucem exeundo e conventu, sed non in ipsa processione funerali.

2. Primo procedunt laicorum confraternitates (R.), modo sacco induantur (Ben. XIV.) vel si habeant crucem ipsis praecedentem (Cav.); deinde Clericus superpelliceo indutus et ferens crucem (R.), cujus imago antecedentes aspiciat (S. C.), comitantibus duobus acolythis cum candelabris, eique praecedente aliquot passibus (Cav.) Clerico deferente aquam benedictam et aspersorium; tum sequitur Clerus regularis, et saecularis per ordinem, binique procedunt, devote Psalmos decantantes (R.). Si cadaver inhumandum esset in alia parochia, crux Cleri, quae est unica, esset crux ecclesiae, in qua sepeliretur (S. R. C.). Postremo accedit parochus (R.), cui soli hoc jus competit (S. R. C.), indutus superpelliceo et stola nigra,[1] et etiam pluviali[2] ejusdem coloris (R.), numquam vero albam (S. C.) defert. Nec ministrant Diaconus, aut Subdiaconus, quibus prohibetur induere albam et dalmaticam (S. R. C.). Sequitur corpus defuncti, cum luminibus (R.), quod defertur a viris (S. C. Ep.). Laici cadaver, quolibet generis aut dignitatis titulo praeditus ille fuerit, Clerici ne deferant, sed laici (R.), nec Sacerdotibus licet tenere fimbrias panni funebris, quo cooperitur (S. R. C.). Caeterum numquam licet adhiberi pannum funebrem coloris albi (S. C.).[3] Inde sequuntur alii funus comitantes, et pro defuncto Deum rite deprecantes sub silentio (R.). Sic procedunt ad ecclesiam via breviori, si sit conveniens (S. R. C.). Omnes Clerici utuntur birreto quadrato, imo pileo, si tempus pluviosum sit (Brff.).

3. Deinde cadaver effertur, parochusque de domo procedens statim gravi voce intonat Antiphonam *Exsultabunt Domino,* et cantores inchoant Psalmum *Miserere mei Deus secundum magnam,* etc. Clero alternatim prosequente, ac si longitudo itineris postulaverit, dicantur alii Psalmi ex officio mortuorum: et in fine cujusque Psalmi dicitur, *Requiem aeternam dona ei Domine,* etc., qui Psalmi devote, distincte, gravique voce usque ad ecclesiam recitari (R.), id est cantari (Cav.), debent absque eo quod illis addantur Responsoria, aut quid simile (S.

[1] Si alius Sacerdos functioni praesit, ipse officians, non Parochus induat stolam (S. C.)

[2] Si non sit facile habere pluviale, sufficit, ut Celebrans deferat stolam. Imo juxta plures, dum via est difficilis, Celebrans non tenetur deferre pluviale, cum comitatur defunctum ad locum sepulturae.

[3] In ipso panno permittuntur tamen figurae crucis et capitis mortuorum.

R. C.). Cum perventum fuerit ad portam ecclesiae, in qua exequiae celebrantur, si non sit parochialis defuncti, parochus dicit ultimum vale (S. C.), aspergens cadaver aqua benedicta, deinde sine ulla mora (Brff.) recedit vel se immiscet assistentibus ut Clericus privatus (S. R. C.). Ad ingressum ecclesiae repetitur Antiphona *Exsultabunt Domino.* Deinde ecclesiam ingressi, cantant, cantore incipiente, et Clero prosequente, Responsorium *Subvenite sancti* (R.).[1] Porro *Suscipientes* cum *Offerentes,* post primum versiculum, contra regulam alias servandam, integre dicitur (S. C.). Si ad sepulturam immediate procedatur, cruciferarius se sistit inter feretrum et ecclesiae portam, et Clerici se dividunt in duas lineas crucem inter et Altare majus, ubi stant digniores prope Celebrantem, expectantes finem resp. *Subvenite.* Si vero habeatur Missa aut officium defunctorum, Clerici accedunt ad chorum, praecedente cruce, quae juxta feretrum non relinquatur (Cav.).

4. Deponitur feretrum in medio ecclesiae, ita ut defuncti pedes, si fuerit laicus, sint versus Altare majus; si vero fuerit Sacerdos, caput sit versus ipsum Altare (R.). Feretrum cooperiri solet panno funebri nigro (Cav.), possunt etiam deponi insignia honorifica gradus et dignitatis defuncti, sed ad latera et ad pedes (Brff.), et feretrum circumdatur cereis accensis. Cantatur officium defunctorum,[2] et dum cantantur Laudes, modo adsit alius Sacerdos, qui illas concludat, alias Celebrans remanere deberet (S. C.), iste cum ministris paratur ad celebrandam Missam solemnem pro defuncto, si tempus congruens fuerit (R.). Porro in hoc officio Celebrans stolam defert, sit necne pluviali indutus (S. C.). Si habenda sit oratio funebris, haec fit finita Missa, in habitu vulgari (Caer. Ep.), ac sine stola (S. C.).

5. Finita Missa,[3] Celebrans et ministri, debita Altari reverentia facta, descendunt in planum ad cornu Epistolae (R.),

---

[1] Si delatum sit cadaver in ecclesiam, officium autem mortuorum ad aliud tempus remittatur, post *Subvenite* addi potest *Kyrie, Pater noster* et *Absolve.* (S. R. C. 7. Sept. 1850.)

[2] Haud licet, in officio defunctorum omittere ultimum Responsorium, cum Precibus et Oratione. Quae preces nunquam praetermittuntur, etsi unicum dicatur Nocturnum. (S. R. C. 16. Dec. 1828, in *Volaterana,* ad 4.)

[3] Si Missa depositionis non sit cantata, vel si non dicatur Missa, neque Diaconus, neque Subdiaconus adhiberi possunt (S. C.).

ubi deponunt manipula (AA.), et Celebrans aut alius, si Celebrans quacumque causa impediatur, insuper deponit casulam ut induat pluviale nigrum (R.), si habeatur; quidquid sit, non potest accedere cum casula (Brff.). Subdiaconus accipit crucem, et comitantibus duobus acolythis cum cereis accensis (R.), accedit ad medium presbyterii, et ante (M.) vel retro post ipsos se sistunt thuriferarius, et ille, qui defert aspersorium et librum Ritualis (Cav.), modo hic liber non deferatur ab alio (M. P.). Interim (AA.) Celebrans cum Diacono assistente, aliisque ministris (R.), facta Altari reverentia (R.), eo tempore, quo acolythi, exceptis cruciferario et deferentibus candelabra, genuflectunt (AA.), procedit ad feretrum; Subdiaconus cum duobus acolythis sistit se ad caput defuncti (R.), aliqua distantia, inter feretrum et portam, si defunctus fuerit laicus, et inter feretrum et Altare, si fuerit Sacerdos (S. C.); et omnes alii de Clero veniunt ordinatim in gradu suo cum candelis accensis, stantes in circuitu feretri, minus digni prope Subdiaconum; tandem Celebrans (R.), capite tecto, astantibus ei a sinistris Diacono, et a dextris assistente (AA.), sistit se contra crucem ad pedes defuncti, habens a sinistris Diaconum et etiam a sinistris, aliquantisper a retro, duos acolythos, quorum unus defert thuribulum naviculamque, alter autem aquam benedictam cum aspergillo. Acolytho tenente librum, Celebrans (R.) caput detegit, tradit birretum Diacono (M.), ac junctis manibus (AA.) inchoat *Non intres* (R.), nihil mutando, etiamsi officium celebraretur pro muliere vel pro pluribus defunctis (S. R. C.). Deinde cantore incipiente, Clerus circumstans cantat Responsorium *Libera me* (R.). Omnes, non excepto Celebrante, stant capite aperto (M.), et duo cantores ab utroque latere decantant duos Versiculos (Bs. By.).

6. Dum cantatur praedictum Responsorium (R.) secundo, Diaconus et thuriferarius, genuflexione Altari facta (M.) aut cruci, quam tenet Subdiaconus (Cav.), accedunt ad dextram Celebrantis, cui ministrant naviculam et thuribulum. Sacerdos accipit incensum de navicula, ponit in thuribulum et benedicit more solito (R.), et Diaconus ac thuriferarius ad sua respective loca redeunt, genuflexione facta (Bs. By. M.). Finito Respon-

sorio, cantor cum primo choro, dicit *Kyrie eleison,* et secundus chorus respondet *Christe eleison,* deinde omnes simul *Kyrie,* etc. Mox Sacerdos dicit alta voce *Pater noster* (reliquum secreto dicitur ab omnibus), et ipse interim accipit ab acolytho, vel a Diacono ad sui dextram reverso (M. Cav.), aspersorium aquae benedictae, et facta profunda inclinatione cruci,[1] Diaconus autem genuflexione, circumiens feretrum aspergit corpus defuncti (R.), ter a quocumque latere (Caer. Ep.), incipiendo a sua dextera (RT.). Cum transit ante ss. Sacramenti Altare, genuflectit (R.), et ante aliud Altare se inclinat profunde (AA.). Diaconus Sacerdotis aspergentis pluvialis fimbrias anteriores elevat. Deinde reversus ad locum Sacerdos (R.), reddit aspersorium Diacono (AA.), a quo accipit thuribulum, et eodem modo circuit feretrum, et corpus incensat. Postea reddito thuribulo acolytho, stans in loco (R.), manibus junctis (AA.), acolytho tenente librum apertum ante ipsum, dicit *Et ne nos,* etc., et Orationem *Deus, cui proprium,* in qua dicitur: *pro anima famuli tui Sacerdotis,* si defunctus fuerit Sacerdos (R.).

7. Finita Oratione, corpus defertur ad sepulchrum, si tunc deferendum sit; et dum portatur, Clerici cantant Antiphonam: *In paradisum,* deinde *Ego sum* cum Cantico *Benedictus.* Cum autem pervenerint ad sepulchrum, ubi se locant, ut ad absolutionem, si non est benedictum, Sacerdos illud benedicit, dicens Orationem *Deus, cujus miseratione* (R.); quod fit in ecclesiis et aliis locis non specialiter benedictis pro fidelium sepultura (Brff. Cat.). Dicta Oratione, Sacerdos aqua benedicta aspergat, deinde incenset corpus defuncti, et tumulum (R.). Hic tantum cantari deberent *Ego sum* et *Benedictus* (By.), repetitur Antiphona *Ego sum,* postea Sacerdos dicit *Kyrie eleison, Pater noster,* etc., interim corpus aspergens (R.) ter (Cav.), et dicit Orationem *Fac quaesumus,* postea, *Requiem ... ei, Domine* (R.), signans manu feretrum signo crucis (Cav. Pav.), vel non signans (By.), *Requiescat in pace* (R.), in numero singulari (S. R. C.), et demum *Anima ejus* etc. Deinde a sepultura in ecclesiam, vel in sacristiam revertentes, dicant sine cantu Antipho-

[1] Ad concordes habendos non modo libros liturgicos, sed etiam auctores, de inclinationibus faciendis in absolutione defunctorum, res valde ardua est. Caeremoniale et Mis-

nam *Si iniquitates* cum Psalmo *De profundis.*[1] Quod si corpus tunc ad sepulturam non deferatur, omittitur Responsorium *In paradisum,* etc. nisi usus sit contrarius, et benedictio sepulchri (R.). In pluribus locis ob distantiam coemeteriorum, praecipue in civitatibus, Celebrans et Clerici non comitantur funus usque ad sepulchrum, et omnes caeremoniae fiunt, vel extra vel intra ecclesiam (S. R. C.). Non omittantur demum hae preces, dum sub vesperum inhumatur cadaver (S. C.).

8. Missa vero, si hora fuerit congruens, pro defunctis, ut in die obitus, praesente corpore non omittatur, nisi obstet magna diei solemnitas, aut aliqua necessitas aliter suadeat. Officium quoque mortuorum cum tribus Nocturnis et Laudibus non omittatur, incipiendo ab Invitatorio *Regem, cui omnia vivunt, venite,* etc. Chorus repetit *Regem* etc. postea cantores cantant Psalmum *Venite.* Antiphonae duplicantur. Sub fine officii, repetita Antiphona *Ego sum,* Sacerdos dicit: *Pater noster, A porta inferi,* etc., et Orationem *Absolve* cum conclusione brevi (R.). Nihil illi additur, neque *Requiem aeternam,* neque quid simile (Cav.). Si vero ob rationabilem causam, videlicet ob temporis angustiam, vel aliorum funerum instantem necessitatem, praedictum officium mortuorum cum tribus Nocturnis et Laudibus dici non potest; deposito in ecclesia feretro cum corpore, dicatur saltem primum Nocturnum cum Laudibus, vel etiam sine Laudibus, maxime ubi ejusmodi viget consuetudo, incipiendo ab

---

sale Romanum praescribunt unam tantum inclinationem faciendam, nempe cruci, dum Celebrans ante illam transit, circumiens feretrum, et similiter docent Merati, Vinitor et aliqui alii. Rituale Romanum contra videtur clare praescribere inclinationem *cruci, quae est ex adverso,* antequam inchoetur aspersio aquae benedictae, nullam autem inclinationem amplius praescribit dum aspergitur vel incensatur corpus defuncti: verumtamen, auctores qui legem habent ad litteram sequi Ritualis praescripta, admittunt adhuc inclinationem Missalis et hi sunt Cavalieri, Corsetti, Pavone, etc. Arbitramur opinioni Merati standum esse. Rituale enim in casu non exigit novam inclinationem, indicat tantum inclinationem in Missali praescriptam, sed anticipando in ordine caeremoniarum, quod saepe saepius fit in Rituali. Verba *quae est ex adverso* minime nos commovent, nam in nostra opinione tantum indicant crucem, quam tenet Subdiaconus, ut distinguatur a cruce Altaris. Hinc solum duae reverentiae et duae genuflexiones faciendae sunt, aut quatuor inclinationes, si ss. Sacramentum non fuerit in Altari. Notandum est, a Sacerdote, in cornu Epistolae stante, faciendam esse Altari congruentem reverentiam ante aspersionem, non autem post incensationem. Ita sentiunt omnes rubricistae.

[1] Juxta editionem Missalis pro defunctis, quae nuper Ratisbonae, cum S. R C. approbatione prodiit, dicenda foret Oratio *Absolve*, post Psalmum. Ast secluso usu, non videtur Oratio hic recitanda.*

Invitatorio *Regem, cui omnia vivunt,* etc. Et postea omnia alia dicantur, quae supra praescripta sunt dicenda post officium defunctorum, et Missam (R.). Quacumque die primum Nocturnum cantatur et duplicantur Antiphonae (AA.). Item omittitur Psalmus *De profundis* in fine Laudum (S. C.). Quod si etiam ea fuerit temporis angustia, vel alia urgens necessitas, ut unum Nocturnum cum Laudibus dici non possit, aliae praedictae preces et suffragia numquam omittantur (R.). Pro pauperibus saltem gratis dicatur unum Nocturnum (Cav.).

9. Si faciendae sint exequiae absente corpore, eo die, quo bene visum fuerit, in ecclesia dicatur officium mortuorum, cum tribus Nocturnis et Laudibus, et Antiphonis duplicatis, vel saltem unum Nocturnum, cum tribus Lectionibus, et Laudibus, et Missa (R.). Post Missam fit absolutio cum Oratione Missae, aut *Absolve.* Subdiaconus tunc stat semper inter feretrum et portam ecclesiae (S. C.), et non dicitur *Non intres* (M. Cav. Brff.). Dum Sacerdos dicit: *Requiem aeternam,* etc., dextra manu signat signo crucis feretrum (RM.), et post *Requiescat in pace,* in singulari numero, pro uno defuncto, addit *Anima ejus,* etc. (S. C.). Praedictus autem ritus,[1] servari debet in officio sepulturae in die depositionis, sive in die tertio, septimo, trigesimo, et anniversario (R.), sed in his, videlicet in die tertio, septimo, etc., absolutio non est de praecepto (S. C.).

10. Cum infans vel puer baptizatus defunctus fuerit ante usum rationis, ut plurimum, non pulsantur campanae, quod si pulsentur, non sono lugubri, sed potius festivo pulsari debent, et induitur juxta aetatem, et imponitur ei corona de floribus, seu de herbis aromaticis et odoriferis, in signum integritatis carnis et virginitatis; et Parochus superpelliceo et stola alba indutus, et alii de Clero, si adsint, praecedente cruce, quae sine hasta defertur, accedunt ad domum defuncti cum Clerico aspersorium deferente (R.). Ibi distribuuntur cerei (Cav.). Sacerdos aspergit corpus, deinde dicit *Sit nomen Domini,* et Psalmum

[1] Nocturna pro defunctis cantari possunt in duplicibus minoribus, ante Missam dici (S. C.), sed absolutio fieri nequit (S. C.). Quae tamen ante iliam toleratur, modo ablatum sit feretrum tempore Missae (S, C.).

Laudate pueri. Dum portatur ad ecclesiam, dicatur Psalmus *Beati immaculati,* et si tempus superest, dici potest Psalmus *Laudate Dominum de coelis,* et in fine *Gloria Patri* (R.). Quae verba Gloria Patri etc., etiam dici possunt in triduo sacro majoris hebdomadae. Cantentur omnia in Rituale praescripta, servatis rubricis in illo indicatis, quae explicatione non indigent. Quoad Missam Angelorum, quae in multis locis cantari solet in exequiis parvulorum, nullo privilegio gaudet (S. C.). Quatenus commode fieri potest, Parochi speciales et separatos ab aliis loculos et sepulturas fieri curent, in quibus non sepeliantur, nisi qui baptizati fuerint infantes, vel pueri, qui ante annos discretionis obierunt (R.). Non licet parochis, pueros rationis usum jam habentes assimilare illis, qui praedictum usum rationis nondum habent (S. C.).

Sectio quarta.

Caeremoniale functionum pontificalium.

Caput primum.

De Missa pontificali.

§. I. De praeparandis pro Missa et Vesperis pontificalibus.

1. Tota ecclesia curatissime ornetur. Cum Episcopus est accessurus ad ecclesiam, prius praeparandum est faldistorium, seu genuflexorium accommodatum ad genuflectendum ante Altare sanctissimi Sacramenti, quod diversum esse solet ab Altari majori, in quo Episcopus est Missam solemnem celebraturus (Caer. Ep.), ut possit orare super illo faldistorio, antequam accedat ad chorum, ubi simile faldistorium etiam praeparandum est (Caer.).

2. Celebrante vero Episcopo, candelabra septem super Altari ponantur, quo casu crux non in medio illorum, sed ante altius candelabrum in medio cereorum positum locabitur, a cujus lateribus, si haberentur aliquae reliquiae, vel imagines argenteae, aut vascula cum floribus, frondibusque odoriferis seu serico contextis, congrue exponi possent. Desuper autem in alto appendatur umbraculum, quod baldachinum vocant, si non habeatur ciborium, formae quadratae, cooperiens Altare, et ipsius Altaris scabellum, coloris caeterorum paramentorum (Caer.).

Presbyterium integrum aut saltem gradus omnes Altaris

inferiores cooperiantur aliquo amplo et pulchro tapete, ut, si fieri potest, sint magis conspicui, et ornati, quam reliqua pars presbyterii, quae pannis viridibus contegitur. Ambones, ubi Epistolae et Evangelia decantari solent, si qui erunt, nec non et pulpitum, ubi sermo vel concio haberi solet, consentaneum est, pannis sericis ejusdem coloris, cujus sunt caetera paramenta, exornari, ita tamen, ut locus Evangelii pulchrius ornetur (Caer.).

4. Cum Episcopus erit celebraturus Missam solemnem, ponentur omnia paramenta pontificalia in medio Altaris ordine retrogrado, videlicet, annulus inclusus in aliqua capsula seorsum ab aliis, planeta, chirothecae, dalmatica, tunicella, stola, crux pastoralis, cingulum, alba et amictus; manipulus vero separatim ibidem ponetur, ut postea Praelato porrigatur a Subdiacono. Sed in ecclesiis, ubi esset secretarium, sive locus, ubi Episcopus paretur, paramenta praedicta possent ibi praeparari, non autem super Altari, ut suo loco dicetur (Caer. Ep.).

5. Si sit Archiepiscopus habens usum pallii et hac die illo uti possit, illud deponatur super Altari plicatum in velo, serico. Pallio autem utitur Archiepiscopus in singulis ecclesiis provinciae suae, non autem extra provinciam, et dumtaxat dum Missam solemnem celebrat, praescriptis quibusdam diebus, qui in privilegiis ecclesiae metropolitanae exprimi solent. Quod si non reperiantur expressi, recurrendum erit ad communem consuetudinem, quae est, ut portetur diebus infra scriptis, videlicet, Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, S. Stephani Protomartyris, S. Joannis Apostoli et Evangelistae, Circumcisionis, et Epiphaniae Domini, Dominica in ramis palmarum, feria quinta in Coena Domini, sabbato sancto, Dominica Resurrectionis Domini cum duobus festis sequentibus; Dominica in Albis; in Ascensionis, Pentecostes, S. Joannis Baptistae, duodecim Apostolorum festivitatibus, in festo Corporis Christi, quatuor festivitatibus gloriosae Virginis, id est Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis, in festo Omnium Sanctorum, dedicationis ecclesiarum, in principalibus festivitatibus ecclesiae metropolitanae, in ordinationibus Clericorum, consecrationibus Episcoporum, Abbatum et Virgi-

num, in diebus anniversariis dedicationis ecclesiae principalis, et consecrationis suae. Aliis autem diebus in privilegiis non expressis, vel inter praedictos non comprehensis, Archiepiscopus, si voluerit in pontificalibus celebrare, uti non debet pallio.

6. Restat, ut de mensa, seu abaco, quam credentiam vocant, pauca subjiciamus. Ea vero in Missis tantum solemnibus praeparari solet a latere Epistolae in plano presbyterii, si loci dispositio patiatur, atque a pariete parumper disjuncta, ita ut inter illam, et parietem stare possint familiares Episcopi, ad manuum lotionem destinati, nisi propter loci angustiam id fieri non possit. Quo casu fiet, prout melius poterit. Ejus mensura regulariter erit palmorum octo in longitudine, in latitudine quatuor, vel circa, in altitudine quinque, vel modicum ultra, lineoque mantili mundo superstrato, usque ad terram circumcirca pendenti contegetur. Super ea ponentur duo candelabra cum cereis albis altitudinis et formae, prout duo minora ex his, quae super Altari posita sunt, et in ipsius medio calix cum patena, palla, purificatorio, et bursa corporale continens: libri item missales, et legile, atque ibi proxime capsula cum hostiis, et pelvicula cum ampullis vini, et aquae, eaque omnia cooperientur velo pulchriori, quo uti debebit Subdiaconus, cum patenam tenebit. Super eadem mensa apponentur mitra pretiosa,[1] vel auriphrygiata, et altera simplex cum birreto parvo, quod mitrae supponitur, nec non velum pro capellano serviente de mitra, pelvis pro abluendis manibus, et urceus argenteus cum aqua pro manuum lotione, quatuor mappulae ad tergendas manus, thuribulum cum navicula, et in ea cochlear, et thus cum quo possint misceri aromata beneolentia, dum tamen thuris quantitas superet; gremiale, caligae et sandalia, liber pro Psalmis legendis, ac denique omnia, quae usui esse possunt Celebranti, praeter paramenta Missalia, quae super Altari, vel in secretario ponuntur, ut supra dictum fuit, et baculum pastoralem, qui manu ministri, ad id constituti, sustinebitur. Ponentur

[1] Si Praelatus induat paramenta in secretario, ibi collocabitur mensa, super qua deponentur sandalia, mitra, atque nonnulla alia.

etiam in presbyterio in cornu Epistolae sedes nudae vel scamnum ad usum Diaconi atque Subdiaconi.

7. Sedes Episcopi vario modo collocatur pro diversitate Altarium, apud quae statui debet. Nam aut Altare est in medio sub tribuna,[1] pariete disjunctum, ita ut in spatio illo constitutus sit chorus, et tunc sedes episcopalis e regione Altaris parieti applicabitur, ita ut Episcopus in eadem sedens, respiciat recta linea mediam Altaris partem; habebitque hinc inde scdilia Canonicorum. Si vero chorus sit in medio ecclesiae, et Altare adhaereat parieti, vel ab eo modico sit intervallo separatum, ipsa sedes episcopalis erit collocanda a latere Evangelii. Utroque autem casu ad eam ascendatur tribus gradibus, pannis aut tapetibus tectis, et sat largis, ut apponi possint scabella pro Sacerdote assistente et Diaconis assistentibus. Forma sedis erit praealta et sublimis, sive ex ligno, sive ex marmore, aut alia materia fabricata in modum cathedrae, et throni immobilis, quales in multis ecclesiis antiquioribus videmus: quae debet tegi, et ornari aliquo panno serico concolori cum aliis paramentis; et super eam umbraculum, seu baldachinum ejusdem panni, et coloris appendi poterit, dummodo et super Altare aliud simile, vel etiam sumptuosius appendatur.

8. Faldistorium quoque, quo utitur Episcopus in officiis defunctorum, et dum est extra territoria suae jurisdictionis, parum distans ab infimo gradu Altaris, a latere Epistolae, collocandum est, ita ut Episcopus celebrans, in eo sedens, habeat ad dexteram suam Altare, respiciens eamdem partem, quam ipsa anterior facies Altaris respicit, sive illa versa sit ad tribunam, sive ad reliquum corpus ecclesiae et populum, secundum varios Altarium situs: quod quidem faldistorium coopertum sit undique ad terram serico ejusdem coloris, cujus erunt caetera paramenta, et sub dicto serico tegumento aptetur pulvinum. Regulariter autem faldistorium hujusmodi ponitur in plano, seu pavimento presbyterii, quod totum usque ad infimum gradum Altaris convenienter deberet pannis viridibus contegi.

[1] *Tribuna:* — hemicyclus — muralis, — quae in fine presbyterii in ecclesia solet terminari. *Macri.* In eo casu tum chorus canonicorum, tum episcopalis sedes est pone Altare.

9. In Vesperis pontificalibus tantum sex candelabra super Altari ponentur. Indumenta quoque episcopalia collocata sint in medio Altaris, videlicet, annulus, pluviale cum pectorali in conjunctura illius, stola, crux pectoralis, cingulum, alba et amictus. Mitra pretiosa erit in cornu Evangelii, altera vero in cornu Epistolae, Breviariumque seu Diurnale super sede Sacerdotis assistentis. Baculus collocabitur juxta Altare, in cornu Evangelii, duoque candelabra acolythorum super gradibus Altaris in cornu Epistolae.

§. II. De ministris necessariis in officiis pontificalibus.

1. Officium *Caeremoniarii* in functionibus solemnibus et specialiter in officiis pontificalibus pernecessarium est. Ipsius enim est omnia praevidere, dirigere ac advigilare. Idcirco in Caeremoniarium eligendus est, qui in rubricis peritus sit ideonusque ad hujusmodi officium graviter, modeste, et urbaniter exercendum. Caeremoniarii ecclesiarum cathedralium (convenit ut duo sint) induant togam talarem violaceam, cum superpelliceis, dum exercent functiones, et quidem in solemnitatibus possunt tenere dextra virgulam, cujus extremitas sit aurea vel argentea, juxta consuetudinem locorum. Dum Caeremoniarius comitatur aliquem, qui se inclinaturus aut genuflexurus est, se inclinabit aut genuflectet, *quasi praecedendo,* ait Bauldry. Similiter si Canonici, qui sunt in choro, aliive debeant inclinare caput aut flectere utroque genu, paulum recedet e loco suo, ut ipsis indicet, quid faciendum sit, et si ministri Altari sese inclinare aut genuflectere debeant, et ipse faciet, aut saltem indicabit. Semper incedit a sinistris illius, quem comitatur, nisi cogatur praecedere. Jungit manus ad *Confiteor,* Evangelium, Consecrationem, *Pater,* Communionem, et dum genuflexus est; pariter jungit manus dum comitatur Subdiaconum ad Epistolam et ad pacem deferendam, atque Diaconum ad Evangelium; alias manus super pectus cancellatas tenere potest.

2. Inter omnes Episcopi ministros, qui ei in divinis et assistunt et serviunt, primus et dignior est *Presbyter assistens,*

qui idcirco debet esse dignior ex Presbyteris, tam Canonicis, quam Dignitatibus, qui in choro cum aliis sedere solent, nec refert, quo nomine nuncupetur, an Archidiaconus, an Archipresbyter. Induit rochettum vel superpelliceum, prout est aut non est Canonicus; capitque amictum super rochetto, aut cotta, et super eo pluviale, tempori congruum, sine tamen formalio ad pectus. Sedebit in aliquo scabello prope Episcopum, ante ipsius faciem a dextris, vel a sinistris, prout loci situs patietur; regulariter tamen a dextris, dummodo nec Altari, neque Episcopo renes directe vertat, sed maneat semiconversus. Sedes ejus potest esse lignea ac depicta, cooperiri autem non potest ullo panno. Cum vero Episcopus aliquid est intonaturus, ipse librum supra caput sustinere debet,[1] inclinatione facta ante et post intonationem (Caer.) illumque supra caput retinere debet, non obstante quacumque consuetudine contraria (S. C.). Dum Praelatus legit submissa voce, acolythi est sustinere librum. In multis ecclesiis abusive Sacerdoti assistenti functiones Caeremonarii committuntur; hae duae functiones nimis distinctae atque majoris momenti sunt, quam ut ab eodem peragantur. Sacerdotis assistentis praecipua cura erit, totam Missam praevidisse, omnesque caeremonias et actus, quos Episcopus facturus est, observasse, ac signacula in libro missali, in quo lecturus est Episcopus, locis congruis disposuisse, ut praesto esse possit, suggerendo illi, quae legenda sint. Insuper Sacerdotem assistentem habere, proprium est Episcopis, nec conceditur quibusdam dignitatibus, nisi accedente privilegio aut consuetudine immemorabili; e contra in omnibus officiis solemnibus adhibendus est saltem unus Caeremoniarius.

3. Episcopo sive ipse Missam celebret, vel ad Vesperas officium faciat, vel si illis tantummodo sit praesens, congruit, duos *assistentes Canonicos* habere, qui, si in ecclesia sint distincti ordines, seu praebendae presbyterales et diaconales, erunt duo primi Canonici ex ordine diaconali. Hi autem, si Episcopus celebret, aut officium faciat, induti esse debent habitu

[1] Non tamen Presbyter assistens sustinet librum, quoties Episcopus in eo aliquid cantat. Etenim in benedictionibus candelarum, cinerum et palmarum, dum Episcopus cantat Orationes, sustinetur liber non a Presbytero assistente, sed a ministro, cui hoc officium incumbit, ut expresse disponit Caeremoniale Episcoporum.

diaconali, hoc est, dalmatica supra rochettum, ipsique sedent a dextris et a sinistris Episcopi hinc inde super scabellis nudis. Ipsorum est, imponere ac auferre mitram. Cum vero Episcopo mitra imponitur, Diaconus assistens a dexteris, inclinatione facta ac imposito birreto, illam imponet, altero a sinistris adjuvante, et vittas a tergo Episcopi aptante, et iterum Praelato se inclinat. Dum Episcopus debet deponere mitram, junior ex eis, qui assistit ei a sinistris, aufert illi mitram, quam dat ad manus ministri, de ea servientis; alter vero a dextris aufert ei birretum, complanando leniter capillos, illudque deinde birretum osculatur, amboque sese inclinant prius et postea. Regulare enim est, tam in Missis, quam in Vesperis quod, existente Episcopo apud sedem suam, sedenti semper aufertur et imponitur mitra: secus quando genuflectit, pro oratione facienda, quia tunc stanti imponitur, genuflexo aufertur (excepto casu primi accessus ad ecclesiam), et quando est apud Altare, in Missa stanti imponitur et aufertur. Et semper, quoties Episcopus apud sedem suam elevat manum dextram signando se, aut alios signo crucis; vel cum benedicit thus, cum benedicit Presbyterum assistentem, qui eum thurificavit, vel alias quoties personas, aut res aliquas benedicit, sive pectus percutiendo, aut alia de causa, toties Diaconus a dextris parum elevat pluviale a latere suo, ac etiam cum thurificat Altare. Cum autem elevat ambas manus, et quando est lecturus aliquid ex libro, seu daturus benedictionem solemnem, Diaconi assistentes hinc inde elevant fimbrias pluvialis, et cum Episcopus cantat, vel legit aliquid ex libro, ipsi Diaconi assistentes hinc inde apponunt manus super librum et primus volvit folium, alter digito indicat textum, qui legi debet; sed celebranti Missam, quia non habet pluviale, sed planetam, non est necessarium fimbrias elevare, sed ei servient in caeteris rebus necessariis, et specialiter in ponendo, et auferendo mitram, quod saepius accidit.

Haec, quae diximus, observanda sunt, celebrante Episcopo solemniter, secus vero sedente Episcopo super faldistorio.

4. *Diaconus,* qui Evangelium cantaturus est, Episcopo solemniter Missam celebrante, debet simul cum aliis Canonicis Episcopum ad ecclesiam comitari; nam et ipse ex Canonicis

Diaconis esse debet, nec refert, an sit de antiquioribus, necne, cum tale onus inter ipsos per vices, vel juxta consuetudinem ecclesiae distribuendum sit: et dum alii Canonici accipiunt paramenta, ipse quoque eodem loco accipiet sua, aliquo ex Clericis ecclesiae adjuvante; manipulum vero non hic, sed postea accipiet, qui sic paratus, simul cum Subdiacono, postquam Episcopus lavaverit manus, stabit a dextris ejus, et simul cum Subdiacono stante a sinistris, capiet paramenta Episcopi de manibus acolythorum, ea sua ordine ferentium: illisque induet Episcopum modo et ordine alibi, late et distincte expositis. Eodem tempore, eodem loco et modo, prout de Diacono dictum est, *Subdiaconus*, qui et ipse de numero Canonicorum erit, et accipiet paramenta sibi convenientia, quae eadem fere sunt, quae superius Diacono conveniunt, excepta stola, qua Subdiaconus non utitur; accipiet autem super alba tunicellam, quae ejusdem formae est, cujus est dalmatica Diaconi, nisi quod strictiores, longioresque aliquantulum manicas habet. Diaconus stans post Celebrantem, supplet loco assistentis Presbyteri ad librum, donec ille redeat ab osculo pacis, infunditque vinum in calicem pro purificatione Celebrantis. Subdiaconus autem, accepta per Episcopum purificatione, dum lavat manus, ipse tergit calicem, plicat corporalia, illaque simul cum palla, purificatorio et bursa ad abacum reportat cum debitis reverentiis, mox redit ad locum suum post Episcopum, et ibi stat, usque ad finem Missae, et ea finita, adjuvat Diaconum in exuendo Episcopum.

5. Cum Episcopus Vesperas solemniter cantabit, ultra Presbyterum assistentem, duosque antiquiores Diaconos assistentes, qui caeteris digniores sint, de quorum officio supra dictum est, ubi commode fieri poterit, septem saltem alios ministros habere eum convenit, aspectu, habitu et tonsura decentes, ac cottis mundis indutos;[1] primus erit, qui de libro, secundus qui de candela servit; tertius de baculo pastorali, quartus de mitra (qui quatuor, si adsit consuetudo, induantur

[1] Ministri de mitra, de baculo pastorali et de gremiali, possunt induere pluvialia, si moris sit, nunquam autem possunt uti chirothecis, uti abusive fit (S. C.).

etiam pluvialibus), quintus de thuribulo et navicula; sextus et septimus de candelabris et cereis. Cum vero Missam solemniter celebrat, ultra praedictos, ac Diaconum et Subdiaconum, de quorum officiis etiam supra dictum est, habebit alios sex, quorum duo eodem habitu clericali, et cottis induti servient, alter de gremiali, alter de ampullis. Reliqui quatuor poterunt esse cubicularii, sive familiares Episcopi clericali habitu, sed sine cottis stantes apud abacum (Caer.). Ii, qui ministrant mitram, baculum pastoralem, et gremiale, ac acolythi genuflectunt quotiescunque transeunt ante Altare vel Episcopum, et in accessu et recessu. Poterunt sedere super gradibus sedis episcopalis, vel super quavis sede parum elevata, diligenterque observabunt, ut ultimo sedeant, primo autem surgant. Si Episcopus sit in faldistorio, sedebunt linea recta a sinistris ejusdem Episcopi, super gradibus Altaris (By.).

6. Igitur *ministri de libro* officium erit, cum Episcopus celebrabit Vesperas, aut Missam solemniter, curare, ut signacula in libro, ex quo Episcopus Antiphonas aut Hymnum est intonaturus, aut Orationem cantaturus, sint recte suo loco disposita, ne cum dicendum aliquid erit, indecenter huc illuc folia vertere cogatur; librum ipsum custodiet, et reponet in loco decenti, quem, cum opus erit illum Episcopo offerre, sustinebit ambabus manibus, ab inferiori parte libri positis, altius, vel demissius pro statura Celebrantis, nec se loco movebit, nec umquam genuflectet, etiamsi ipsemet Celebrans, et alii omnes genuflecterent, cum instar legilis sit. Ut recedit, claudit librum, genuflexioneque Episcopo facta, redit ad locum. Cum vero Presbyter assistens paratus, librum sustinebit ante Episcopum in cantu legentem, ipse a sinistris Episcopi stans, adjuvabit in sustentatione libri ipsum assistentem. In ordinationibus, dum Episcopus aliquid est lecturus ordinandis, se sistet aliquantulum ad cornu Epistolae, fere ad sinistram Episcopi, ad quem conversus est, ut Praelatus ordinandis commodius dextra benedicere possit. Locus autem ejus erit retro post Episcopum prope parietem, dum non habet librum apertum, et incedit ex aequo semper cum acolytho de candela.

7. Alter in eodem habitu, *de candela,* semper stat prope ministrum de libro, et cum illo accedit, dum Episcopus aliquid est lecturus, simulque discedunt. Tenet candelabrum cum candela accensa ad librum, nullamque facit inclinationem vel genuflexionem, quantumvis aliquam faceret Episcopus. Serviet ad Altare semper prope librum, etiamsi minister, qui de libro ad sedem Episcopalem servit, ad Altare non accedat.

8. Tertius minister eodem habitu, sed pluviali indutus, juxta locorum, et ecclesiarum consuetudinem, ipsius *baculi custodiendi,* portandique ante Episcopum, quoties opus erit, curam habebit, quem manu dextra cottae extremitate cooperta tenebit, sed nudum, nulloque panniculo appenso, illum Episcopo, cum opus erit, offeret (Caer.). Ipsum tenens defert ambabus manibus, ejus parte retorta ad extra conversa; ad se autem illam partem vertit, cum baculum offert Episcopo (By.). Stans coram Episcopo, ut illi porrigat baculum pastoralem, osculatur hastilem baculi, genuflectit, se erigit, osculatur deinde Episcopi manum, quae accepit baculum pastoralem, iterum Praelato genuflectit, et redit ad locum suum. Ut resumat baculum pastoralem, accedit ad Episcopum, genuflectit, et osculatis manu Praelati, deinde hastili baculi pastoralis, iterum genuflectit et redit ad locum suum. Procedendo defert baculum pastoralem elevatum fere ut crucem processionis.

9. Quartum ministrum *de mitra* servientem oportet, velum seu mappam sericeam oblongam a collo pendentem gerere, qua utitur ad mitram sustinendam (nisi, ut supra, sit pluviali indutus) ne illam nudis manibus tangat. Cum praedictus minister mitram tenet, habeat vittas, seu infulas illarum versus se ipsum, et cum illas deponit, sive super mensa, aut abaco, vittae exterius pendant (Caer.). Caute autem advertat, ut cum ea Episcopo imponenda, auferendave erit, immediate lateri Diaconi assistentis illam imposituri, vel ablaturi adhaereat, mitram offerens, vel recipiens. Quotiescumque defert aut resumit mitram, genuflectit Episcopo, uti etiam quotiescumque transit ante eumdem. Attamen non rediret ad locum suum, si Episcopus statim resumpturus esset mitram, quam modo deponit. Regulariter stat a latere Episcopi, prope parietem, et

si velit sedere, sedeat in infimo gradu sedis Episcopalis, a sinistris ministri de baculo pastorali (By.). Curabit parvum birretum, quod, quando opus erit, tradit primo Diacono assistenti.

10. Duo praeterea alii, sed in Missa tantum, adhibentur ministri, quorum unus *de gremiali,* alter vero, qui saltem sit acolythus, *de ampullis* serviat; et qui gremiale ministrat, intentus esse debet, ut cum celebrans Episcopus surgit, antequam mitra ei auferatur, ipsum gremiale per assistentem a sinistris, de gremio Episcopi ablatum, reverenter accipiat, illudque complicatum ante pectus ambabus manibus teneat, et cum opus erit, alteri assistenti a dextris porrigat, reponendum in gremio Episcopi sedentis; ac demum post lotionem manuum Episcopi, lecto Offertorio, illud super abaco reponet, cum eo amplius utendum non sit (Caer.). Porrigit semper gremiale secundo Diaconi assistenti, illudque recipit a primo Diacono assistenti, genuflexione facta ante et postquam illud porrexerit aut resumpserit. Huic ministro munus dari potest tradendi vel recipiendi chirothecas (By.).

11. Acolythus autem, qui *de ampullis* servit, stat ad credentiam prope primum ceroferarium, nisi deficientibus ministris, alias functiones exerceat (By.).

12. *Thuriferarius* praestabit officium modo in Missa solemni explicato. Solum non omittat ad sedem Episcopalem semper porrigere naviculam incensi Presbytero assistenti, et Diacono, si Episcopus sit in Altari vel ad faldistorium. Dum imponendum est incensum, genibus flexus sit, coram Episcopo, et insuper eidem genuflectat antequam porrigat naviculam incensi et postquam eamdem acceperit. Explicavimus loco suo quae spectant ad *ceroferarios.*

13. Minister *de pallio* illud praeparet super pelvi cum tribus aciculis. Si Episcopus pallio uti possit, et eo die uti conveniat, affertur per aliquem Subdiaconum ex Altari ambabus manibus, vel aliquo supposito, quod Diaconus capiens, Episcopo offert osculandum in cruce posteriori, et advertat, dum illud capit, ut partem duplicem pallii capiat dextra manu, simplicem vero sinistra, et dum illud imponit, Subdiaconus manu dextra elevat partem, quae a tergo pendere debet, illudque

aptant, ut humeros Episcopi aequaliter ambiat, et pars duplex pallii ponatur super sinistro humero Episcopi. Quo facto, idem Diaconus capit unam ex tribus spinulis per aliquem acolythum allatis, videlicet pulchriorem, eamque infigit cruci anteriori pallii ante pectus existenti, aliam in cruce sinistri humeri, tertiam Subdiaconus infigit cruci posteriori, quae omnia ita infigantur, ut tertio transeant per crucem, in qua sint ocelli tres, seu ansulae tres sericae, ejusdem coloris nigri; ita tamen ut, nec crucem, nec pallium perforent, neque planetam tangant, et gemmae spinulis oppositae, remaneant ad dextram infigentis. Pallium semper aufertur ad Altare, licet alia paramenta in alio loco deponerentur (By.).

14. Si vero Celebrans fuerit Archiepiscopus, requiritur insuper minister *de cruce*, nempe Subdiaconus paratus, qui defert crucem ante Canonicos paratos tantum, non autem ante alios de Clero, imagine crucifixi ad ipsum versa (quod proprium est summo Pontifici et Archiepiscopis) non tantum in officiis divinis, sed etiam in aliis casibus (Caer.), si non fuerit in rheda vel extra dioecesim (S. R. C.). Iste autem minister induat togam talarem violacei coloris, dum Archiepiscopus est Cardinalis, et in officiis pontificalibus, induat superpelliceum. Insuper in processionibus, in quibus Praelatus procedit, praecedentibus Canonicis paratis, cruciferarius sit Subdiaconus indutus alba et tunicella. Crux semper praeferatur Archiepiscopo et Canonicis, qui censentur unum corpus. Cruciferarius stet cum cruce ante Archiepiscopum, dum benedicit solemniter, vertens versus Praelatum imaginem crucifixi, et genibus flectens cum caeteris. Episcopi non utuntur cruciferario (By.).

15. Minister *de cauda,* indutus toga talari cum vel sine superpelliceo, prout Episcopus erit, vel non erit indutus paramentis pontificalibus, debet gestare caudam vestis Episcopi ecclesiam ingredientis, illam tenens super brachium sinistrum. Apud sedem episcopalem, stat in infimo gradu ejusdem, a sinistris Praelati, curatque, dum idem advenit, convenienter expandere caudam super tapete. Minister de cauda induat togam talarem violacei coloris, si Episcopus sit Cardinalis, et

pariter superpelliceum, dum Cardinalis solemniter celebrat (By.), imo si Praelatus non esset Cardinalis (S. C.).

16. In ordinationibus, benedictionibus etc., et dum Episcopus non celebrat ad sedem, adhibetur praeterea minister *de faldistorio*. Tandem juxta praescripta Caeremonialis, quatuor ministri familiares serviunt ad lotionem manuum Episcopi, incipiendo a juniori, seu minus digno, unusquisque per ordinem vice sua. Induuntur toga talari, sine superpelliceis, regulariterque stant retro credentiam. Genuflexi infundunt aquam, Sacerdote assistente vel duobus acolythis manutergium Episcopo ministrantibus (By.).[1]

§. III. Caeremoniae Missae pontificalis.

Art. I. Ab adventu Episcopi usque ad initium Missae.

1. Jam diximus, valde convenire, atque antiquae ecclesiasticae disciplinae consonum esse, ut in ecclesiis cathedralibus locus aliquis, si sacellum non adsit, ab antiquis secretarium appellatum, deputetur, ad quem Episcopus solemniter celebraturus Missam, postquam sua cappa indutus, ingressus fuerit ecclesiam, sacrasque preces ad Altare ss. Sacramenti tantum, et non ad Altare majus effuderit, cum suis Canonicis, et choro conveniat, finitaque Missa ad eumdem locum redeat (Caer.). Qui locus praeparatus, ornatusque esse debet Altari decenti cum cruce, et candelabris, ac cereis accensis, super quo erunt reposita Missalia sacra indumenta pro Episcopo, suo ordine. Aderunt etiam ibi sedes pro Episcopo versus cornu dextrum, vel sinistrum Altaris pro situatione, et commoditate loci, et sedilia pro Canonicis, et aliis circumcirca.

2. Hora congruenti Canonici parati accedunt ad locum (S. C.), a quo Praelatus cappa indutus deducendus est (Caer.), non obstante consuetudine contraria, sicque procedunt: primo familiares Episcopi, mox magistratus et nobiliores, si habeantur,

[1] Non debetur reverentia per genuflexiones Episcopo extraneo, bene vero Abbatibus in suae jurisdictionis ecclesiis tantum. (S. R. C. 12. Sept. 1857. ad 24.)

deinde Episcopus cappa indutus, et post ipsum Canonici secundum ordinem antiquitatis, primo loco digniores. Si Praelatus sit Archiepiscopus, crux archiepiscopalis immediate ante eum defertur, cum imagine crucifixi ad Praelatum versa. Ad portam aut introitum ecclesiae dignior e clero ecclesiae Cathedralis porrigit aspersorium cum debitis osculis. Praelatus aspergit primo se ipsum, capite detecto, deinde Canonicos omnesque circumstantes incipiendo a dignioribus. Postea aspersorium a praefato digniore eodem modo et cum osculis recipitur, ac omnes accedunt eodem ordine, quo supra, ad Altare ss. Sacramenti, campanis sonantibus et organis dulciter pulsantibus.

3. Episcopus accedit ad Altare ss. Sacramenti, in quo genuflexione facta, super genuflexorio genuflexus orabit. Canonici comitantes similiter genuflexi orant (By.). Oratione facta, Episcopus surgit, genuflectit, et cum Canonicis accedit ad sacellum, ubi est sumpturus paramenta. In eum locum ingressus Episcopus, factaque reverentia cruci super Altari praedicto existenti, orabit, ac inde sedebit aliquantulum super dicta sede, sibi praeparata, donec Canonici extra illum locum capiant sacra indumenta, remanentibus presbytero et duobus Diaconis assistentibus apud Episcopum, dum alii parantur, qui et ipsi postea accipiunt paramenta[1] (Caer.).

4. Quibus paratis, atque in eumdem locum ingressis, cum debitis reverentiis Altari et Episcopo, ac apud sua sedilia stantibus, Episcopus surgit, et stans, capite detecto versus Altare, dicet secreto totum *Pater* et *Ave*. Tum faciens sibi crucis signum a fronte ad pectus, ea forma, quae superius expressa fuit, altiori voce incipit Horam Tertiam, dicens *Deus, in adjutorium* etc., choro prosequente *Domine, ad adjuvandum* etc. et Hymnum *Nunc sancte nobis Spiritus,* cui organum intermisceri poterit. Quo Hymno finito, cantor dicit Antiphonam, atque incepto Psalmo *Legem pone mihi, Domine* etc., Episcopus sedebit, sedentibus etiam Canonicis, exceptis his, qui Episcopo

[1] Super rochettum aut superpelliceum Dignitates sumunt pluvialia, alii casulas, dalmaticas et tunicellas, si habeantur, acceptis prius et circa collum compositis amictibus. Saltem vero quatuor aut sex primi habeant pluvialia (Caer.).

ministraturi sunt; chorus autem prosequitur Psalmos. Tunc minister de libro serviens, cotta indutus, una cum altero candelam tenente, accedent cum libro ante Episcopum, qui poterunt esse aliqui ex suis capellanis, et qui de libro serviet, genuflexus manebit, dum Episcopus legit sedens. Episcopus vero sedens, legit Antiphonam *Ne reminiscaris* et Psalmos consuetos, duobus Canonicis sibi a lateribus assistentibus et Sacerdote assistente (By.), qui debent per totam Missam deservire, alternatim respondentibus (Caer.).

5. Interim Subdiaconus cantaturus Epistolam, qui simul cum Diacono Evangelium cantaturo, ac aliis Canonicis erit jam subdiaconalibus paramentis indutus, dempto manipulo, afferet ex credentia super bacili sandalia et caligas, manibus velo coopertis, alio velo cooperta, ambabus manibus elevata, ante Episcopum, illaque, adjuvantibus duobus Episcopi scutiferis, qui ad abacum solent assistere, genuflexus induit primo in dextero, deinde in sinistro pede Episcopi, detractis prius per scutiferum ordinariis calceis; eodemque tempore sex, vel octo acolythi cum cottis genuflexi, fimbrias cappae circumcirca elevant, et dilatant, cooperiendo dictum Subdiaconum, et scutiferos, quo commodius, et decentius officium suum peragere possint (Caer.). Quibus expeditis, Subdiaconus, et scutiferi praedicti recedunt ad loca sua. Acolythi, aptatis in gyrum cappae pontificalis fimbriis, ad Altare redeunt, ut praesto sint pro paramentis Episcopo deferendis.

6. Episcopus prosequitur lectionem Psalmorum, quibus dictis usque ad *Kyrie eleison* etc. surgens, detecto capite, versus Altare, manibus junctis, dicit Orationes. Tum Episcopus exuit cappam, dicens Orationem *Exue me Domine* etc. et sedet. Postea dicit Orationem *Da Domine* pro lotione manuum, extractisque ei per assistentes Diaconos annulis, lavat manus. Porro nobiles aut scutiferi afferunt dextera manu urceum cum aqua, sinistra vero lancem, et cum fuerint ante Episcopum genuflexi infundunt aquam, supposita lance, super manus Episcopi: Presbyter autem assistens porriget Episcopo mantile ad tergendum manus; quibus tersis, reponuntur ei annuli ab eodem presbytero assistente. Diaconi assistentes et Sacerdos assistens

se induunt paramentis suis, Diacono et Subdiacono prope Praelatum stantibus (Caer. Ep.).

7. Statim lotis manibus adsint acolythi praefati, qui afferunt ex Altari paramenta Episcopi per ordinem, unus post alium; videlicet, amictum, albam, cingulum, crucem pectoralem, stolam, pluviale, et mitram, quibus induitur Episcopus per Diaconum a dextris, et Subdiaconum a sinistris paratos, ut supra, hoc modo, videlicet: Diaconus et Subdiaconus capientes singula hujusmodi paramenta de manibus acolythorum, quisque eorum a latere suo adjuvat vestiendo Episcopum, sed principaliter Diaconus omnia operatur; Subdiaconus vero solummodo coadjuvat, ubi opus est; et primo offerunt Episcopo amictum osculandum in medio, ubi est designata parva crux, quam in parte prius osculatur etiam Diaconus; mox illum diligenter aptant circa collum Episcopi, ita ut vestium summitatem, quae vulgo collaria vocantur, omnino tegat;[1] deinde cordulas ex eo pendentes post tergum ductas, ante pectus reductas, stricte colligant. Accipiunt deinde albam, eamque circa collum, humeros et brachia distendunt et aptant. Tertio loco cingulum, quo albam constringunt, incipientes a tergo, et ante corpus illam religantes, tum albae extremitates circumcirca acolythi sublevant, et aptant, ita ut aequaliter defluat, et vestes contegat. Diaconus postea sumpta cruce pectorali, eamque etiam in parte prius osculatam, ipsi Episcopo osculandam praebet, et ejus collo imponit, ita ut ante pectus pendeat; stolam deinde etiam in parte deosculatam, Episcopo deosculandam offert, eamque super ejus humeros applicat, ita ut, nec ejus collum tegat, nec transverva sit in modum crucis, sed aequaliter ante pectus pendeat; quod commodius fiet, si ei cordulae retro, et ante sint annexae, quibus firmari possit, ne huc, et illuc vagetur. Demum Diaconus vel Subdiaconus imponunt Episcopo pluviale et mitram, deinde recedunt ad scamnum suum, et si Psalmi Tertiae non sint perfecti, sedet Episcopus expectans, donec perficiantur; quibus finitis, et Sacerdos assistens et Diaconi assistentes reversi sunt ad loca sua, acolythique parati esse debent.

[1] Inter vestiendum stet Episcopus, orationesque memoriter recitet, ne liber impedimento sit.

8. Repetita Antiphona, Episcopus surgit cum mitra, surgentibus omnibus, versa facie ad ipsum Subdiaconum cantantem Capitulum: et sic stat, donec cantores cantent Responsorium ultimi Versiculi. Deinde sedet, ut ei mitra auferatur. Interea vero duo acolythi, acceptis duobus candelabris cum cereis accensis, versis invicem faciebus, dummodo nec Altari, nec Episcopo renes vertant, accedunt. Presbyter vero assistens paratus, in eorum medio, tenebit librum supra caput, et finito Responsorio, Episcopus, stans, cantat in tono festivo *Dominus vobiscum* et Orationem: et dicto per chorum *Benedicamus Domino,* ipse Episcopus, deposito pluviali, a Diacono et Subdiacono induitur tunicella, qui constringunt cordulas hinc inde super humeros positas, et deinde eodem modo dalmaticam. Tum Episcopus sedet, et imponuntur ei chirothecae per Diaconum in dextera, et per Subdiaconum in sinistra, manibus illi prius, et mox chirothecis, per eosdem deosculatis. Mox surgit Episcopus, et induitur ab eisdem planeta, quae hinc inde super brachio aptatur, et revolvitur diligenter, ne illum impediat. Si Episcopus pallio uti possit, et eo die uti conveniat, ei imponitur modo supra (pag. 286.) indicato. Tum sedenti Episcopo imponitur per Diaconum mitra pretiosa, sumpta de manibus capellani, de illa servientis, Subdiacono vittas elevante. Demum imponitur per Presbyterum assistentem annulus pontificalis annulari digito dextrae manus Episcopi, annulo prius et manu postea deosculatis. Episcopo parato, accedunt ad eum Archidiaconus, et alter Diaconus, seu duo digniores Canonici Diaconi, parati dalmaticis, qui ei a lateribus assistunt a principio.

9. Diaconus vero et Subdiaconus recedunt, et capiunt suos manipulos, et accedente ac genuflexo thuriferario cum thuribulo, et navicula, ministranteque Presbytero assistente naviculam, Episcopus imponit et benedicit thus, dicens *Ab illo benedicaris,* manu sinistra super pectus posita. Tum surgit et ab acolytho accipit baculum. Deinde Episcopus cum suis ministris, facta reverentia cruci[1] super Altari in dicto sacello, seu secretario existenti, processionali ritu procedunt ad Altare,

[1] Omnes ministri inferiores stant in linea retro post Episcopum, genuflectunt cruci, deinde Praelato, dum se convertit (D.).

in quo Missa est celebranda, hoc ordine. Thuriferarius cum habentes alterum Subdiaconum paratum tunicella, crucem debini et bini, incipiendo a junioribus, seu minus dignis. Hos niores, semper sint posteriores in processione. Canonici vero, nonicos procedet Subdiaconus Epistolam cantaturus, gerens manipulus Episcopi. Deinde Diaconus ad sinistram Presbyteri storali in manu sinistra, parte curva baculi ad populum versa dius inter Diaconos assistentes paratos.

10. Si autem Episcopus sumpsit paramenta in presbyterio sed procedit ad Altare sine cruce, sine candelabris et sine dam aliis (Caer.). In hac hypothesi, sic agendum erit. Epiorationi vacabit ante Altare majus; interea Canonici induunt conus et Subdiaconus, cum duobus Diaconis assistentibus, etc.; Episcopus ascendit ad sedem suam, inchoat Horam Tertiam, et ducti, accedunt ad functiones suas peragendas. Duo vero Caut supra dictum fuit.

Art. II. Officium Episcopi et

TEXTUS.	EPISCOPUS.	PRESBYTER ASSISTENS.
Introitus.	Accedit ad Altare, mitra capiti imposita, cum baculo pastorali in manu sinistra, parte curva baculi ad populum versa, ac dextera extensa benedicens (Caer.).	Incedit capite tecto (S. C.) manibusque junctis (By.) immediate ante Episcopum (Caer.).
	Cum Episcopus fuerit prope Altare, salutat exigua capitis inclinatione Canonicos paratos nonicos paratos, ad sua sedilia stantes (Caer.).	Consistit, detegit caput salutatque Canonicos paratos (By. D.).
Confessio.	Cum pervenerit ante infimum gradum Altaris, reddito baculo pastorali	Tradit birretum (D.), stansque a dextris Episcopi, pro-

thuribulo, deinde ceroferarii cum candelis accensis, medium ferentem: deinde clerici et beneficiati ecclesiae cum suis cottis, sequitur reliquus Clerus illius ecclesiae suo ordine, ita ut digqui sunt parati, antecedent Episcopum immediate. Post Caclausum ante pectus librum Evangeliorum, in quo includitur assistentis, pluviali induti, demum Episcopus cum baculo paac dextera benedicens, si sit in sua civitate vel dioecesi, me-

apud sedem, vel in faldistorio, non fit hujusmodi processio, thuriferario, cum solis ministris paratis, ut supra, et quibusscopus post Orationem factam ante Altare ss. Sacramenti, paramenta tenduntque ad stalla sua, itemque se induunt Diaduo tantum antiquiores Canonici remanent apud Episcopum. statim ac parati sunt omnes ejus ministri, a Caeremoniario denonici tunc recedunt, et tendunt ad sedilia sua. Reliqua fiunt

ministrorum superiorum in Missa.

DIACONI ASSIST.	DIACONUS.	SUBDIACONUS.	CANONICI PARATI.
Incedunt a lateribus Episcopi (Caer.) capite tecto (S. C.) manibus junctis (By.), ac sustinentes Praelatum procedentem (C.).	Incedit a sinistris Presbyteri assistentis (Caer.), manibus junctis (By.) et capite tecto (S. C.).	Capite tecto (S. C.), post Canonicos procedit Subdiaconus Epistolam cantaturus, gerens librum Evangeliorum clausum ante pectus, in quo includitur manipulus Episcopi, largiori manipuli parte ad se complicata in summitate libri (Caer.).	Capite tecto (S. C.), procedunt bini et bini post crucem, primo juniores, acceduntque ad sedilia sua (Caer.), capite detecto (S. C.).
		Ut Diaconus.	
Salutant capite detecto.	Salutat etiam.		Episcopo faciunt profundam reverentiam (Caer.).
Consistunt circiter duobus passibus post	Stat a sinistris Episcopi (Caer.), tradit	Parum a retro et a sinistris Diaconi	Cantante choro introitum, faciunt

TEXTUS.	EPISCOPUS.	PRESBYTER ASSISTENS.
	ministro, qui de eo servit, et deposita ei per Diaconum mitra, facit profundam reverentiam cruci super Altari posita, et inchoat Missam, aliquantulum inclinatus ad *Confiteor* (Caer.).	fundam facit inclinationem, manibus junctis, respondit-que Episcopo (Caer.).
	Cum dixerit *Indulgentiam, absolutionem et remissionem* etc. accipit manipulum, quod osculatur in medio, ubi est crux (Caer.).	
Oremus.	Cum ascenderit ad Altare illudque in medio osculatus fuerit, statim ambabus manibus tangens librum Evangeliorum sibi a Subdiacono a sinistris stante, oblatum, in folio Evangelii currentis, illum osculatur, adjuvante Presbytero assistente.	Ascendit ad Altare cum Episcopo a dexteris, genuflexioneque facta in pradella Altaris (D.) aut omissa, statim (By.) transit ad sinistram Praelati eique ostendit Evangelii textum deosculandum (Caer.). Deinde tenens librum apertum ante pectus (By.), recedit extra cornu Evan-
Incensatio.	Imponit, et benedicit incensum, et incensat Altare more solito. Deinde sumpta mitra ter incensatur, postea benedicit Diaconum (Caer) et antequam descendat (D.) vel postquam descenderit (By.), facit Altari in medio reverentiam et accedit ad sedem suam (Caer.).	gelii, conversus ad Altare (Caer.). Reddit librum acolytho, factaque Episcopo reverentia eumdem sequitur ad sedem suam (Caer.).

DIACONI ASSIST.	DIACONUS.	SUBDIACONUS.	CANONICI PARATI.
Episcopum, parum eparati (By), tra-lunt birreta (D.), se nclinant et inter se aciunt Confessio-em (S. C.).	birretum suum et mitram Episcopi, quocum reverentiam facit ac cui respondit (Caer.). Aliquantulum se retrahit.	(Caer.) traditis birreto suo (D.) et libro, facit profundam Inclinationem ac Confessionem cum Episcopo (Caer.). Capit manipulum, qui fuerat inclusus in libro Evangeliorum, et illum a latere osculatur, deinde porrigit Episcopo osculandum, ubi est signum crucis, mox applicat sinistro Episcopi brachio cum osculo manus. Deinde resumit librum (Caer.).	simul Confessionem bini ac stantes si parati sint (Caer.), vel Canonici (S. C.).
Stant in eodem oco.	Ascendit ad Altare cum Episcopo a dextris ejus, mutatque locum cum Presbytero assistente, curate elevans ascendendo fimbrias anteriores albae Episcopi (Caer.).	Ascendit ad Altare cum libro ad cornu Evangelii, illum aperit porrigitque Episcopo super Altari; librum vero relinquit Presbytero assistenti, statque a sinistris Episcopi (Caer.).	Surgunt.
Primus per cornu pistolae accedit ad itram Episcopo imponendam, deinde dit ad locum suum.	Adjuvat Episcopum incensantem, deinde in plano presbyterii in cornu Epistolae ter incensat Praelatum, a quo benedicitur.	Adjuvat etiam Episcopum incensantem et accedit ad sinistram Diaconi manibus junctis (Caer.).	
Faciunt reverenam et incedunt a iobus lateribus piscopi (Caer.).	Reddito thuribulo stat in eodem loco (Caer.).	Stat a dextris Diaconi proximius Altari (By.).	

TEXTUS.	EPISCOPUS.	PRESBYTER ASSISTENS.
Introitus.	Stans, tradit baculum pastoralem acolytho, sedet, et deposita mitra, surgit, et facto sibi signo crucis a fronte ad pectus, legit introitum, manibus junctis. Deinde dicit alternatim cum assistentibus ter *Kyrie eleison,* ter *Christe eleison* et ter *Kyrie eleison.* Quo dicto sedet, accepta per primum Diaconum assistentem mitra auriphrygiata simplici, si haec placeat, et gremiali, super quo tenet manus (Caer.).	Se signat, respondet ad *Kyrie eleison*, et sede (Caer.), capite tecto (S. C.)
Ultimum *Kyrie* cantatur.		Surgit (Caer.) se discoo periens.
Kyrie absolvitur.	Finito a choro cantu *Kyrie eleison* ei aufertur mitra, surgit, versa facie ad Altare, more solito cantat ex libro ante eum allato *Gloria in excelsis Deo,* et postquam incepit, cantando praefatum Hymnum, prosequitur illum submissa voce, debitis inclinationibus factis et se signans in fine Hymni (Caer.). Sedet, accepta mitra simplici et gremiali (Caer.).	Librum sustinet supra ca put, cantante Episcopo Hy mnum *Gloria... Deo.* De inde reddit librum acolytho Legit reliqua Hymni prae dicti cum Episcopo (Caer.) Sedet.
Gloria absolvitur.	Hymno finito, surgit, deposita mitra et gremiali, et stans versus populum, elevatis, et statim junctis manibus, cantat *Pax vobis,* et Orationem, Altari inclinationibus debitis factis.	Sustinet librum supra caput
Epistola.	Tum sedet accepta mitra et gremiali.	Remittit librum acolyth et sedet.
Epistola cantata.	Epistola finita, Subdiaconus portat eodem modo, quo supra, ante Episcopum librum clausum, quem inclinatus, porrigit illi super ejus genibus,	

DIACONI ASSIST.	DIACONUS.	SUBDIACONUS.	CANONICI PARATI.
Secundus aufert mitram et ambo respondent ad *Kyrie eleison.* Primus imponit mitram, secundus gremiale, deinde sedent in scabellis suis (Caer.), et se cooperiunt (S. C.)	Dicit secreto *Kyrie eleison* alternatim cum Subdiacono.	Ut Daconus.	Dicunt simul bini et secreto *Kyrie eleison, Christe eleison,* deinde sedent (Caer.) et se cooperiunt (S. C.).
	Sedet et caput tegit (Caer.).	Item.	
Surgunt, secundus aufert gremiale et mitram, primus parum birretum, quod manu tenet (Caer.).			
	Surgit, tenet ante se birretum, et dicit submissa voce *Gloria,* se inclinans cum Episcopo (Caer.).	Ut Diaconus. Dicunt *Gloria* simul una et eodem tempore, quo Episcopus.	Dicunt etiam *Gloria* simul et eodem tempore (Caer.).
Dicunt cum Episcopo, sese cum illo inclinantes signansque (Caer.). Primus imponit mitram, secundus gremiale, deinde sedent (Caer.).	Sedet et se cooperit.	Sedet et se cooperit.	Sedent.
Surgunt, secundus aufert gremiale mitram, primus pileolum.	Surgit, tenens ante pectus birretum.	Surgit, deposito birreto super scamno, accipit librum, factisque debitis reverentiis Altari et Episcopo, et sibi ipse tenens librum a latere sinistro Altaris, vel, ubi ita consuetum sit, in ambone, cantat Epistolam alta voce.	Surgunt.
Imponunt pileum, mitram et gremiale, deinde sedent.	Sedet.		Sedent.
	Surgit, deponit birretum, sumit librum Evangeliorum, factaque reverentia Epi-	Facta Altari reverentia, vadit ad Episcopum, cujus manum deosculatur, se	

TEXTUS.	EPISCOPUS.	PRESBYTER ASSISTENS.
	et manum dexteram illius super libro positam, reverenter osculatur, et accepta benedictione recedit ab Episcopo, qui sedens cum mitra, ex libro Missali legit Epistolam et alia usque ad finem Evangelii, non se inclinans ad *Munda cor* (Caer.).	
	Porrecta manu Diacono deosculanda, imponit et benedicit incensum.	Ministrat cochlear cum incenso Episcopo.
Alleluja vel *Tractus* absolvitur.	Antequam incipiat Evangelium, junctis manibus dicit super Diaconum, quem benedicit dextera manu, sinistra infra pectus posita, *Dominus sit* etc.	
Evangelium cantatur.	Depositis gremiali, et mitra, surgit, et cum Diaconus dicit *Initium* vel *Sequentia* accepto baculo pastorali, signat se in fronte, ore et pectore: tum ipse Episcopus retinet baculum inter ambas manus junctas, stans versus Diaconum cantantem (Caer.).	Surgit, manibus junctis et audit Evangelium.
	Tradito baculo, osculatoque libro, dicens *Per Evangelica,* incensatur manibus junctis, Presbyterumque assistentem benedicit.	Stans in loco suo, ter incensat Episcopum, reverentia prius et postea facta.
Credo.	Statim incipit eodem modo, quo *ad Gloria,* et ad Versiculum *Et incarnatus est* etc. genuflectit. Deinde sedet acceptis mitra et gremiali (Caer.).	Omnes omnia peragunt ut
Et incarnatus est.	Cum mitra profunde inclinat caput versus Altare.	Se discooperit et se inclinat.

DIACONI ASSIST.	DIACONUS.	SUBDIACONUS.	CANONICI PARATI.
	copo, illum clausum congruenti mora affert ad Altare, illi in infimo gradu se inclinans, tum ascendit et collocat illum in medio Altaris, deinde facta Altari reverentia, vadit ad Episcopum, cujus manum reverenter deosculatur, tum reversus ad Altare, in ejus inferiori gradu genuflexus, dicit secreto *Munda cor* etc., et deinde capit librum, et illum portat ante pectus, et apud Altare in Epistolae cornu in plano exspectat. Altari facta inclinatione, ultimus venit ad Episcopum, a quo petit benedictionem inclinatus; dein se erigit, et post reverentiam Episcopo, factam venit ultimus ad locum Evangelii.	inclinans prius et postea. Reddito libro Caeremoniario, redit ad locum suum, facta Altari reverentia (Caer.).	
Surgunt, ablatis emiali et mitra.	Cantat Evangelium more solito, deinde redit ad locum suum, Episcopo et Altari reverentia facta.	Se discooperit, statque a sinistris Diaconi, ubi simul inclinatione cruci facta, post ceroferarios vadit ad Episcopum, manens inclinatus, dum illi benedicitur, in medio acolythorum. Redit eodem ordine ad locum Evangelii (Caer.). Tenet tangitve librum. Defert librum Episcopo deosculandum, facta postea reverentia. Reddito libro Caeremoniario, redit ad locum suum.	Surgunt.

Gloria in excelsis, et genuflectunt cum Episcopo (Caer.).

Se discooperiunt ue inclinant.	Postquam se discooperuerit et se inclinaverit, surgit, defert ad Altare corporale bursa inclusum, reverentia Episcopo facta. Deinde	Omnia peragit ut in aliis Missis solemnibus	Se discooperiunt et se inclinant.

TEXTUS.	EPISCOPUS.	PRESBYTER ASSISTENS.
Credo absolvitur.	Cantat *Dom. vob., Oremus,* et legit Offertorium. Quo lecto, sedet, accipit mitram pretiosam et gremiale, deponitque annulum et chirothecas, lavat manus et illas tergit. Lotis manibus, reassumit annulum, aufert gremiale et surgit, accipiens manu sinistra baculum pastoralem, dextera super pectus posita, procedit ante infimum gradum Altaris in medio, ubi depositis baculo, et mitra, factaque profunda reverentia cruci, ascendit ad Altare, et cum fuerit ante Altare, illud in medio osculatur, positis hinc inde manibus Accipit patenam illamque offert, etc.	Surgit, et vel statim post quam Episcopus legerit Offertorium, praemittit ministrum de libro servientem qui eum ferat ad Altare; ve ipse, ubi primum mantil porrexit et recepit, porta illum super pulvino cum debitis reverentiis, comitant Caeremoniario, illumqu supposito pulvino, reveren tia facta Episcopo reponit i cornu Evangelii apertum. Descendit ante infimu gradum Altaris, reverentia cruci facta, adjuvat Episco pum ascendentem servitqu ad librum, quem brachio si nistro sustentat, ostenden Episcopo, quae legend sint (Caer.).
Incensatio.	Thurificatis oblatis et Altari, reddito thuribulo Diacono, et accepta mitra pretiosa, thurificatur in eodem loco, stans, a Diacono, triplici ictu, et statim lavat et tergit manus more solito. Postquam vero Episcopus lavaverit et absterserit manus, aufertur ei mitra, et prosequitur Missam (Caer.).	Dum Episcopus incensa stat extra gradus Altaris gestans librum. Colloca illum in loco, et thurifica tur duplici ictu (Caer.).
Elevatio.		Flectit utroque genu su per suppedaneo a sinistri Episcopi.

DIACONI ASSIST.	DIACONUS.	SUBDIACONUS.	CANONICI PARATI.
	sedet et se cooperit (Caer.).		
Surgunt, auferunt gremiale et mitram, quae statim repo-nunt, et extrahunt annulum et chiro-thecas. Primus re-mittit annulum, se-cundus autem resu-mit gremiale, quod tradit deferendum cum chirothecis.	Surgit.	Surgit.	Surgunt.
Comitantur Episco-pum ad Altare, re-verentiam cum illo faciunt, remanent-que in plano, ubi prius fuerant (Caer.).	Tradit birretum, reverentiam facit Episcopo, cujus aufert mitram, stat a dexteris ejus et cum illo ascendit ad Altare. Capit de manu Subdiaconi patenam cum hostiis, ex quibus unam accipiens et cum ea tangens alteram, ac patenam et calicem intus, et extra, eumdem sacristae, ibi praesenti, praegustandam praebet, mox patenam cum altera hostia ad manus Episcopi cum osculo porrigit. Similiter sacrista praegustabit vinum et aquam (Caer.).	Defert calicem ad Altare omniaque peragit ut in aliis Missis. Dum sustinet patenam stat parum retro post Diaconos assistentes et inter eosdem.	Sedent et se cooperiunt.
Primus imponit ufertque mitram. Incensantur post Presbyterum assi-tentem (Caer.).	Thurificato Episcopo, stans ante infimum gradum Altaris in cornu Epistolae, thurificat Presbyterum assistentem, deinde Diaconos assistentes duplici ictu, inclinatione facta ante et post thurificationem. Postea thurificat chorum more solito (Caer.).		
Flectunt utroque enu in locis suis.			Se discooperiunt et surgunt. A principio Canonis usque post elevationem, genuflectunt, postea surgunt.

TEXTUS.	EPISCOPUS.	PRESBYTER ASSISTENS.
Dona nobis pacem.	Osculato Altari, dat successive pacem ministris suis.	Accedit ad dexterum la tus Celebrantis, genuflecti et statim surgit, osculatu Altare simul cum Cele brante, a quo accipiet pa cem, dumque pacem acci pit, appropinquat sinistrar genam suam sinistrae Ce lebrantis et postea pacer in choro distribuit.
Ablutio.	Ablutione finita, impositaque mitra lavat manus. Tersis vero manibus, deponit mitram, legitque Communionem etc.	Si reversus sit, defer librum porrigitque mantil (Caer.).
Benedictio.	Dicto *Placeat,* sumpta mitra in medio Altaris, stans, pollice manus dexterae facit signum crucis super pectus cantans *Sit nomen* etc., sinistra super Altari posita, ubi statim deponit manum dexteram. Dicens eodem tono *Adjutorium,* se signat signo crucis dextera manu, sinistra super pectus posita, postea ambabus manibus super eodem Altari positis.[1]	Stat ante Altare, in me dio.
Pater et Filius et Spiritus sanctus.	Elevatis oculis manibusque ac statim junctis, dicit *Benedicat.. Deus,* et sumpto baculo sinistra manu, conversus ad cornu Epistolae, ibi benedicit populum, deinde in medio ecclesiae, et tandem in cornu Evangelii, integro circulo completo. Depositis baculo et mitra, dicit *Dominus vobiscum,* et facto signo crucis super Altari, dicit *Initium,* quod prosequitur sumpta mitra, et baculo, procedendo ad locum, ubi a principio accepit paramenta.	Se inclinat. Si opus fue rit, publicat indulgentias i cornu Epistolae versus po pulum, facta prius Episcop reverentia. Ascendit ad A tare in cornu Epistolae e factis Praelato reverentii debitis, redit eodem ordine quo venerat.
	Si aliud Evangelium esset legendum, illud legeret in Altari, antequam deponat insignia (Caer.).	
	Ipsi paramenta auferuntur, reduciturque ad domum Episcopalem (Caer.), etiamsi distaret ducentis passibus (S. C.).	Adjuvat Episcopur exuentem paramenta por tificalia et comitatur Prae latum ad domum suam.

[1] Multis in locis solent omnes de choro se signare, eodem modo et tempore quo Episcopu

DIACONI ASSIST.	DIACONUS.	SUBDIACONUS.	CANONICI PARATI.
Post presbyterum assistentem, accedunt successive ad Altare accepturi pacem ab Episcopo, facta prius et postea s. Sacramento genuflexione, et redeunt ad loca sua.	Transit ad sinistram Episcopi prope librum, ad quem redit, postquam acceperit pacem post Diaconos assistentes.	Accedit etiam accepturus pacem: si autem communicet, pax tantum datur cum fit Communio.	
	Si presbyter assistens reversus sit, accedit ad dexteram Episcopi ministraturus ablutiones; alias defert librum, imponit mitram aufertque, et postea stat post Episcopum.	Si non veniat Diaconus, infundit ablutiones; deinde tergit, cooperit refertque calicem, ac redit retro post Diaconum.	Sedent et sese cooperiunt.
Stant in locis suis.	Imponit mitram cum reverentiis solitis, statque a dexteris presbyteri assistentis in eadem linea.	Stat a sinistris presbyteri assistentis.	Surgunt.
Se inclinant.	Se inclinat.	Se inclinat, tum aufert mitram, quam reddit ministro, et descendit infra gradus Altaris a sinistris, ubi expectat Episcopum. Reverentia cruci facta, redit eodem ordine, quo venerat.	Profunde se inclinant.
Reverentia Altari facta, discedunt habentes Episcopum in medio eorum.	Imposita mitra, se tenet a sinistris Episcopi, cum illo cruci facit reverentiam, descendit, reiterataque reverentia redit eo modo, quo venerat.		

Servantur relative ea, quae dicta fuerunt pro induendis paramentis. Canonici, depositis paramentis suis, reducunt Praelatum ad domum suam.

Notare quoque oportet collegiatarum Canonicos tum Episcopo, tum Altari genuflectere debere.

Art. III. Officium ministroru

TEXTUS.	CAEREMONIARIUS.	ACOLYTHI DE LIBRO ET DE CANDELA.
Ingressus.	Aperto capite, manibusque junctis procedit solus post acolythos et ante Subdiaconum. Recedit, ut transeant Episcopus et ministri, quibus reverentiam debitam facit, accipit dein birreta, quae tradit ponenda in loco convenienti et librum.	Sequuntur Episcopu post acolythum de mit servientem, primus a de tris, manibus junctis, alt vero tenens dextera mar candelabrum cum cande accensa.
Indulgentiam.	Genuflectit, mox remanet genuflexus retro post Subdiaconum. Exsurgit, traditoque Subdiacono manipulo, iterum genuflexus manet.	Genuflectunt et remane genuflexi in cornu Eva gelii.
Oremus.	Libro Subdiacono tradito, accedit ad cornu Epistolae in suppedaneo, genuflectens dum transit ante medium Altaris, adjuvatque thuriferarium.	Surgunt remanentque locis suis.
Incensatio.	Descendit e gradibus, remanetque in cornu Epistolae, conversus ad Altare, tum stat retro post Subdiaconum, et a sinistris thuriferarii, genuflexione facta ante et postquam Diaconus thurificaverit Episcopum.	
	Accedit ad sedem episcopalem, sequendo Presbyterum assistentem, statque infra infimos throni gradus, non longe ab Episcopo, ita ut omnia videat omnesque caeremonias indicet.	Genuflexione Altari f cta, sequuntur Episcopu uti supra, primus habe librum.
Introitus.		Accedunt ad Episcopu legentem, tum recedunt a ejusdem sinistram, stant vel sedentes, super grad bus infimis sedis episc palis.

inferiorum in Missa pontificali.

MINISTRI DE MITRA ET DE BACULO.	ACOLYTHI CEROFERARII.	THURIFERARIUS.	GERENS GREMIALE ET CAETERI.
Sequuntur immediate Episcopum, primus a sinistris secundi, manibusque junctis. Unus accipit mitram, alter autem baculum.	Immediate sequuntur thuriferarium, in medio autem eorum incedit Subdiaconus sine manipulo, deferens crucem, quam statim deponit in alio loco. Omnia peragunt uti in Missa solemni quantum ad genuflexiones etc.	Primus procedit et observat easdem caeremonias, quas in Missa solemni.	Incedunt ordinatim post acolythum de libro servientem, manibus junctis.
Genuflectunt, minister de baculo genuflexus a sinistris Subdiaconi, et minister de mitra pariter remanens genuflexus in cornu Epistolae.		Genuflectit etc.	Genuflectit, remanetque genuflexus in cornu Evangelii.
Surgunt, primus persistit in loco suo, alter vero recedit versus cornu Epistolae.	Postquam surrexerint stant ad credentiam, manibus junctis, usque post Epistolam.	Ascendit ad Altare per gradus cornu Epistolae, et ministrat incensum benedicendum. Vide *Missam solemnem.*	Exsurgit remanetque in loco suo.
Primus ante, secundus autem postquam Episcopus incensatus fuerit, deferunt insignia.			
Genuflexione facta, sequuntur immediate Episcopum. Cum pervenerint ad sedem Episcopalem, reassumptis baculo et mitra, recedunt super gradum infimum ejusdem sedis, ubi stant.			Genuflexione facta, etiam sequitur Episcopum.
Primus affert mitram.			Allatum gremiale porrigit complicatum secundo Diacono, tumque recedit prope alios.

TEXTUS.	CAEREMONIARIUS.	ACOLYTHI DE LIBRO ET DE CANDELA.
Gloria in excelsis. Orationes.		Debent accedere ad Episcopum dum cantat aut legit.
Orationibus finitis.	Genuflexione Episcopo et Altari facta sumptum librum tradit Subdiacono, quem comitatur, genuflectens Episcopo et Altari, dum Subdiaconus se inclinat. Remanet ad credentiam.	Epistola cantata, accedunt ad functiones suas exercendas.
Graduali finito.	Tradito libro Diacono, accersit thuriferarium, quem ducit ad Episcopum, illumque reducit. Stat in medio, et parum retro post Diaconum et Subdiaconum. Genuflexione facta, accedit ad Episcopum, primus incedens, manetque genuflexus sub *Dominus sit.* Ad Evangelium, omnibus more solito peractis, redit ad locum suum apud sedem episcopalem.	
Credo et Offertorium.	Debet tradere Diacono bursam e credentia, deducere et reducere familiares Episcopi, qui accedunt ad lotionem manuum.	Exercent functiones, cum opus est; tum primus defert librum super Altare, in cornu Evangelii.
Itur ad Altare.	Primus procedit ante Episcopum, adjuvat Subdiaconum capientem velum patenae, et thuriferarium incensantem. Deinde stat apud credentiam.	Acolythus de candela sequitur ministrum de mitra, et genuflexione facta, sesistit ad cornu Evangelii, ad sinistram Presbyteri assistentis, semperque stat, excepto elevationis tempore. Alter vero stat ad credentiam.

MINISTRI DE MITRA ET DE BACULO.	ACOLYTHI CEROFERARII.	THURIFERARIUS.	GERENS GREMIALE ET CAETERI.
Minister de mitra curam habet reddendi mitram primo Diacono, illamque recipiendi a secundo Diacono, dum Episcopus sedet aut surgit.			Gerens gremiale eadem peragit quae minister de mitra.
Ad Evangelium, Episcopus, deposita mitra, sumit baculum quem deponit in fine, et antequam osculetur librum.	Accedunt in medium cum candelabris, genuflectunt et sequuntur thuriferarium, ad sedem, ubi genuflectunt a duobus lateribus gradduum sedis, facta prius et postea genuflexione: reliqua fiunt more solito. Stant apud credentiam.	Ministrato incenso ac benedicto, redit retro post Diaconum, in medio duorum acolythorum. Facta genuflexione praeit, remanetque genuflexus a sinistris Subdiaconi tempore benedictionis. Reliqua fiunt more solito. Evangelio finito, tradit thuribulum Presbytero assistenti, reditque ad credentiam, genuflexionibus debitis factis.	Reassumit gremiale.
Mitra imponitur cto *Credo,* auferr vero eodem canto, tandemque reassumitur ab Episopo post lectum fertorium.			Gremiale ut mitra.
Tradit baculum ad ccdendum ad Alre: cum ad illud pervenerint, reasmptis attributis, se stunt ad cornu Epiplae prope credenm.			Aufertur gremiale, quod amplius non adhibetur. Procedit eodem ordine, quo venerat, statque ad credentiam.
Ad thurificationem ad lotionem ditorum Episcopus assumit mitram.			

TEXTUS.	CAEREMONIARIUS.	ACOLYTHI DE LIBRO ET DE CANDELA.
		Communione peracta, acolythus de candela vadit ad cornu Epistolae; finita ultima Oratione, alter reassumit librum, tumque ambo genuflexi remanent infra gradus *in plano*.

§. IV. Missa coram Episcopo, Missa pontificalis in faldistorio etc.

1. Cum Episcopus, finito Evangelio, erit concionaturus, id faciet in propria sua sede, quando adhaeret parieti et versa est ad populum, vel apud ipsum Altare, sedens ibi super faldistorio, in suppedaneo ipsius Altaris, versis Altari renibus. Sedebunt ad ejus dexteram Presbyter assistens, et modicum post eum Diaconus Evangelii, et primus Diaconus assistens.[1] Expleto sermone, Diaconus, qui cantavit Evangelium, stans ad sinistram Episcopi aliquantulum inclinatus, faciet Confessionem ante Episcopum.[2] Qua finita, Presbyter assistens pronunciat indulgentias, et Episcopus stans sine mitra in eodem loco, legit absolutionem, videlicet *Precibus et meritis* etc., et inde accepta mitra, dat benedictionem; et, si est Archiepiscopus, vel alius utens cruce, portatur ante eum crux per capellanum, qui eam tenet genuflexus spatio congruenti, imagine crucifixi ad Archiepiscopum versa, cui ille caput inclinat, et detecto capite benedicit. Statimque, si Episcopus ante Altare sermonem habuit, revertitur ad sedem suam, ubi dicit *Credo* etc., vel *Dominus vobiscum* prout convenit. Si vero sermo habendus sit per Canonicum, qui eo casu debet esse in habitu ordinis seu dignitatis suae, suo tempore ibit ad osculum manus Episcopi, et ab

---

[1] Dum Altare maxime distat, Episcopus iens ad pulpitum concionaturus, associabitur tantum ab assistentibus ad sedem (S. C.).

[2] Ad recitandum *Confiteor* post concionem, stat Diaconus ante ultimum gradum throni, si celebret Episcopus; e contra si tantum Missae assistat, ante infimum gradum Altaris. Durante Confessione, Episcopus, si cappam defert, teneat caput coopertum. 12. Nov. 1831, in *Marsorum*, ad 14.

MINISTRI DE MITRA ET DE BACULO.	ACOLYTHI CEROFERARII.	THURIFERARIUS.	GERENS GREMIALE ET CAETERI.
Episcopus imponit mitram ad lotionem manuum, post Communionem, ut det benedictionem, et discedendo ab Altari; sumit baculum post *omnipotens Deus* in benedicendo, et postea dum recedit ab Altari.	*Vide Missam solemnem.*		

eo profunde inclinatus, petet benedictionem, et indulgentias[1] et sic paratus ascendit pulpitum, sive ambonem, et faciet sermonem; ac deinde finita per Diaconum Confessione, in eodem loco publicabit indulgentias in forma, prout suo loco dicitur; Episcopus vero legit absolutionem et dat benedictionem.

2. Dum Episcopus assistit Missae in sua cathedrali indutus rochetto et mozetta, sedere debet in stallo chori, ubi incensatur ad Offertorium, non vero post Evangelium aut ad Introitum, et ad Celebrantem spectat benedicere aquam, incensum, Diaconum et Subdiaconum, ac in fine populum (S. C.).

Si intersit Missae indutus cappa, observentur explicata in Missis coram Episcopo in ecclesiis suae dioecesis. Duo Canonici ministrant Episcopo ut Diaconi, et unus ut Presbyter assistens; hic porrigit incensum benedicendum et thurificat Episcopum ad Offertorium (Diaconus enim tum remanet ad Altare), nam post Evangelium Celebrans incensatur. In his casibus Episcopus non utitur neque baculo, neque mitra, sed tantum libro et candela.[2]

Si vero Episcopus assistere intendat pontificalibus indutus, praeter supra dictos in habitu chorali assistentes, et ministros, habebit acolythos de mitra et de baculo. Inductur, ut in Vesperis solemnibus, nempe amictu, alba, cingulo, cruce pectorali, stola et pluviali.

---

[1] Quae benedictio a solo Episcopo loci Ordinario petitur, licet Celebrans jure pontificalium gaudeat (S. C.).

[2] Episcopus Missae assistens, inter Consecrationem et Communionem, mitram deponat, si pluviali induitur, et birretum, si cappam aut mozettam defert; sed pileolum tenere potest. 14. Junii 1845, in *Oppiden.*

Benedicens Episcopus cum reliquia deponat mitram, imo pileolum, si sit reliquia ss. crucis.

3. Ingressus fit ut in Missa pontificali, dum non habetur secretarium (§. 3, Nr. 10), et deferuntur paramenta pontificalia ad sedem episcopalem. Episcopus descendit e sede sua cum baculo et mitra, medius inter Diaconos elevantes fimbrias anteriores pluvialis; et dum transit ante Celebrantem et ministros ipsum expectantes, hi Episcopum respective salutant inclinatione et genuflexione. Episcopus, depositis baculo, et mitra, factaque Altari reverentia, incipit Missam.[1] Reassumit baculum et mitram, ut redeat ad sedem suam; cum ad illam advenerit, tradito baculo, sedet, et Presbyter assistens, qui e loco suo accessit, porrigit Episcopo naviculam incensi. Thurificatis Altari et Celebrante, thuriferarius revertitur cum thuribulo, quod tradit Presbytero assistenti; hic descendit, et thurificat triplici ictu Episcopum cum mitra surgentem. Quo facto, Episcopus sedet, deponit mitram, surgit, et dicit *Kyrie* cum Canonicis in circulo. Eodem modo dicit *Gloria,* postquam Celebrans illud intonaverit. Tumque sedens, vel post *Kyrie* reassumit mitram, quam deponit ad Orationes. Post cantatam Epistolam legit illam, et quae sequuntur usque ad Evangelium. Dum cantatur Evangelium, tenet baculum inter manus junctas illumque postea deponit. Dicit *Credo* post intonationem, cum Canonicis in circulo, deinde reassumit mitram. Ad *Dominus vobiscum* Offertorii, et per Praefationem, stat capite aperto. Presbyter assistens redit ad locum suum in choro. Dicto *Sanctus,* Episcopus, sumptis baculo et mitra, genuflectit in genuflexorio ante Altare delatum, deposita mitra, quam reassumit elevatione finita, et facta genuflexione, redit ad sedem, ubi depositis baculo et mitra, stat capite aperto usque post Communionem. Presbyter assistens accipit pacem a Celebrante, illamque defert ad Episcopum, qui illam dat duobus assistentibus. Communione finita, Episcopus sedet et se cooperit, postea se discooperit et surgit ad Postcommunionem. Episcopus dat benedictionem, uti dictum est in Missa pontificali, et finita Missa, deponit indumenta, et reducitur ad palatium a Canonicis.

[1] Presbyteri assistentis supra, sect. III., officium explicatum fuit; ast in casu ipse naviculam offert, ac thurificat Episcopum.

4. Si habendus sit sermo, concionator potest induere habitum canonicalem, licet non sit Canonicus (S. C.) et se cooperire tempore concionis. Concione finita, Diaconus, ante infimum Altaris gradum cantat *Confiteor*, omnibus stantibus. Deinde concionator, qui erat genuflexus, surgit et annuntiat indulgentias; interim Episcopus sedet; tum surgit et dat benedictionem.

5. In Missa solemni, quae non ab Episcopo, sed coram eo celebratur, quater circuli fiunt a Canonicis: 1° cum Episcopus stans in sua sede legit Introitum, et dicit *Kyrie eleison* etc. et successive Hymnum angelicum *Gloria in excelsis Deo* etc.; 2° ad *Symbolum*, 3° ad *Sanctus*, 4° ad *Agnus Dei*. In Missis vero defunctorum circuli non fiunt, nec feria sexta in Parasceve, nec praesente alio Praelato superiore. Porro Canonici opportuno tempore discedentes a suis sedibus, procedunt ad medium chori, factis Altari et Episcopo reverentiis, et se sistunt in circulum ante Episcopi faciem, quod diversimode fit pro diversitate situationis Altaris et sedis episcopalis. Si enim Altare adhaereat parieti, et sedes episcopalis sit in latere Evangelii, incipient procedere juniores Canonici a sedili Diaconorum ita ut ultimus consistat, ante faciem Episcopi, quos gradatim alii sequuntur, perficiendo circulum; et dignior Canonicus, sive Dignitas, modicum a suo sedili digressus, stat ad dexteram Episcopi. Si vero Altare erit sub tribuna, et sedes episcopalis, ex opposito Altaris, tunc Canonici venientes ad circulum, procedunt simul ab utraque parte, non perficientes circulum, ne terga vertant Altari, sed facientes hinc inde semicirculum. Antequam redeant ab Episcopo benedictionem accipiunt;[1] tum reverentiam Episcopo, ac Altari faciunt et antiquiores canonici primi discedunt.

6. Dum Episcopus celebrat in faldistorio, nulli adhibentur Diaconi assistentes, sed Diaconus et Subdiaconus horum officium praestant, imponendo et auferendo mitram, chirothecas etc. Episcopo in sacristia caligas et sandalia calceante, adjuvantibus ejus familiaribus, omnes ministri induunt paramenta et accedunt

[1] Manu Episcopus Canonicos benedicit quoties ad sedem ascendit, aut ab ea descendit, item post circulos, et cum capitulariter obsequium ipsi praestant (S. C.).

ad loca sua, prope Altare. Diaconus stat a dextris faldistorii, Subdiaconus autem a sinistris, ambo ad populum conversi, et faciunt reverentiam Praelato advenienti, associante Presbytero assistente et Caeremoniario. Vestiunt postea Episcopum, ut dictum est; sed Episcopus, extra dioecesim suam, non utitur baculo, nisi ad hoc licentiam habeat, vel nisi caeremoniale id expresse requirat. Ascendit ad Altare, stantibus a dextris ejus Presbytero assistente, a sinistris vero, Diacono et Subdiacono. Sicque stant sub Confessione. Ad *Aufer a nobis*, Diaconus ascendit ad latus dextrum Celebrantis, Presbyter autem assistens ad librum. Si Diaconus impediatur, Caeremoniarius imponit mitram. Dum Episcopus sedet super faldistorio, Presbyter assistens, qui debet esse proximior Episcopo, Diaconusque ac Subdiaconus omnes sedent in eadem parte. Hi omnes ministri, si non sint Canonici, debent genuflectere ad crucem Altaris. Dum Episcopus legit vel cantat, acolythus tenet librum, Presbyter vero assistens candelam. Diaconus non osculatur manum Episcopi ante *Munda cor meum*, sed tenet naviculam incensi benedicendi. Thurificat Episcopum de loco, ubi cantavit Evangelium. Episcopus dat pacem Presbytero assistenti, qui illam dat Diacono, et hic Subdiacono. Quo facto, Diaconus ascendit ad dextram Episcopi, habens a latere suo Subdiaconum, et Presbyter assistens se sistit ad librum. Episcopus legit Evangelium sancti Joannis, capite aperto, et in loco solito. Deinde reversus ad faldistorium exuitur indumentis.

Caput secundum.

De Vesperis et aliis functionibus.

§. I. Caeremoniae servandae in Vesperis pontificalibus.

1. Omnibus paratis, Episcopus procedit ad ecclesiam eodem ordine quo pro Missa solemni, et facta Oratione ss. Sacramento, flectit utroque genu ante Altare majus, orans dum ministri paramentis se induunt. Episcopus ascendit ad sedem suam, prius Altari et choro reverentia facta, et eodem tempore accedunt Presbyter assistens, ac Diaconi assistentes cum caeteris Clericis

vel acolythis. Subdiaconus intonaturus Antiphonas induet tunicellam ut in Missa, et stabit ad cornu Epistolae, prope scabellum ipsi praeparatum; duo cantores, superpelliceis induti, in medio chori incipient Psalmos.

2. Canonici sument paramenta ut in Missa pontificali; Subdiaconus Missae stat ordine suo in choro. Presbyter ac Diaconi assistentes peragunt easdem suas functiones apud Episcopum.[1] Praelatus in sua sede induit paramenta eadem, quae in Missa, cui assistit solemniter. Idem numerus ministrorum inferiorum adhibetur.

3. Episcopus sic paratus paŭlulum sedet, tum surgit, deposita mitra, surgentibus omnibus; versus ad Altare dicit secreto *Pater noster* etc. et *Ave Maria* etc. integre: et tenens sinistram manum infra pectus, dextera aperta facit sibi crucis signum a fronte ad pectus, cantans intelligibili voce *Deus in adjutorium meum intende.* Et pro unoquoque verbo tangit manu, primo frontem, deinde pectus, mox humerum sinistrum, ultimo dexterum, et in fine jungit manus ante pectus. Cum chorus cantat Versiculum *Gloria Patri* etc. Episcopus et omnes caput inclinant versus crucem super Altari, usque ad Versiculum *Sicut erat* etc. Interim Caeremoniarius ducit Subdiaconum, vel alium, ad quem de ecclesiae consuetudine spectat, intimare Antiphonas in habitu, in quo reperitur,[2] ante Episcopum factis debitis reverentiis Altari et Episcopo; cui, dicto per chorum Versiculo *Sicut erat* etc. et *Alleluja* vel *Laus tibi, Domine* etc., Subdiaconus praeintonat primam Antiphonam; et donec per Episcopum non fuerit praeintonatio repetita, Caeremoniarius et Subdiaconus praeintonator expectant, ibidem stantes: ea autem repetita intelligibili voce, sive ex libro, sive memoriter, prout magis Episcopo placuerit, factis iterum debitis reverentiis Episcopo et Altari, ad sua loca redeunt. Episcopus vero sic perstat, donec expleta per chorum Antiphona, inceptus fuerit Psalmus.

4. Episcopus tunc sedet, accepta mitra leviori, si placeat,

---

[1] In primis Vesperis, Episcopo in crastinum non celebraturo Presbyter assistens est primus Canonicorum Presbyterorum post Dignitates. 12. Sept. 1857, in *Molinen*, ad 25.

[2] Quia, ut dictum est num. 2. Canonici sumpserunt sacra paramenta, alii pluvialia aut planetas, alii dalmaticas aut tunicellas.

et omnes pariter sedent, exceptis acolythis de libro et de candela, tenentibus primo genuflexo librum, secundo vero candelam accensam prope Episcopum. Thuriferarii et ceroferarii sedent apud Altare, in cornu Evangelii. Ad *Gloria Patri* cujusque Psalmi, Episcopus cum mitra, et omnes alii, detectis capitibus, sedentes, vel, prout reperiuntur, se inclinant profunde usque ad *Sicut erat*. Reliquae quatuor Antiphonae per eumdem Subdiaconum, seu alterum, ad quem spectat, praeintonari debent, hoc ordine, videlicet, secunda Diacono assistenti a dextris Episcopi; tertia Presbytero assistenti; quarta primo Canonico in choro manenti, sive ille sit Archidiaconus, sive Archipresbyter, sive Presbyter; quinta Diacono assistenti a sinistris Episcopi; et ille faciet prius et postea mediocrem inclinationem, non omissa Altari et Episcopo debita reverentia.

5. Episcopo stante, omnes surgunt tam Assistentes quam Canonici et omnes de choro. Uno ex assistentibus surgente, cui praeintonatur Antiphona, caeteri assistentes ministrique, qui sunt apud Episcopum, stare debent, sed non chorus; surgente autem Dignitate quadam vel Canonico, cui praeintonatur Antiphona, aut cum incensatur etc., omnes Canonici et Clerici in choro praesentes surgunt, non autem assistentes Episcopi. Attamen in quibusdam locis, usus habet quod tantum Canonici in choro a latere, ubi reperitur ille, cui Antiphona praeintonatur, surgant.

6. Expleta Psalmorum et Antiphonarum decantatione, ducitur per Caeremoniarium idem Subdiaconus, seu alius, cui ex consuetudine ecclesiarum, Capitulum cantare convenit, in habitu, in quo reperitur, factis debitis reverentiis, ad locum, ubi decantari solet Epistola in Missa, qui tenens, si lubet, librum, cantabit Capitulum alta, et aequali voce, ad quod Episcopus cum mitra, reliqui omnes, detecto capite, surgunt, facie ad Altare versa. Responso per cantores *Deo gratias,* ducitur per Caeremoniarium aliquis Canonicus, seu alius, ad quem de ecclesia consuetudine spectat, qui praeintonat Episcopo, cum mitra stanti, Hymnum, et Episcopus statim, deposita mitra, praeintonationem Hymni repetit, quem chorus prosequitur in cantu plano, vel musicali, prout magis placuerit;

dummodo verba distincte intelligantur; sub Hymno Episcopus et omnes de choro stant, capite aperto. Si vero fuerint Hymni *Veni Creator Spiritus* aut *Ave maris stella,* dum Episcopus intonat, omnes genuflectunt, et statim ipse quoque Episcopus ibi in suo genuflexorio ante Altare, si adest, genuflectit; sin minus in sua ipsa sede super aliquo pulvino, ad id parato, permanens in genuflexione usque ad finem primi versus. Quo finito, surgit, surgentibus omnibus, et stat, quousque perficiatur Hymnus cum Versiculo et Responsorio.

7. Tunc per Caeremoniarium ducitur idem Subdiaconus, seu alter, qui prius Antiphonas Psalmorum praeintonavit, cum eisdem reverentiis ante Episcopum, cui stanti adhuc sine mitra praeintonat Antiphonam Cantici *Magnificat.* Qua repetita, Episcopus sedet, et accipit mitram pretiosam, et pariter omnes sedent. Et dum cantatur per chorum Antiphona, imponit thus in thuribulum, per acolythum thuriferarium allatum, Presbytero assistente naviculam thuris porrigente. Interim duo acolythi praecedunt ad Altare, elevantes hinc inde anteriorem partem superioris tobaleae,[1] seu veli, super Altare positi, illamque conduplicant usque ad medium. Cum vero chorus incipit Canticum *Magnificat,* surgit Episcopus cum mitra, omnibus surgentibus, et facto sibi crucis signo a fronte ad pectus, acceptoque sinistra manu baculo pastorali, medius inter Diaconos assistentes, pluviale hinc inde elevantes, pergit ad Altare, ante cujus infimum gradum, depositis baculo, et mitra, et facta cruci, super Altari positae, reverentia, ascendit ante medium ipsius Altaris, et eo osculato, capit de manu Presbyteri assistentis thuribulum, quod ipse assistens de manu thuriferarii acceperat, et thurificat crucem, et Altare, Diaconis assistentibus fimbrias pluvialis elevantibus. Quae thurificatio Altaris fit ut ad Introitum Missae, cum hoc tamen discrimine quod ad suam sedem Episcopus thurificatur, a Presbytero assistente tunc stante infra infimum gradum ipsius sedis.

8. Ipse Episcopus, postquam thurificatus fuerit, mitra deposita, retento tamen baculo inter manus junctas, stat

[1] Nempe tapeti, quo pradella altaris cooperitur. Peracta incensatione, tapetum extendunt ut prius.

usque ad finem Cantici et Versiculum *Sicut erat* etc. Interim per Subdiaconum, seu alium, qui Antiphonas praeintonavit, thurificatur duplici ictu primo Presbyter assistens, deinde Diaconi assistentes, mox Canonici et alii, ordine suo. Animadvertendum est, debitas reverentias faciendas esse ante et post incensationem singulorum. Quod si interim cantaretur *Gloria Patri,* consistit conversus ad Altare, et *Gloria Patri* finito, pergit thurificare, et perficere debet omnino ad *Dominus vobiscum;* nam si expleto Cantico Episcopus inciperet Versiculum *Dominus vobiscum* pro Oratione dicenda, deberet cessare a thurificatione. Curandum tamen est, ut cantus *Magnificat* ita protrahatur, ut et thurificatio simul terminetur. Cum per chorum repetitur Antiphona Cantici, Episcopus deponit baculum, sedet, et recipit mitram.

9. Interim Caeremoniarius, medius inter duos acolythos ceroferarios, eos cum debitis reverentiis ducit ante Episcopum, qui finita Antiphona, et organo silente, deposita mitra, surgit, et stans versus Altare, ex libro, sibi per assistentem porrecto, cantat Versiculum *Dominus vobiscum,* deinde *Oremus* et mox Orationem competentem, manibus junctis, omnibus iterum stantibus. Qua finita, dum repetit *Dominus vobiscum,* Caeremoniarius cum ceroferariis, factis debitis reverentiis, discedunt, et redeunt ad Altare, et in suo loco reponunt candelabra. Dicto per chorum *Benedicamus Domino* a duobus cantoribus, qui, secundum locorum consuetudines, induti erunt pluvialibus, vel cotta, dum respondetur per eundem chorum, sive per organum *Deo gratias,* Episcopus, reassumpta mitra, stans in sua sede, si inde a populo commode videri potest, sin minus accepto baculo pastorali, accedit ad Altare, et facta ibidem profunda reverentia cum mitra, benedictionem dat dicens *Sit nomen Domini benedictum,* juxta formam supra traditam. Deinde Episcopus, exutus indumentis pontificalibus, redit comitantibus Canonicis.

10. In Vesperis minus solemnibus, quatuor sexve Canonici induunt pluvialia, caeteri vero, uti Presbyter ac Diaconi assistentes, sunt in habitu chorali. Episcopus intonat primam Antiphonam, et etiam Antiphonam Cantici *Magnificat,* quae

praeintonatur a cantore, pariterque a cantore cantatur Capitulum.

§. II. De Missa pontificali pro defunctis.

1. Si velit Episcopus celebrare die anniversaria omnium defunctorum, vel alias quandocumque pro defunctis, haec praeparentur, et fiant; videlicet, Altare nullo ornatu festivo, sed simpliciter, et nullis imaginibus, sed sola cruce, et sex candelabris paretur, et duo super credentia cum candelis ex cera communi; super ea nulla ornamenta ponantur, sed tantum, quae sunt necessaria; videlicet, bacile, et bucale[1] simplex, Missale, vas aquae benedictae cum aspersorio, thuribulum cum navicula, item pannus niger, extendendus pro absolutione facienda, finita Missa, nisi adesset lectus, seu lectica mortuorum, aut castrum doloris; gradus Altaris, et totum presbyterium sit nudum, excepto, quod unus tapes sub faldistorio, et alius super primo gradu suppedanei ponetur; omnia paramenta, tam Altaris,[2] quam Celebrantis, et ministrorum, librorum, et faldistorii sint nigra, et in his nullae imagines mortuorum, vel cruces albae ponantur. Canonici parentur paramentis sacris, prout in aliis Missis, celebrante Episcopo.

2. Episcopus ipse in hac Missa non utatur sandaliis, et chirothecis, nec baculo pastorali: non dicet Antiphonam *Ne reminiscaris,* nec leget Psalmum *Quam dilecta* etc., nec Orationes, quae in aliis Missis dicendae sunt, antequam induatur, sed dicet tantummodo Orationes pro paramentis, incipiendo ab ea *Exue me Domine* etc., et lavabit manus, ac parabitur, dicendo ad aquam, et indumenta, consuetas Orationes, exceptis quae dicuntur pro sandaliis et chirothecis. Episcopus induitur paramentis, more solito, tamen omittuntur oscula consueta, accipitque manipulum ante crucem pastoralem. Diaconi assistentes adhibentur, ac Canonici induant Paramenta prout in aliis Missis (S. C.).

3. Cum Episcopus accedit ad Altare, finita confessione,

[1] *Bucale,* Baucalis, Baucus, et Bauca, est vas quo aqua ad lovandus manus versatus. Macri, *Hierolexicon.*

[2] Excepto conopaeo tabernaculi ss. Sacramenti, quod debet esse non nigri, sed violacei coloris.

non osculabitur librum, sed Altare tantum, et statim redit ad sedem suam; nec Altare, nec ipse thurificabitur, sed apud sedem versus Altare legit Introitum. Ministri aliquid dantes, vel ministrantes Episcopo in tota Missa, numquam ejus manum, aut rem osculentur. Quando dicuntur Orationes, tam ante Epistolam, quam post Communionem, omnes genuflectunt, praeter Episcopum et ministros; videlicet, Diaconum, et Subdiaconum, ac assistentes. Epistola et Evangelium non legantur in ambone, sed in presbyterio in loco convenienti. Subdiaconus, cantata Epistola, non osculatur manum Episcopi. Si distribuendae sunt candelae, tunc post Epistolam, dum cantatur Prosa, id est, Sequentia, distribuantur, quae accendantur ad Evangelium, ad elevationem ss. Sacramenti, ac finita Missa, dum fit absolutio. Finito Evangelio, Episcopus non osculatur librum, sed statim dicet *Dominus vobiscum* et *Oremus* pro Offertorio: deinde lavabit manus more solito, et ad Altare accedet: non benedicet aquam ponendam in calicem pro oblatione; nec Subdiaconus sustinebit patenam: imponet tamen post Offertorium Episcopus thus in thuribulum more solito, cum benedictione *Per intercessionem* etc. et thurificabit oblata et Altare, et demum ipse solus, accepta mitra, thurificabitur a Diacono. Cum Subdiaconus non sustinet patenam, ad *Sanctus* ascendit ad latus Episcopi, et ad elevationem, imposito per aliquem acolythum thure in thuribulum, thurificabit ss. Sacramentum, genuflexus in cornu Epistolae. Non datur pax, nec percutitur pectus ad *Agnus Dei*. In fine Missae non datur per Celebrantem benedictio, nec publicantur indulgentiae, sed Diaconus dicat *Requiescant in pace* versus Altare; et Episcopus, dicto in Altari *Placeat tibi, sancta Trinitas* etc. incipiet more solito, Evangelium S. Joannis, quod prosequitur mitratus, redeundo ad sedem suam; et ibidem deposita planeta, ac etiam, cum manipulo, dalmatica, et tunicella, capiet pluviale nigrum, Diacono et Subdiacono paratis remanentibus, qui tamen manipulos deponunt.

4. Absolutio fieri potest apud sedem episcopalem, vel apud Altare, vel ad lectum mortuorum, seu castrum doloris. In duobus primis casibus, extenditur pannus niger ante infimum gra-

dum sedis altarisve, Episcopo sedente dum cantatur *Libera me.* Ad *Kyrie* surgit, et dum dicitur *Pater,* aspergit et thurificat triplici ictu pannum ante se extensum. Ast si lectus mortuorum seu castrum doloris collocetur in ecclesia, ad illud proceditur ordine in Rituali Romano indicato, observatis omnibus ejusdem Ritualis praescriptis, Episcopus tamen se cooperit et sedet dum cantatur *Libera me.* In absolutione quae fit, absente corpore, faldistorium Episcopi locari debet ad caput tumuli (S. C.).

§. III. De ritibus et caeremoniis observandis in quibusdam festis.

1. In nocte Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, celebraturo primam Missam Episcopo, praeintonatur Hymnus *Jesu Redemptor omnium,* quem, dum Episcopus repetit, elevat et jungit manus, caput versus Altare inclinans, ob reverentiam divinae Incarnationis. Antiphonae praeintonantur, et Lectiones VII. et VIII. cantantur ab assistentibus Episcopo (S. C.). In tertio Nocturno, cum dicitur a choro Psalmus *Misericordias Domini* etc., si Episcopus est primam Missam celebraturus, duo ex suis scutiferis, clericali habitu induti, sine cottis, subeuntes fimbrias cappae episcopalis, imponent illi caligas et sandalia, sublevantibus fimbrias in gyrum capellanis, seu acolythis, cottis superindutis, ac genuflexis. Interim accedunt duo Canonici assistentes ad Episcopum, nec non duo capellani, alter de libro, alter de candela serviens, ac librum apertum ante Episcopum sustinent, ex quo ipse Episcopus legit Antiphonam *Ne reminiscaris Domine* etc., et Psalmum *Quam dilecta* etc. cum caeteris Psalmis, Versiculis et Orationibus. Quibus per Episcopum lectis, duo illi Canonici assistentes ac alii ministri recedunt ad induenda paramenta sacra. Cantata nona Lectione per Episcopum, ad quem iterum duo assistentes Diaconi in suo habitu chorali debent accedere, et Hymno *Te Deum laudamus* etc. per eum inchoato, descendit paululum e sede, ut induat amictum, albam, stolam, ac pluviale; denuo sedem ascendit, cantat Orationem, tumque induitur ab eisdem assistentibus paramentis missalibus. Cum autem in Missa cantatur a choro Versiculus

Symboli *Et incarnatus est* etc., Episcopus cum mitra genuflectit ad terram super cussino apud sedem suam praeparato, vel super genuflexorio in medio presbyterii.

2. In festo Purificationis Beatae Mariae Virginis, pauca, neque in Missali, nec in Pontificali Romano declarata, recensenda veniunt. Praeparanda igitur in primis erit candelarum cerae albae ea copia, quae sufficiens videbitur, pro ecclesiae qualitate, ac Canonicorum, aliorumque de gremio ecclesiae numero, nec non et pro laicis, quibus juxta consuetudinem ecclesiae distribui solent. Quae collocari poterunt super aliqua mensa inter Altare et sedem episcopalem, ita ut Episcopus in sua sede stans, indutus amictu, alba, stola, ac pluviali, sine mitra, illas possit aspergere et benedicere. Benedictione candelarum peracta, Episcopus sedet cum mitra, et dignior Canonicus paratus, accipit de manu sacristae, sive Caeremoniarii, candelam pulchre ornatam, et cum debita reverentia illam osculatam dat in manu Episcopi, quam pariter osculatur; Episcopus vero illam tradit alicui ex suis capellanis tenendam prope Altare. Si esset Cardinalis, tres candelas acciperet solamque suam oscularetur, quae est tertia. Tum elevatis hinc inde fimbriis Episcopi per Diaconos assistentes, ponitur super ejus gremio per duos capellanos mappa, et statim per capellanos, sive acolythos capiuntur de mensa, sive de manu camerarii, aut sacristae, aut alterius ad eam curam deputati, candelae grandiores pro Canonicis, et porriguntur ad manus Diaconi assistentis ad sinistram Episcopi, qui illas continuo ministrat Episcopo, eodemque tempore dignior ille Canonicus, pluviali indutus, facit reverentiam, primo Altari, deinde Episcopo, accedit ad eum, et accipit ab eo candelam, osculando illam et manum Episcopi reverenter; et tunc cantores incipiunt cantare Antiphonam *Lumen ad revelationem gentium* etc. Similiter, et alii Canonici parati ordine suo, accipiunt candelas: post eos magistratus et officiales majores civitatis, deinde alii Presbyterii, acolythi, et clerici de gremio ecclesiae, et capellani Episcopi, cottis indutj: demum alii nobiles civitatis, nisi adesset laudabilis consuetudo, ut clerici omnes tam parati, quam cum cottis,

acciperent candelas ante laicos, quae servanda esset, et familiares ipsius Episcopi, et alii de populo, quibus et quot Episcopo placuerit dare; non tamen mulieribus, quae a seniore dignitate, vel Canonico cum cotta, et stola parato, seorsum illos accipiunt. Canonici autem parati non genuflectunt Episcopo, quando capiunt candelas, sed tantum profunde se inclinant: alii vero ecclesiastici cum cottis, et laici genuflexi capiunt, et manum Episcopi cum candela osculantur. Finita distributione, Episcopus, portante lances nobili, seu scutifero, lavat manus more solito, prout supra de Missa dictum fuit. Interim accenditur candela Episcopi et pariter omnium aliorum maxime de Clero, nisi a principio fuissent accensae, et ordinatur per Caeremoniarium processio circumcirca ecclesiam, vel alias juxta ritum ecclesiarum. Episcopus cum mitra, medius inter duos Diaconos assistentes paratos, pluvialis latera elevantes, omnesque suas candelas accensas, manibus propriis deferentes procedunt; Episcopus suam candelam sinistra gerit, et dextera benedicit populo. Quod si erit Archiepiscopus, crux portabitur ante Canonicos; si vero erit Cardinalis, duo scutiferi deferunt manu extera duas alias candelas, a lateribus Diaconorum assistentium, vel paululum ante eosdem, si locus sit nimis angustus. Ad Evangelium, et ab elevatione usque post Communionem, Episcopus et omnes de choro tenent manibus candelas accensas.

3. In feria quarta Cinerum, Celebrans cum Diacono et Subdiacono, induti suis paramentis, sedent in scamno exspectantes Episcopum, cui advenienti debitam faciunt reverentiam. Cum Episcopus ascenderit ad sedem, adest Subdiaconus, deferens vas cum cineribus, genuflexus, vel si sit Canonicus, stans a dexteris Episcopi, ibique remanet usque ad finem distributionis cinerum. Non dignior Sacerdos de choro, sed Celebrans imponat cineres Episcopo, ab eoque postea recipiat primo loco; mox Praelatis et Canonicis, qui omnes in habitu canonicali, capite inclinato, stantes, a Celebrante cineres accipient: caeteri autem omnes genuflexi. Observandum est, quod in hac Missa, quae est ferialis, Episcopus debeat genuflectere super genuflexorio in plano parato, dum cantantur Orationes, *Adjuva nos,*

et a Canone usque ad *Pax Domini* exclusive. Totus chorus similiter genuflectit, et dum cantatur *Adjuva,* Celebrans ministrique genuflectunt, in angulo Altaris in cornu Epistolae.

4. Benedictio palmarum fit eodem modo, quo benedictio candelarum. Cum Subdiaconus in Epistola pronuntiabit verba illa *ut in nomine Jesu omne genu flectatur,* Episcopus usque terram genuflectit, et permanet genuflexus usque ad illa verba *et inferorum* inclusive. Tres Diaconi, qui Passionem sunt cantaturi, dum cantatur Tractus, factis Episcopo et Altari debitis reverentiis, osculantur manum Episcopi, absque tamen benedictione, et accedunt ad pulpita sua. Cum Passio inchoatur, Episcopus et alii, detecto capite, tenent palmas manibus, et omnes surgunt, sic palmas tenentes manibus usque ad finem Passionis, in qua, dum recitatur *Jesus autem exclamans voce magna emisit spiritum,* Episcopus in sua sede, et omnes in suis locis genuflectunt, etiam ipsi cantores et capellani. Ad elevationem solus Episcopus tenet palmam: caetera fiunt ut in aliis Missis.

5. Officia majoris hebdomadae tam diffuse Caeremoniale Episcoporum explicat, ut inutiliter de iis tractaremus. Attamen observandum est, juxta diversa decreta sacrorum rituum Congregationis, (A) in Dominica Palmarum, Episcopum, illas benedicentem non celebrata Missa, non debere legere neque Epistolam, neque Evangelium, et in distributione palmarum, Celebrantem ministrosque sedere; (B) in feria quinta in Coena Domini, Canonicos debere communicare de manu Episcopi, et perficere, si opus fuerit, numerum assistentium requisitorum pro benedicendis sacris oleis, Presbyterosque, Diaconos et Subdiaconos, sacris paramentis indutos, primo loco communicare; (C) in feria sexta Parasceves, Canonicos debere, alias absentes reputantur, adesse adorationi crucis, duasque dignitates, seu Diaconos, qui assistunt Episcopo non officianti, debere comitari Praelatum ad adorationem crucis, genuflectere et reverti una cum illo, posteaque ordine suo procedere ad eamdem crucis adorationem. (D) In sabbato, Episcopum, si voluerit conferre Ordines in suo oratorio, debere incipere Missam a Prophetiis.

6. Absolutiones solemnes, quae fiunt ab Episcopo, adju-

vantibus quatuor Praelatis, vel quatuor primis Canonicis aut Dignitatibus ecclesiae, late explicat Pontificale Romanum. Ducimus ergo prorsus inutile, ut de illis loquamur. Attamen animadvertendum est, has absolutiones, quatuor vel quinque, solummodo fieri in exsequiis immediate factis post decessum e vita Praelati vel Principis pro quo celebrantur, nam in anniversariis, tantum una absolutio fit ut in Rituali.

§. IV. De visitatione pontificali.[1]

1. Etsi Pontificale Romanum supponat, Episcopum semper recipi solemniter, Caeremoniale nihilominus distinguit primum accessum seu introitum Episcopi ab aliis sequentibus. Primus accessus fit solemniter, alii vero accessus minus solemniter fieri solent.

2. Super Altare majus accenduntur sex candelae, ante vero praeparatur genuflexorium cum cussinis, et in cornu Evangelii suggestus elevatus aliquorum graduum cum faldistorio. Ad portam ecclesiae disponatur vas cum aspersio, thuribulumque cum navicula incensi; ad portam vero civitatis paretur baldachinum, extendaturque tapes cussino suppositus, et si placuerit, a latere collocetur sedes, super quam Episcopus aliquantum sedere possit.[2]

3. Clerus in ecclesia parochiali congregatus ritu processionali procedit ad portam civitatis. Omnes de Clero superpelliceis induuntur, prima dignitas seu rector ecclesiae insuper defert pluviale sine stola (S. C.) ac parvam crucem manualem. Cum Episcopus, indutus rochetto et cappa, advenerit, genuflexus super cussino, osculatur crucem porrectam a Rectore seu Digniore ecclesiae, tumque, (ait dominus De Conny), Episcopus huic benedicit, et deinde Clero et populo genuflexis. Procedunt, primo loco confraternitates, deinde Clerus regularis, mox Clerus saecularis, incipiendo a tonsura et minoribus

---

[1] Haec hausimus ex opere *Della visita pastorale di Mons. Crispino Vescovo d'Amelia*, part. II, opere magistrali, rursus Romae anno 1844. edito.

[2] Nec in Caeremoniali nec in Pontificali habetur ritus visitationis faciendae per vicarium capitularem, sede vacante. Sed modus eam peragendi fuit per S. Rit. Congreg. descriptus, et postea a S. Pontifice approbatus. V. *Vicarius.*

ordinibus insignitis, finiendoque a Canonicis, seu aliis beneficiatis, ante quos defertur crux in medio acolythorum; postremo Pastor seu Dignior, de quo supra. Cantatur Antiphona *Sacerdos et Pontifex... sic placuisti Domino,* vel Responsorium *Ecce Sacerdos magnus,* et si longum iter obeundum sit, addatur *Benedictus, Te Deum, Veni Creator, Ave maris stella,* aut Hymnus s. Patroni.

4. Episcopus, indutus cappa et birreto episcopali, ultimo procedit sub baldachino a nobilioribus civitatis seu loci delato. Cum pervenerit ante portam ecclesiae, aperto capite, accipit a Rectore ecclesiae Digniorevе aquam benedictam, aspergit se ac assistentes, incipiendo a Dignioribus. Tum Episcopus pileolo coopertus, imponit incensum a Digniore ministratum in thuribulum, quod tenet Sacerdos superpelliceo indutus, ipseque Episcopus thurificabitur triplici ictu, non omissis osculis solitis, omnibusque praeter Canonicos genuflectentibus ante Episcopum.

5. Tunc continuo ritu processionali procedunt decantantes *Te Deum.* Cum autem Episcopus pervenerit ante Altare, genuflexus super genuflexorio ibi praeparato, vacat orationi. Interim Dignior seu Rector ecclesiae, indutus pluviali, capite detecto, stabit ad Altare, in angulo Epistolae, et versus ad Praelatum, dicet *Protector noster* cum caeteris Versiculis et Oratione, prout in Pontificali praescribitur. Quibus peractis, cantatur Versiculus Patroni, et Episcopus ascendit ad Altare, quod in medio, aut in cornu Epistolae osculatur, cantatque Orationem Patroni. Postea reversus ante medium Altare, dat benedictionem solemnem.

6. Si autem accessus Episcopi non fiat solemniter, praeparato ad portam ecclesiae tapete cum cussino, accedit Clerus exspectans Episcopum rochetto et mozetta indutum. Cum Episcopus pervenerit, genuflexus osculatur crucem a Rectore ecclesiae porrectam, acceptis, ut superius, aqua benedicta et incenso, tumque accedit ad Altare ibique genuflexus orat.

7. Si Episcopus visitet ecclesiam, paucis verbis de medio Altaris, sive post benedictionem, sive in Missa, scopum exponit visitationis hujus ecclesiae. Concione finita, Diaconus Missae, seu Rector ecclesiae, cantat *Confiteor,* Episcopus vero

cantat absolutionem generalem, et benedictionem, ac indulgentias annunciat.

8. Postea Episcopus, deposita mozetta, seu cappa, sumit amictum, stolam, ac pluviale violaceum, seu nigrum, mitram communem, et conversus ad populum, dicit Antiphonam *Si iniquitates*, et prosequitur Psalmum *De profundis* cum assistentibus. Psalmo expleto, Episcopus, deposita mitra, dicit *Kyrie eleison, Pater noster,* imponit incensum in thuribulum et aspergit, deinde ter thurificat pavimentum, sive pannum mortuorum ibi expansum. Post haec dicit Versiculos et Orationem *Deus, qui inter apostolicos.* Procedentibus ritu processionali ad coemeterium et decantantibus *Qui Lazarum,* Episcopus dicit *De profundis* submissa voce. Cum pervenerint ad coemeterium, chorus cantat *Libera me.* Quo finito, Episcopus recitat *Kyrie, Pater,* deinde aspergit et thurificat eo modo, quo prius in ecclesia. Absolutis Orationibus, cantores dicunt *Requiescant in pace,* tum Episcopus manu benedicit coemeterium, et accipit mitram pretiosam. Redeunt in ecclesiam concinentes Psalmum *Miserere,* quem Episcopus recitat alternatim cum capellanis aut assistentibus. Ad Altare deponit mitram, et ibidem stans atque ad Altare conversus recitat *Kyrie eleison, Pater noster* et Orationem *Absolve.*

Postea deposita stola et pluviali, visitat ecclesiam, nempe tabernaculum, baptisterium, altaria, capellas cum imaginibus, sacristiam et coemeterium, deinde domum Canonicorum, hospitalia, confraternitates et alia pia loca. Tandem poterit, ait Pontificale, Sacramentum Confirmationis conferre.

Rubricarum Missalis,

Breviarii et Ritualis Romani brevis explanatio.

Sectio prima.

De rubrica ejusque fontibus.

Notiones praeviae.

1. Scientia liturgica versatur non tantum circa ritus et caeremonias sacras, id est, externas cultus actiones, sed etiam circa regulas ab Ecclesia statutas, ut omnes ecclesiasticae functiones rite adimpleantur. De consuetudine agentes, ostendemus, quemnam sibi proposuerit scopum Ecclesia caeremonias earumque leges condendo, et stabiliemus, eas omni nostra veneratione et sollicitudine dignas esse.

2. Fons primarius, ex quo haurienda est haec scientia, procul dubio est rubrica, hoc est, regula in capite vel in decursu librorum liturgicorum a suprema auctoritate ecclesiastica, id est summo Pontifice, posita. Haec regula universo orbis catholici Clero imposita est, nullusque Sacerdos, nisi in statu abnormi versetur, eam ignorare valet, quam quippe in omnibus, quos manu terimus libris, reperimus. Ut s. Corpus juris, Bullarium et Concilia sunt fontes legum canonicarum, ita rubrica fons est rituum et caeremoniarum, regulasque in Missa celebranda et officio divino recitando servandas continet.

3. Exteriorem cultum catholicum cum homines multum commoveat, sitque religionis pars integralis et notabilis, non decuit cujusque ministri arbitrio relinqui, sed ubique eadem ratione ordinandus fuit, ut eluceret ecclesiae unitas tam in praxi quam in doctrina, simulque sacrae caeremoniae fierent magis simplices, nobiles, augustae.

Ecclesia igitur statuere debuit generales regulas, quibus rite celebrentur sacra mysteria, ministrentur Sacramenta etc. Quaerebatur olim, utrum hae regulae essent obligatoriae, an vero nudum caeremoniale, cui se conformare perfectius utique est, nullo autem modo praeceptum: huic quaesito respondet sensus communis, regulas liturgicas revera obligare; quorsum enim statuere regulas minime obligantes? Fatemur, in ordinibus religiosis constitutiones contineri nonnullas regulas simplicis consilii, quia harum scopus est ad perfectionem ducere minus per severitatem quam per amorem, et quia caeteroquin fundatoris intentiones adimplentur, quin ipse vel minimam peccati occasionem praebuerit, eo quod exemplo perfectiorum, et continua inspectione tardiores stimulentur, ut etiam res haud stricte imperatas adimpleant, eo securius quo minus concupiscentiae repugnant. *Nitimur in vetitum semper.*

At nemo sanus unquam contendet in ecclesia sacratissimas cultus actiones cujusque arbitrio relinqui, imo Sacerdotibus persaepe sejunctis a confratribus, et consilio necnon inspectione orbatis, licere cultum externum pro libitu ordinare: ex tali enim licentia necessario nasceretur caemoniarum sacrarum contemptus cultusque externi ruina.

Caeterum praefatam obligationem brevi stabiliemus pro unoquoque librorum liturgicorum.

4. Hoc errore dejecto, occurrimus opinioni sat communiter olim receptae, juxta quam rubricae sunt aliae praecepti, aliae consilii, praeceptivae scilicet vel directivae. Animadvertendum autem est, auctores his vocibus dedisse significationem diversam ab ea, quam ipsis tribuimus. Priores eae erant, quae obligationem gravem imponunt: tales sunt rubricae, quae ad sacrificii integritatem attinent, eae, quas jus sub gravi praescribit, vel quae graves sunt ex auctorum sententia. Rubricae

directivae vero erant, quarum violatio non est peccatum grave, praecisis circumstantiis peculiaribus. Audiatur Cavalieri: [1] „Quotiescunque enim omittantur sine rationabili causa, adhuc etsi tantum sint directivae, et ad consilium pertinentes et non ad praeceptum, peccatur saltem venialiter.“ Evidens est, ex hac notione vel sententia, nullam logice deduci posse probationem contra rubricarum obligationem; attamen opportunum nobis videtur, relicto hoc loquendi modo, vocibus tribuere veram significationem, quam ubique alibi prae se ferunt. Praeceptivas igitur vocabimus omnes rubricas obligantes, sive sub gravi sive sub levi; et directivas illas, quae nullam imponunt obligationem, quaeque ideo absque ulla culpa omitti possunt. Notemus praeterea cum Turrino, omissionem per se levem, fieri posse gravem ratione scandali vel contemptus: „et a contemptu nescio quomodo excusari possint istas caeremonias omittentes saepe saepius, imo immutantes, imo transferentes, et confundentes.“

Caput primum.

De libris liturgicis.

§. I. Missalis Romani rubricae.

1. Si Apostoli, omissis libris in celebratione sacrorum mysteriorum, ducebantur a Spiritu sancto inspirante, in Orationibus et gratiarum actionibus illico componendis, certum saltem est, teste s. Justino, ipsis defunctis, et fortasse etiam vivis, eorum scripta in coetu fidelium lecta fuisse: edicta Diocletiani, jubentis libros sacros requiri et uri, evidenter probant in unaquaque ecclesia libros usui fuisse fidelium, et pari cura servatos ac vasa sacra. Idem erui potest ex verbis ss. Ambrosii et Augustini. [2]

---

[1] *Oper. liturg.* tom. V. cap. 2. n. 2. — Quarti, *Rubr. Miss. Comment. illustratae, quaest. proem..*, sect. VI. p. 7.

[2] cf. Bocquillot, Bona, Martène, Grancolas, Selvaggio, etc.

Dubitari nequit, tales libros Romae fuisse. Editum et in usu erat Canon ante Gelasium Papam, qui tantummodo, juxta Anastasium, Praefationes et Orationes sive Collectas composuit. Ejus liber vocatus est *Codex Gelasianus*. S. Gregorius Magnus illum longiorem reputans, breviavit, immutationes et quaedam additamenta in eum introduxit, et ex duobus voluminibus fecit unum, cui nomen est *Sacramentarium s. Gregorii*. Ex eo tempore liturgia videtur fuisse constituta. Cum tamen populi oblationes, et plerorumque fidelium Missae assistentium Communio obsoleverint, Offertorium et Communio ad solam Antiphonam redacta sunt. Praeterea saeculo decimo, Missae additae sunt nonnullae preces, v. g. *Judica me, Confiteor, Offertorii orationes, Agnus Dei* sequentesque Orationes. Deerat porro uniformitas in minimis, sed post inventam artem typographicam, urgens et facile erat, illam restituere. Quocirca Concilium Tridentinum sapientissime summo Pontifici commendavit curam, pro omnibus ritus latini ecclesiis, Missale Romanum edendi.[1]

2. Sanctus Pius Papa V., duobus annis post Breviarii publicationem, novum suum Missale edidit, illudque in omnibus obligatorium reddidit. His porro verbis utitur sanctus Pontifex: „Quod (Missale) recognitum jam et castigatum, mature adhibita consideratione, ut ex hoc instituto coeptoque labore, fructus omnes percipiant, Romae quam primum imprimi, atque impressum edi mandavimus, *nempe ut Sacerdotes intelligant, quibus precibus uti, quos ritus quasve caeremonias in Missarum celebratione retinere posthac debeant.* Ut autem *a sacrosancta Romana Ecclesia* caeterarum ecclesiarum matre et magistra *tradita, ubique amplectantur omnes et observent,* ne in posterum perpetuis futuris temporibus, in omnibus christiani orbis... ecclesiis vel capellis, in quibus Missa conventualis alta voce in choro aut demissa celebrari, juxta Romanae Ecclesiae consuetum ritum consuevit, vel debet, *alias quam juxta Missalis a nobis editi formulam, decantetur aut recitetur.*“

[1] Constit. 106. Bullar. Luxemburg., tom. II. pag. 333.

„Ac huic Missali nostro nuper edito nihil unquam addendum, detrahendum, aut immutandum esse decernendo, hac nostra perpetuo valitura Constitutione statuimus et ordinamus. *Mandantes ac districte* omnibus et singulis... *in virtute sanctae obedientiae praecipientes*, ut... Missam juxta RITUM, MODUM ac NORMAM, quae per Missale hoc a Nobis nunc traditur, decantent ac legant, neque in Missae celebratione alias caeremonias vel preces, quam quae hoc Missali continentur, addere vel recitare praesumant."

3. Nihil clarius inveniri potest. Summus Pontifex Ecclesiae Romanae praescriptiones ubique observari, nihil addi, adimi vel immutari Missali jubet, transgressoribus, indignationem suam minans, et omnes Sacerdotes sequi ritum, modum et normam in Missali traditam praecipiens. Nullus ibi distinctioni datur locus: omnes Missalis rubricae, quaecumque tandem sint, praecipiuntur. Itaque auctores, qui vim Bullae obligatoriam rubricis intra Missam servandis restringere volebant, contra se habent ipsammet Missalis dispositionem. Quales enim rubricas et ritus intra Missam servandos vocabis? Num ex eis excipies rubricas ante Sacerdotis accessum ad Altare? At Missale manuum lotionem, indiculorum dispositionem annumerat inter *Ritus servandos in celebratione Missae*. Num rubricas generales excipies? Sed hae nonne sunt a fortiori obligatoriae? nonne sunt revera ipsae Missalis regulae, cum e contra illae, quae in posteriori parte continentur, sint tantum caeremoniales. Nihil igitur excipi potest, nisi res arbitrio Celebrantis relictae ab ipso Missali, v. g. *Dies irae* in Missis quotidianis defunctorum, electio Orationis *Ad libitum* etc. Quidquid non est evidenter simplicis consilii, est obligatorium et de praecepto.

Quodsi tamen s. rituum Congregatio contrariam consuetudinem approbat, vel cum graves auctores cum fundamento tenent, aliquid non esse rigorose praeceptum, videntur tales rubricae posse annumerari rubricis mere directivis.

4. Objectiones, quae opponi solent contra omnium Missalis rubricarum obligationem strictam, levissimae sunt; paucis verbis eas solvemus, non quod existimemus rem difficilem

vel magni momenti, sed ut clarius appareat vis ineluctabilis argumentorum, quae attulimus.

1° „Vix credibile est Sacerdotem peccare, eo quod omitteret indiculos Missalis praeparare, licet ea omissione rubricam transgrediatur.“ Haec est objectio a Collet proposita.[1] Verum si hoc praeceptum est, quidni peccaret Sacerdos illud omittens? cum peccatum a rei praescriptae gravitate sit metiendum. Caeterum cautio, quam tam parvi facit Collet, majoris est momenti, quam ipse putat. Saepe enim animadvertimus inconvenientia ex hujus cautionis omissione orta: Celebrantem scilicet nimio tempore ad praeparandum Missale in Altari morantem, vel Missam non congruam dicentem, aut etiam Missale ad sacristiam remittentem aliudque repetentem, mirantibus interea et scandalum patientibus fidelibus?[2]

„Sed, instabit et quis: sunt rubricae, quae neque significationem mysticam, neque rationem obviam habent, ex quo sequi videtur, eas nullum habere momentum, neque praecipi posse. Exempli gratia, cur brachium dextrum in albam immitti debet ante sinistrum? Cur, cum dicitur *Oramus te*, digiti minimi sunt contra medium Altare, caeteri vero super Altari?“

Respondemus 1°, cum res praecepta est, dici nequit nullius momenti, ex praecepto enim illi confertur momentum, etiamsi hoc careat per se ipsam. 2° Illi, qui asserit, non adesse rationem caeremoniis Missae, incumbit probare. Ad exempla autem objecta, respondemus vel cum G. M. aP. brachium dextrum alba prius indui, quia hoc est naturale; vel cum By. et Reverendissimo Vanderburch, quia Domini Nostri dextera prior crucifixa est, testibus s. Brigitta et Justo Lipsio. Alterum objectum faciliori negotio solvitur, cum s. Rituum Congregatio prohibeat post ipsam consecrationem ponere digitos minimos cum caeteris super Altari. Rubrica jubet

---

[1] *Traité des saints Mystères*, chap. 1. n. 7.

[2] In I. Concilio provinciali sapienter statuit s. Carolus Borromaeus: „Ut antequam ad Altare accedant, Missam perlegant; et singulas partes ita praeparatas et notatas habeant, ut Celebrantes neque errent neque haereant.“ Actor. Mediol., pag. 10.

Sacerdotis Altare tangi manibus junctis, jubet quoque solos extremos digitos in Altari reponi, sive ne contactus manuum sudore quandoque madentium corporale maculet, sive ne auferantur particulae in corporali forte relictae, potestne talis rubrica ejusque scopus nuga vocari? Adversarios non juvat, parvulos digitos contra et extra Altare poni: at possuntne jungi manus, juxta intentionem Missalis, quin ita disponantur digiti minimi? Quomodo non praescriberetur talis caeremonia, sine qua observari nequit rubrica principalis? Qui talia objicit, profecto de lege nimis clara queritur.[1]

2° Sacerdos non quotidie tenetur Missam celebrare, nec ideo dicere talem Missam, v. g. officio, duplicibus etc. congruentem. Ita Suaresius! Ex hac ratione, quam ipse Suaresius non habet ut irrefragabilem, sequeretur, si esset vera, ruina obligationis omnium Missae rubricarum, et maximorum abusuum introductio. Si celebrare non teneor, ergo, inferam, celebrare potero, recitationem Canonis omittens, unicam speciem consecrans etc.: tales sunt consequentiae objectionis positae. Sane potest quis non obligari ad actum, quem si tamen ponat, quibusdam conditionibus subjicitur: res evidentior est, quam ut ulteriores explicationes exigat.

3° Bulla *Quo primum* loquitur de solis rubricis per Missam servandis, unde sequi videtur, rubricam esse tantum directivam quoad res, quae Missam antecedunt vel sequuntur. Haec est opinio Quarti, Merati, s. Alphonsi etc. Ad haec respondemus, Pii V. bullam loqui de omnibus rubricis, quae ad Missae celebrationem attinent; hoc patet attente legenti textum supra allatum: nullam distinctionem facit s. Pontifex. Imo, mentem suam clare aperit, jubens celebrare, *juxta ritum, modum et normam, quae per Missale traditur,* ubi triplici voce nequaquam synonymas indigitat regulas per Missam servandas. Si vox *ritus* ipsas Missae caeremonias natura sua continet, vox *norma* de ipsis rubricis generalibus intelligitur, et ejus significationem contorqueret, qui eam aliter interpretaretur.

[1] Tom. III. de Sacram., part. 3. disp. 83. sect. 3.

Hanc nostram interpretationem confirmant verba immediate sequentia: *Neque... alias caeremonias vel preces... addere vel recitare praesumant.* Atqui in hoc posteriori membro, quod rem diversam exprimit, agitur de eo, quod intra Missam recitatur vel agitur; necesse igitur est, ut prius membrum, partim saltem, de rubricis generalibus intelligatur.

4° Tandem objicitur, bullam loqui de solis Sacerdotibus; unde consequitur, ministros non teneri Missalis rubricas servare. At, apprime respondet Turrinus:[1] quando superior talem fert legem, quae observari nequeat, nisi personae in ea non designatae illam observent, hae personae lege tenentur haud minus, ac si in illa mentio de ipsis facta fuisset. Alias lex esset actus imprudens et irrationabilis, quod in summo Pontifice admitti nequit. Porro, sanctus Pius Papa V. jubet Missam juxta Missalis regulas cantari, et ideo a Diacono et Subdiacono rubricas ibidem indicatas servari. Cum actus lege praescriptus sit, ut Missa juxta rubricas cantetur, omnes, qui ad illum actum concurrunt, tenentur, pro parte sua, conditiones lege positas adimplere. Sacerdos quidem primo loco tenebitur, sed obligatio ministris etiam incumbit, propter eorum concursum ad Missam.

5. Caeterum s. Rituum Congregatio Bullam juxta sententiam nostram semper interpretavit, et Urbanus VIII. approbavit et Missali praeposuit decretum, in quo renovatur stricta obligatio omnium Missalis rubricarum, nulla facta distinctione: „Renovando decreta alias facta, mandat sacra Congregatio *in omnibus et per omnia* servari rubricas Missalis Romani, non obstante quocumque praetextu, et contraria consuetudine, quam abusum esse declarat. Et facta relatione decreti S. D. N. Urbano VIII., Sanctitas Sua annuit et *ab omnibus ubique servari*, et in Missali Romano noviter imprimendo apponi *mandavit.*“

Merito igitur Benedictus XIII. hoc decretum tulit in concilio provinciali anno 1725. Romae habito:[2] „Mandamus, ut

[1] Director. sacrif. art. I. sect. 1. cap. 1.

[2] Tit. XV. cap. 1. edit. Brux. 1726: illud decretum a concilii Patribus unanimi voce approbatum est. cf. *Analecta juris pontif.*, jul. 1854, col. 1,031.

in Sacramentorum administratione, in Missis et divinis officiis celebrandis, aliisque ecclesiasticis functionibus obeundis, non pro libito inventi et irrationabiliter inducti, sed recepti et approbati Ecclesiae catholicae ritus, *qui, in minimis etiam, sine peccato, negligi, omitti, vel mutari haud possunt,* peculiari studio ac diligentia serventur. Quamobrem Episcopis districte praecipimus, ut contraria omnia, quae in ecclesiis seu saecularibus, seu regularibus (iis exceptis, qui proprio, vel Rituali, vel Missali, vel Breviario utuntur a S. Sede probato), contra ... rubricas Missalis, Breviarii et Ritualis irrepsisse compererint, detestabiles tanquam abusus et corruptelas prohibeant et omnino studeant removere."

Haec argumenta nobis evidentissima videntur.

6. Tria hic animadvertenda 1° Rubrica Missalis in tribus locis diversis legitur, in fronte libri, in Missae Ordinario, et in decursu Missalis, variis scilicet anni temporibus aut festis. Tres hae rubricae, eadem vi et auctoritate gaudent, prout declaravit S. Rituum Congregatio: „Pari forma sequendas esse, tum rubricas generales, tum particulares Missalis Romani, ad caeremonias in inclinationibus et manuum junctione rite peragendas." [1]

2° Repetita plurium rubricarum leviter obligantium violatio potest fieri peccatum mortale, *ratione effectus delicti,* ut aiunt theologi, quia tunc magna tam venerando sacrificio irrogatur irreverentia, et notabilis adest violatio praecepti rubricas Missalis servandi.[2]

3° Eadem exceptio, quae fit erga Breviarium, fieri debet erga Missale Romanum; videlicet quod ecclesiae quarum libri liturgici Bullam antecedebant ducentis amplius annis, illos servare et sequi potuerint. (Infra §. II. n. 5.)

7. Praeter Missalis rubricas, servari etiam debent in Missa, ubi opus est, rubricae Caeremonialis Episcoporum, quod est Missalis complementum in caeremoniis solemnibus. Caeremoniale enim fertur *in universali Ecclesia omnibus et singulis,*

---

[1] 22 Martii 1744. *in Bergomen.*

[2] Cf. S. Alph. de Lig., *De Sacrif. Missae,* n. 400.

juxta loquendi modum summorum Pontificum in suis constitutionibus. Quae pauca sufficiant; qui plura cupit, adeat *Miscellanea theologica.*[1]

§. II. Breviarii Romani rubricae.

1. Omissis variis formis, quibus in ecclesia primitiva, clerici Domino solvebant speciale tributum laudum et precum ipsi debitum, tantum discutiemus, in utilitatis practicae scopum, quasdam difficultates ad Breviarium pertinentes, seu officium divinum, quale nobis ab Ecclesia traditur.

Nomen *Breviarium* dictum est, juxta Grancolas (p. 191.), ex eo, quod officium divinum, olim longissimum, paulatim contractum est, adeo ut hodie tantum sit epitome, seu Breviarium antiqui officii divini. Juxta Gavantum, Macri et Cavalieri, hujus ratio est, quod sit *compendium.* Breviarium enim admirabile continet compendium S. Scripturae mysteriorum, complectens Psalmos, et pulcherrima loca excerpta ex divinis Scripturis, ex sanctis Patribus, e vita Sanctorum, praetereaque Orationes seu Collectas optimas, a sanctis Pontificibus ut plurimum compositas. Ideo, quo quis Breviarium Romanum attentius legit et meditatur, eo ferventius recitat et degustat. Attamen Benedictus XIV. (Instit. XXIV. n. 5.) nobis videtur illam originem melius indigitasse. Haec vox, juxta ipsum, tantum significat officiorum ordinem. In montis Cassini monasterio servatur Breviarium, quod inscribitur: *Incipit Breviarium, sive Ordo officiorum per totam anni decursionem.* Huic explicationi adhaeremus, secundum quam nomen calendario ecclesiastico primitus datum, postea tributum fuit libro, qui officia simul et regulas continet.

2. Multas vicissitudines expertum est Breviarium, antequam redigeretur in formam, in qua nunc est. SS. Leo, Gelasius, Gregorius Magnus huic manus admoverunt; S. Gregorius VII. illud postea reformavit. Sed saeculo praesertim decimo tertio contractum est. Causae tot erant in Curia Romana exami-

[1] Mélanges théol. Ire série, 3e cahier, p. 104.

Falise: Compend. Liturgiae pract. 22

nandae et discutiendae, ut consultum visum fuerit, introducere, Breviarium, quo jam utebantur Franciscani, teste Benedicto XIV., etsi tamen Pagi contendat, illud Romae in usu fuisse ante Fratres Minores institutos. Postea sub Clemente VII., Cardinalis F. Quignonius illud adhuc contraxit, quod opus in multis provinciis christianis acceptum est. At, ut S. Pii V. verbis utamur: „In provincias paulatim irrepserat *prava illa consuetudo, ut Episcopi* in ecclesiis, quae ab initio communiter cum caeteris veteri Romano more Horas canonicas dicere ac psallere consuevissent, privatum *sibi quisque Breviarium conficerent,* et illam communionem uni Deo, una et eadem formula, preces et laudes adhibendi dissimillimo inter se, ac pene cujusque Episcopatus proprio officio discerperent.“ Ut omnibus his mutationibus et abusibus finem imponeret, Paulus Papa IV. Breviarium reformare decreverat: morte impeditus est, ne illud sapiens propositum perficeret. Sub Pio IV. Concilium Tridentinum Breviarii emendationem inchoavit; hanc vero exsecutioni mandare non valuit, et curae s. Pontificis remisit. Pio IV. defuncto successit Pius Papa V. Hic vero Breviarium Romanum revisi, corrigi et imprimi curavit.

3. „Itaque,“ inquit, „ut divini hujus operis effectus re ipsa consequatur, auctoritate praesentium tollimus in primis et abolemus Breviarium novum a Francisco Cardinale Quignonio editum, et in quacumque Ecclesia, monasterio, conventu, ordine, militia et loco, virorum et mulierum, etiam exempto, tam a primaeva institutione, quam aliter ab hac Sede permissum.“

„Ac etiam *abolemus quaecumque alia Breviaria* vel antiquiora, vel quovis privilegio munita, vel *ab Episcopis in suis dioecesibus promulgata,* omnemque illorum usum de omnibus Orbis ecclesiis, monasteriis, conventibus, militiis, ordinibus, et locis virorum, ac mulierum, etiam exemptis, in quibus alias officium divinum Romanae Ecclesiae ritu dici consuevit, aut debet; illis tamen exceptis, quae ab ipsa prima institutione a Sede Apostolica approbata, vel consuetudine, vel quae ipsa institutio ducentos annos antecedat, aliis certis Breviariis usa

fuisse constiterit, quibus, ut inveteratum illud jus dicendi et psallendi suum officium non adimimus, sic eisdem, si forte hoc nostrum, quod modo promulgatum est, magis placet, dummodo Episcopus et universum Capitulum in eo consentiant, ut id in choro dicere et psallere possint, permittimus."

„Omnes vero et quascumque Apostolicas et alias permissiones ac consuetudines et statuta ... necnon privilegia, licentias et indulta precandi... praedictis ecclesiis,... caeterisque omnibus et singulis personis ecclesiasticis, saecularibus, et regularibus utriusque sexus, quacumque causa concessa ... omnino revocamus, volumusque illa omnia vim et effectum de caetero non habere."

„Omni itaque alio usu, quibuslibet, ut dictum est, interdicto, hoc nostrum Breviarium, ac precandi psallendique formulam ... praecipimus observari. Statuentes Breviarium ipsum nullo umquam tempore, vel in toto, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum esse, ac quoscumque, qui horas canonicas ex more et ritu ipsius Romanae Ecclesiae, jure vel consuetudine dicere, vel psallere debent, propositis poenis per canonicas sanctiones constitutis, in eos, qui divinum officium quotidie, non dixerint; ad dicendum et psallendum posthac in perpetuum Horas ipsas diurnas et nocturnas, *ex hujus Romani Breviarii praescripto et ratione omnino teneri,* neminemque ex iis, quibus hoc dicendi psallendique munus necessario impositum est, *nisi hac sola formula satisfacere posse.* Jubemus igitur..."

Deinde s. Pontifex jubet suum Breviarium ubique recipi, obligarique intra mensem omnes Romae degentes, intra tres menses omnes in Italia morantes, et post sex menses omnes Orbis ecclesiasticos. Prohibet etiam, ne illud denuo imprimatur sine approbatione, vel sanctae Sedis, vel Commissarii Apostolici, qui ad hoc deputandus erat in variis Orbis christiani partibus.

Haec bulla edita fuit 7. Idus Julii 1568.

4. Attamen Pii V. opus quosdam defectus prae se ferebat, quibus alios addiderunt typographi. Quare Clemens VIII. et paulo post Urbanus VIII. Breviarium iterum emendarunt, et quidquid in eo erat defectuosum eliminaverunt; Breviaria ante correctionem impressa solummodo tolerarunt, donec usu detrita essent.

5. Ex omnibus his deducuntur sequentia:[1]

1°. Diocceses, quae habebant Breviarium ducentis annis antiquius Pii V. bulla, illud servare poterunt. Si tamen hoc relicto, Breviarium Romanum adoptarant, prius resumere illis liberum non erat. Breviario Pii V. semel accepto, sub terminis Bullae comprehendebantur, jusque amittebant aliquid in eo mutandi, et aliud adoptandi. Permittere Episcopis ut, ritu romano derelicto, officium particulare praescriberent, nihil aliud erat, quam ad hanc pravam consuetudinem a sancto Pio V. reprobatam, ac ex Orbe catholico proscriptam reverti: *Prava illa consuetudo, ut Episcopi ... sibi quisque Breviarium conficerent.* Optio igitur erat, vel Breviarium consuetum servandi, vel ritum Romanum adoptandi; innovare autem non licebat.

„S. Pius V. eos tantum ab obligatione Breviarium Romanum recipiendi exceptos voluit, qui a bis centum saltem annis uti consuevissent Breviario diverso; ita videlicet ut ipsi non quidem commutare iterum atque iterum arbitrio suo libros hujusmodi, sed quibus utebantur, si vellent, retinere possent.“ Ita Gregorius XVI. in Brevi ad Archiepiscopum Rhemensem.[2]

2°. Episcopi, qui dioeceseos Breviarium servarunt, sancti Pii V. bullae vi privati sunt jure huic nova officia addendi, ritum ejus immutandi, vel officii alias recepti recitationem permittendi. Ita fert decretum 8. Aprilis 1628., jussu Urbani VIII. Breviario Romano praemissum, et licet de hoc mentionem specialem non faciat, tamen „comprehendit etiam Breviaria tolerata a S. Pio V., excedentia bis centum annos, hoc modo videlicet, ut non possit eis addi aliquod festum SS., nec minus ratione reliquiarum, nisi modo et forma contenta in decreto 8. Aprilis, et consulta Sede Apostolica,“ inquit Rituum Congregatio 28. Octobris ejusdem anni.[3]

---

[1] Eadem principia Missali Romano applicari possunt, cujus Bulla promulgationis iisdem clausulis exprimitur.

[2] Cf. Epistola ad Archiepiscopum Rhemensem de jure liturgico a D. Guéranger, 1843.

[3] Idem responsum fuit recentissime ad Episcopum Bellovacensem. Cum limina Apostolorum adiret, RR. praelatus liturgiae statum in sua dioecesi sanctissimo Patri exposuit, ipsius prudentiae consilia et auctoritatis decisiones petens. En rescriptum a S. Rituum Congreg. ipsi missum et publicatum in synodo dioecesana an. 1853. Bellocaci habita:

„Reverendissime domine, uti frater. — In relatione S. hujus Bellovacensis Ecclesiae, quam Amplitudo tua transmisit ad S. Congr. EE. PP. interpretum concilii Tridentini,

3° Privatis non licet, a communitate se sejungere et uti Breviario diverso a Breviario dioecesano, etiamsi illud esset Romanum, cum Pius V. Episcopi et Capituli consensum requisierit, ut liceret Breviario particulari Romanum substituere. Hoc principio innititur responsum ad parochum de Bar-sur-Aube, in Trecensi dioecesi, ipsum scilicet non satisfacere per Breviarii Romani recitationem (S. C.). Cui addi potest antiqua Concilii Congregationis decisio, a variis auctoribus relata: „Habentes Breviarium ante ducentos annos institutum non satisfaciunt recitando, etiam extra forum, juxta formam Breviarii novi Pii V., si hoc in sua ecclesia non fuit receptum de consensu Episcopi et Capituli.“ (Cavalieri, t. 2. p. 2. decr. 9. n. 4.

---

adnectuntur quae S. R. C. respiciunt, et super quibus modo ex mandato SS. D. N. Pii Papae IX, haec Amplitudini tuae subjiciuntur, sicuti mentem suam aperuit in audientia hujus diei subscripto R. P. secretario impertita.“

„Ac primo, quoad facta allegata quae respiciunt Breviarium ac Missale: etsi Capitulum cathedralis et Clerus certi esse valeant in possessione fuisse ac libertate utendi illis Breviario et Missali antiquioribus, ac praecedentibus bis centenariam ante editionem bullae S. Pii V., uti est in eadem legitime reservatum: in sequentibus tamen temporibus non una vice variationes et additamenta esse peracta constat, adeo ut in praesentiarum saltem, in multis differant etiam quoad ipsam primitivam formam, praesertim annis 1741. et 1848. variatam, *et propterea a jure cessasse:* et quoniam illorum vix memoria perseverat, *consequens est, ut, si velint cum Ecclesia servare unitatem,* debeant *Missale ac Breviarium Romanum assumere.*“

„Secundo, quoad officium publicum, quum incongruum sit, ut respectivae partes unius dioecesis inter se etiam in substantialibus differant, omni modo intendendum est, ut conformes evadant: sensim vero et per adhortationem et suasionem, ex eo praesertim quod quum impraesentiarum ad dioeceses jam dismembratas nec existentes non pertineat, debet Clerus in omnibus actuali dioecesi se conformare ad unitatem assequendam. Ad exemplum autem multarum ex dioecesibus Galliarum, poterit Amplitudo tua proprium officiorum ac Missarum illorum Sanctorum, qui vel titulares sunt ecclesiarum, vel patroni locorum, vel magis publicam venerationem sint hactenus assecuti, in unum redigere, ad formam appendicis Breviario et Missali Romano, atque ad hanc sacram Congregationem transmittere pro consueta revisione et approbatione. Tali modo obstativa cessabunt, praesertim quum Amplitudo tua jam exposuit quonam modo sit illis occurrendum.“

„Hisce omnibus notatis, quae in se conclusionem prae se ferunt, clare videt Amplitudo tua, proficuum non esse, imo periculosum, permittere usum Breviarii vel Missalis privata auctoritate interpolati, et expensis pro novis imprimendis posse occurri, sicuti evenit in casu quando exemplaria veteris cusionis deficiunt: ac difficile non est, hisce praesertim in regionibus, typographum invenire, qui suis sumptibus novum Breviarium imprimat, quod certum est brevi venundari. Et Amplitudo tua diu felix et incolumis vivat.“

Romae, die 22. Augusti 1851.

Sig. LAMBRUSCHINI, Card. Praef.
Fatati secret.

4° Qui Breviarii Romani recitationi tenentur, debent huic se conformare, nec possunt sub quocumque praetextu aliquid immutare, addere vel adimere. Frustra invocaretur consuetudo, quia Pii V. bulla prohibet consuetudinis Breviario contrariae introductionem, prout multoties declaravit s. Rituum Congregatio, interpres et vices gerens summi Pontificis. Recentissime, anno 1852. declaravit tolerantiam vel voluntatem Episcopi nec a peccato, nec a fructuum restitutione excusare eos, qui Breviario dioecesano utuntur, qui nempe ex principiis supra statutis, Breviario Romano tenentur (cf. infra §. 3.). Attamen, si ante Pii V. bullam mos erat celebrandi quaedam festa, quae in Breviario Romano non habentur, vel ea ritu majori celebrandi, hic mos servari potuit, dummodo ageretur de Sancto canonizato, vel de mysterio ab ecclesia recepto et approbato (S. C.). Praeterea, si consuetudo aliquod festum celebrandi esset immemorialis, licitum, non vero praeceptum est eam sequi (S. C.).

6. Praeter obligationem sequendi formam et recitandi officia in Breviario contenta, adest obligatio officia nova recitandi a summo Pontifice Clero sacculari et regulari totius orbis imposita, ab Urbani VIII. tempore, item officia dioecesi vel nationi concessa, quae scilicet Episcopus in sua dioecesi obligatoria reddidit. Quidam insuper tenentur, officia Patroni, vel Titularis, et Dedicationis ecclesiae suae recitare, et hoc casu ab ordine dioecesano recedere tenentur.

7. Cum quis inscius officium omisit, vel ex errore officium pro officio recitavit, non debet culpam culpa reparare, sed calendarium sequi tenetur, quasi nihil accidisset (S. C.). Errore detecto, officium obligatorium resumat, imo prudenter faciet recitando officii diurni partem omissam.

8. An satisfacit obligationi horarum canonicarum, qui officium pro officio sciens et volens recitat? Quidam theologi de gravi arguunt illum solum, qui frequenter officium mutat; haec vero opinio nobis videtur improbabilis. Si enim quaelibet mutatio particularis sit tantum venialis, quomodo totum coalescit in mortale? Materiae non coalescunt, quum officium sit onus diei. Censemus igitur, illum non satisfacere

et peccare mortaliter, qui haud inscius officium pro officio recitat. Ita Suaresius, Holzmann, Salmanticenses, Gavantus, Barbosa, Cavalieri et alii. Ratio hujus sententiae est, quod ecclesia non solum recitationem officii in genere, sed talis officii in specie praecipiat. Atqui, ille qui aliud officium recitat, non ponit substantiam praecepti particularis ab ecclesia impositi. Ergo.

Haec sententia sequentibus probatur argumentis:

1° In sua bulla S. Pius V. declarat, ecclesiasticos *ad dicendum posthac in perpetuum horas ipsas diurnas et nocturnas, ex hujus Romani Breviarii praescripto et ratione omnino teneri.* Vox *omnino* sufficienter indicat, nullam dari exceptionem, et praescriptum et rationem Breviarii servanda esse, et ad praecepti substantiam referenda esse. Quid est autem *ratio Breviarii?* Est horarum forma, quibus constituitur officium divinum, diversa a forma aliorum Breviariorum. Quid *praescriptum,* nisi ejusdem Breviarii rubricae, calendarium et leges, quae praescribunt, quale officium et secundum quas regulas recitandum sit?

2° Decretum 8. Aprilis 1628 ab Urbano VIII., et 11. Augusti 1691. ab Innocentio XII. approbatum, expresse prohibet, ne quaedam officia recitentur, verbi gratia, Sanctorum dioecceseos, vel quorum reliquiae asservantur, idque sub poenis a Pio V. latis, non satisfaciendi officii divini recitationi. Hoc tamen casu servabatur etiam Breviarii Romani forma, cum sine innovatione, de Communi officium recitare, in honorem alicujus Sancti canonizati, vel etiam officium recitare a s. rituum Congregatione pro aliis locis approbatum, res sit obvia. Quid igitur deest praecepti substantiae, si sola Breviarii Romani *forma* sit de necessitate, nec stricte obliget officium diei? Qui objiceret, haec decreta esse exceptiones, deberet probare, ea esse contra regulam, quod utique praestare non poterit.

3° Quomodo exprimuntur concessiones novi officii obligatoriae? His vel similibus verbis: *Officium cum lectionibus 2. Nocturni et Oratione propriis de sancto N., quotannis, die... ab universo Clero utriusque sexus recitare mandavit.* Atqui, ex his verbis evidenter oritur obligatio talis officii cum Oratione et Lectionibus propriis, non vero officii in genere. Insuper non est, cur dentur officia *ad libitum*, quae omitti vel aliis suppleri pos-

sunt, si non ex eo sequatur alia esse obligatoria? Objiciet aliquis, adesse tantum culpam venialem. At si non satisfit, prout affirmat Pius V., culpane est levis? Instabit, bullam loqui de sola officii forma, quando agitur de nullitate recitationis: *nisi hac sola formula satisfacere posse.* Sed quaenam est ratio referendi vocem *formula* ad vocem *ratione,* potius quam ad vocem *praescriptum?* Caeterum haec phrasis est completum et consequentia praecedentis phraseos, et eadem ratione intelligi necessario debet.

4° Denique, cum Caramuel (Theolog. lib. II. fund. 53. n. 2491.), dicemus, circumstantiam, sine qua finis a legislatore intentus obtineri nequit, per se praecipi et ad praecepti substantiam pertinere. Orationis autem in Ecclesia Romana uniformitas, quae finis est legis, obtineri non posset, si liceret ex levi ratione, immutare officium recitandum in aliud quodcumque. Hic finis, item poena gravis est, ergo etiam culpa.

Ex quibus concludimus, illum, qui sciens et volens officium pro officio recitavit, teneri vel recitare integrum officium congruum, vel saltem quod omisit supplere, et recitare quod est speciale festo vel feriae v. g. Hymnos, Antiphonas, Lectiones etc. Si error fuerit involuntarius, Ecclesia non est praesumenda velle illum obligare, ut iterum officium recitet. Prudentius autem videtur supplere quidquid omissum est.

9. Quando Episcopus Directorium edit, Sacerdotes dioecesani in omnibus huic se conformare tenentur, non solum in rebus certis, sed etiam controversis, etiamsi contrarium illius, quod praecipitur videretur certum (S. C.). Cum limitatione tamen haec regula accipienda est. Sicut enim omnino admittenda et sequenda sit, quando agitur de tali officio recitando, nutat, quando res sit de aliqua parte officii, v. g. Lectionibus, Antiphona, Versiculo. De qua quaestione adesis menaeum *Rev. théol.*[1]

Caeterum quisque dioecesanum directorium accommodare debet congruenter festis propriis ecclesiae, cui adscriptus est. Itaque non est mutandus dies patroni, ex eo quod esset feriatus alio die in dioeceseos calendario (S. C.), vel ex eo, quod juxta consuetudinem diversus ei attribueretur dies in Martyrologio Romano (S. C.).

---

[1] In nova serie. Tornaci, tom. 1. pag. 31. et 256. anno 1869.

10. Qui ex auctoritate privata, adimit, addit vel mutat aliquid in una alterave officii divini parte, peccat, et quandoque mortaliter, si res sit gravis. Sed post vel ante horam aliquam, nihil vetat, quin alia Oratio recitetur: „Moniales, finito officio, non prohibentur recitare aliquem Psalmum, Orationem vel Collectam, quia hoc non est officio addere.“ Ita teste Nicolio, decretum 12. Januarii 1660.

11. Qui absens est, vel aliam dioecesim aliquantisper habitat, ecclesiae suae officio tenetur, si sit Beneficiarius vel Canonicus (S. C.). Episcopus item dioecesano officio tenetur. Potest tamen satisfacere recitando officium patroni loci, vel dedicationis ecclesiae, in qua reperitur (S. C.). Parochus et Vicarius ecclesiae suae officio tenentur. Simplices Sacerdotes et illi, qui alicujus ecclesiae servitio non sunt stricte addicti, possunt eligere vel officium suae dioeceseos, vel dioeceseos, in qua habitant (S. C.). Regulares a monasterio absentes et ecclesiis parochialibus praepositi debent recitare officium juxta Breviarium sui ordinis. Si a monasterio ad aliud transeunt, in via sequuntur calendarium domus, a qua nuper profecti sunt, et postea calendarium domus, ad quam perveniunt. Si in aliqua parochia stationem quadragesimalem praedicant, provinciae directorium sequuntur (S. C.). Seminarii alumni ordinibus insigniti, et professores debent sequi directorium Seminarii ecclesiae (S. C.). Qui ex munere vocatur ad officium publicum a suo diversum, satisfacit choro se conformando (S. C.). Controvertitur, an satisfaciat ille, qui fortuito tali officio assistit. Episcopi sacellanus, qui cum ipso horas recitat, satisfacit dicendo idem officium ac Episcopus (S. C.).

De modo quo recitandum officium divinum, ut obligationi plene satisfiat, pauca notanda sunt.

12. Verba pronuntianda sunt, nec sufficit ea legere et intelligere, quia horarum recitatio est deprecatio vocalis. Qui cum socio recitat, satisfacit audiendo alterum, versum vel Lectionem vice sua recitantem. In choro Canonicus, qui non cantat, officio suo deficit, et non facit fructus suos (S. C.).

13. Tempus ab ecclesia concessum, ut satisfiat precationi publicae ejus nomine factae, currit per quatuor et viginti

horas, a media nocte ad mediam noctem; pro Matutinis longius est, quae in vigilia enim recitari possunt, cum sol quartam curriculi sui partem incipit. Hoc dictum sit de recitatione privata, in choro enim horae a rubricis indicatae stricte debent observari, nec consuetudine mutari possunt (S. C.). Notandum tamen est, ad dicendum mane Vesperas et Completorium, etiam in particulari, rationem requiri, item ad differendum Matutinas et Laudes usque ad vesperam. Tempore qua dragesimali, exceptis diebus dominicis, in choro Vesperae recitantur ante meridiem.

14. Horarum inversio, saltem privatim, culpam gravem non constituit, et quidem licet, ex motivo facilitatis vel utilitatis. At in choro inversio gravior est, et posset, juxta plures auctores, esse peccatum mortale.

15. Obligatio recitandi parvum B. M. V. officium, Psalmos poenitentiales aut graduales, et Defunctorum officium, non amplius stringit illos, qui privatim horas recitant; sed Canonicorum collegia, quae tempore Pii V. bullae, has preces dicere consueverant, his adhuc obligantur, nec ulla consuetudo obligationem perimere valuit. In hac tamen hypothesi Canonici, qui extra chorum horas recitant, non tenentur praedictas preces addere (S. C.).

16. Breviariorum ac Missalium impressio et publicatio remanent subjectae praescriptionibus bullarum sancti Pii V., ac super his Episcopi sedulo invigilare debent. Attamen licet uti Breviariis haud approbatis, dummodo Episcopus, postquam cum exemplaribus authenticis ea contulerit, recte impressa esse declaret (S. C.).

17. Haec notanda erant de Breviario et officio in genere. De antiquitate, origine, nec non suavitate horarum canonicarum quaestiones consulto omittimus. Quisque poterit, pro libitu, legere rubricae commentatores, vel tractatus speciales de materia, v. g. Bona, Grancolas, Fornici etc.

Objiciet forte quis, nos Breviarii Romani rubricarum ordinem non secutos fuisse; at illi, qui opus nostrum pervolvent, intelligent, non tantum omnes rubricas in eo tractatas, sed etiam Congregationis doctrinam de quaestionibus controversis.

a nobis sufficienter esse explicatas. Ordinem diversum eo fine praetulimus, ut Breviarii repetitiones vitarentur, ac majori claritati consuleretur, sicque facilius et jucundius evaderet studium levitis, qui saepe officium divinum, ignotis regulis recitant. Rubricis theoretice inductis, harum applicationem facimus in calendario fixo et mobili secundae hujus tomi parti apposito.

§. III. Ritualis Romani rubricae.

1. Cum recentioribus temporibus, summi Pontifices praejudicia gallicana sensim in Gallia obsolescere, et regressum ad unitatem manifestum apparere viderent, jam non dubitarunt in memoriam revocare librorum liturgicorum romanorum obligationem strictam, et hodiedum de obedientia certi, cautiones antiquas omittunt. Sub hoc respectu, citius progressum fuit: quod Gregorius XVI. non prudens judicabat dirimi anno 1842. Pius IX. expresse solvit decimo post anno. Quod vix et caute ingerebatur in resolutionibus specialibus et casibus particularibus, nunc declaratur sine ambagibus et modo categorico. Nuper dubia supererant de obligatione Rituale Romanum ubique accipiendi, nunc omne dubium tollitur per declarationem sequentem, cujus quartam responsionem discutiemus.

CENOMANEN.

2. Quas sanctus Pius V. edidit bullas, quae Breviarium Missaleque Romanum respiciunt, illas de anno 1583, cum omni laude, reverentia et gaudio excipit Concilium provinciae Turonensis, ac proinde Cenomanensis Episcopalis Ecclesia, quae provinciae ipsius limitibus concluditur: quae etsi speciali tunc ritu a duobus saeculis uteretur, attamen ritus iste adeo erat Romanus, ut vix pro vigesima parte proprium Cenomanense intermisceretur: in eodem siquidem ritu sibimetipsi constans, nec ullo modo sancto Pio V. contraria studiosius perstitit Cenomanensis Ecclesia spatio centum quinquaginta annorum, nimirum usque ad annum 1748. aut 1749., in quo, auctore tunc temporis Episcopo, et consentiente Capitulo, sed prorsus apostolica sancta Sede inconsulta, novum conditum fuit Breviarium novumque Missale. Alia tunc facta fuit Psalmorum

distributio; alia ratio Lectionum, tum de sacra Scriptura, tum de Sanctis, aliae Antiphonae, alia Responsoria, alii Hymni, aliae rubricae et caeremoniae. Insuper de calendario quamplures expuncti sunt Sancti, ut novi in eorum locum sufficerentur: quum itaque nova pene omnia illis in Breviario et Missali appareant, de veteri ritu Romano-Cenomanense vix impraesentarium vigesima pars exstat. Si itaque locorum Ordinarii prohibentur, etiam in Breviariis, quae juxta mentem sancti Pii Pontificis tolerata tantum fuere, uti antiquum Cenomanense, aliquid propria auctoritate addere, aut aliquid demere sub interminatis poenis in decretis sacrorum Rituum Congregationis, dierum 8. Aprilis et 28. Octobris 1628., de non satisfaciendo muneri divini officii recitandi, inde clare concluditur, quantum a praefinitis legibus aberret Breviarium Missaleque Cenomanense editum medio saeculo decimo octavo, in quo tam graves immutationes factae sunt, ut a Romano aeque ac ab antiquo Cenomanense in omnibus recedat. Quae singula inter caeteros Rev. D. Lotin, Canonicus cathedralis Cenomanen. Ecclesiae, sedulo commemorans, sacram hanc Rituum Congregationem precibus adire constituit, eique sequentia dubia proponere pro opportuna solutione, nimirum:

I. Utrum licita fuerit, annis 1748. et 1749., innovatio Breviarii Missalisque Cenomanensium a ritu Romano prorsus alienorum, amotis prius veteribus ad formam Romanam correctis Breviario et Missali, sola Episcopi et Capituli Ecclesiae Cenomanensis auctoritate, et inconsulta Sede Apostolica, facta aut probata?

II. Quatenus negative: Utrum saltem hujusmodi liturgia vi praescriptionis seu consuetudinis saecularis, facta sit legitima, ita ut hodie quilibet Sacerdos Cenomanensis possit eam tuta conscientia servare?

III. Quatenus iterum negative: An quilibet Sacerdos Cenomanensis, etiam Canonicus aut Parochus, statim teneatur in conscientia tum et horas canonicas persolvere, Missamque celebrare juxta ritum romanum, quando scilicet privatim recitat et celebrat, tum et insuper omnibus, quibus potest modis Reverendissimo Episcopo supplicare, quatenus et idipsum pro

divino publico opportunis mediis, et temporibus promovere dignetur?

IV. Etiamsi Ecclesia Cenomanensis sibi de Breviario et Missali iterum atque iterum, ut libuerit, providere queat, an istiusmodi facultas extendenda sit ad Pontificale, Caeremoniale Episcoporum, Martyrologium et Rituale Romanum, ita videlicet ut *praeceptivas* praedictorum librorum *regulas*, tolerante nempe aut permittente, aut etiam aliter quidpiam statuente Reverendissimo Episcopo, Canonici, aliive Sacerdotes possint illaesa conscientia infringere aut omittere, atque Reverendissimi Episcopi voluntas his in casibus sit pro ipsis sufficiens dispensatio?

V. Utrum possint et ipsi Canonici, qui ex antiquo more mozetta et rochetto insigniti sunt, uti rochetto in administratione, seu confectione Sacramentorum et Sacramentalium, quum Reverendissimus Episcopus usum rochetti generaliter, et pro majori seminario, recenter praeceperit, seu saltem probaverit, et pro omnibus insuper suae dioecesis presbyteris, etiam in Sacramentorum administratione, se toleraturum esse voce et scripto declaraverit, quidquid in contrarium faciant Caeremoniale Episcoporum, Rituale Romanum, Missale et Pontificale, licetque nulla in dioecesi Cenomanensi antiqua, aut usque dum generalis pro ea sacrae liturgiae derogatione exstiterit consuetudo? Quas quidem preces insertisque cum dubiis in ordinariis S. R. C. comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, reverendus infrascriptus R. D. prosecretarius, Eminentissimi et Reverendissimi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuerunt.

Ad I. — Negative.

Ad II. — Negative.

Ad III. — Consulat conjunctim utramque Constitutionem sancti Pii V., videlicet illam, quae incipit *Quod a nobis*, VII. Idus Julii 1568., et aliam, quae incipit *Ex proximo*, XII. Calendas Octobris 1571.

Ad IV. — *Negative et amplius.*

Ad V. — Rocchettum non esse vestem sacram adhiben-

dam in administratione Sacramentorum, ac proinde tum ad ea administranda, tum ad suscipiendam primam tonsuram et minores ordines, necessario superpelliceo utendum.

Atque ita declaravit. Die 10. Januarii 1852.

Loco † Sigilli.

A. Card. LAMBRUSCHINI, *S. R. C. praef.*
Dominicus GIGLI, *S. R. C. prosecretarius.*

3. Omisso tertio dubio, quod mirum in modum confirmat ea, quae supra scripsimus de rubrica Breviarii, statim transimus ad quartum de Rituali Romano. Quaerebatur, an in supposito, quod Episcopus Breviarium vel Missale mutare possit, eamdem facultatem habeat circa alios libros liturgicos Caeremoniale scilicet, Pontificale, Martyrologium et Rituale Romanum. Quid respondet Congregatio? *Negative et amplius,* quae est negatio maxima et omnimoda. Attamen non diffitemur, hic adesse haud parvam difficultatem. Constitutiones pontificiae, trium priorum librorum capiti praepositae, obligationem evidenter condunt, et omnem modificationem ab Episcopis factam prohibent; non vero idem est de Rituali Pii V.; bulla tantum hortatur, invitat Episcopos, Parochos etc. etc., ut in omnibus Rituali suo utantur, nec ulla vox apponi videtur, quae veram obligationem importet.

4. Nihilominus, ut valde probabilem, ne certam dicamus, habemus sententiam, juxta quam vere obligat Rituale Romanum, nec non aliquid mutandi omnis adimitur Episcopis facultas, saltem quoad Sacramenta, benedictiones, preces et caetera hujusmodi. Probatur 1°. In indice librorum prohibitorum referuntur omnes additiones Rituali romano factae et faciendae, itemque benedictiones in eo non contentae, etsi ab aliis approbatae, quam a S. R. Congregatione. Legantur decreta de libris prohibitis, qui non expresse et nominatim in indice referuntur. Ibi enim ait s. Pontifex §. IV.: *Benedictiones omnes ecclesiasticae, nisi approbatae fuerint a S. Rituum Congregatione... Rituali Romano additiones omnes factae aut faciendae post reformationem Pauli V., sine approbatione S. R. C.* Qua porro post haec potestate gaudeat Episcopus? Si enim unum verbum mutat, si

Orationi aliam Orationem subrogat, haec subjacent indici. Imo frustra in strictiorem sensum verba legis adducere conaris, affirmando solas additiones prohibitas esse; nam correctio, nisi prorsus nulla et vacua sit, est additio in sensu vero, porro quaecumque sint, additiones sunt prohibitae. Frustra quoque de antiquitate vestri Ritualis excipere, allegareque correctiones illas aut additiones multo ante Rituali Romani publicationem factas fuisse velles; nam respondebitur omnes additiones factas, non minus ac faciendas esse prohibitas. At vero dices: non Rituali Romano, sed Rituali meae provinciae aut dioeceseos, aut regionis, mutationem et correctionem facio, hinc nihil est, quod indicis anathemati subjiciatur? Error est et quidem maximus. Sufficit enim legere verba libri indicis, *Additiones omnes*. Etenim non ibi dicitur in indice relatas esse correctiones, quae fiunt Rituali Romano a Paulo V. edito, sed Rituali Romano post reformationem Pauli V.: porro hae expressionis toto coelo distant. Vestrum dioecesanum Rituale utique Romanum erat, non modo quoad substantiam, sed etiam quoad ritus integrantes praecipuasque caeremonias; nam si non fuisset Romanum, in suspicium fuisset positum. Atqui Paulus V. hoc Rituale reformavit, ac uniforme reddidit id quod juxta varietates locorum plus minusve differebat; inde teneris hanc reformationem suscipere; nam additiones factae aut faciendae Rituali Romano post reformationem Pauli V in indice consignantur.[1]

5. Objiciet quis, nos ultra quam par est extollere Congregationis indicis auctoritatem, eamque ut supremam potestatem tradere. Quod ultro concedimus. Enim admittimus, istam Congregationem revera esse organum et vocem summi Pontificis, ac praecipue regulas, principia, et decreta generalia, quae inscribuntur in capite catalogi librorum prohibitorum, reipsa vere et fideliter exprimere summi Pontificis voluntatem. Porro, juxta id, quod supra explicatum est, vult S. Pontifex, ac utique ejus id muneris est, quod Episcopi nihil mutare valeant in Rituali,

[1] Nonnullus forsitan exquiret rationem, cur solae Rituali Romano *additiones* in indicem referantur. In promptu responsio est, jam in Concilio Tridentino mutationes et imminutiones interdictas esse. Utique, posito isto canone, nullus talis audaciae praesumendus erat, qui aliquid omittere aut mutare in ritibus Ritualis Romani ausus esset. Praetermissae vero cum fuissent additiones, de illis statutum fuit in regulis indicis.

idque ita vult, ut ea, quae Ordinarius addiderit, ipso facto prohibeantur. Hic locus non est ambagibus et distinctionibus. Sanctitatis suae voluntas ut sol nobis elucet.[1]

6. 2° Pauli V. Bulla in specie tantum directiva, reipsa est praeceptiva. Ponderare enim oportet verba, quibus utitur. „Nostrae sollicitudinis intelligimus, super universam domum Dei ita invigilando intendere .., quo omnia in ea honeste et secundum ordinem fiant, praecipue vero, quae pertinent ad Sacramentorum administrationem, in qua religiose observari Apostolicis traditionibus et ss. Patrum decretis constitutos ritus et caeremonias, pro Nostri officii debito curare omnino tenemur. Quam ob rem fel. rec. Pius papa V.... Breviarium primum et deinde Missale Romanum... edenda censuit. Cujus vestigia... sequutus Clemens VIII.... caeremonias promulgato Caeremoniali ordinavit. His ita constitutis, restabat, ut uno etiam volumine comprehensi sacri et sinceri catholicae ecclesiae ritus, qui in Sacramentorum administratione aliisque ecclesiasticis functionibus servari debent ab iis, qui curam animarum gerunt, Apostolicae Sedis auctoritate prodirent, ad cujus voluminis praescriptum, in tanta Ritualium multitudine, sua illi ministeria tanquam ad publicam et obsignatam normam peragerent... In quo (rituali) *cum receptos et approbatos catholicae Ecclesiae ritus* suo ordine digestos conspexerimus, illud sub nomine Ritualis Romani merito edendum ... judicavimus. Quapropter hortamur in Domino venerabiles ... Episcopos ... parochos universos, et alios, ad quos spectat, ut in posterum tanquam ecclesiae Romanae filii, ejusdem Ecclesiae omnium matris et magistrae auctoritate constituto Rituali in sacris functionibus utantur, et in re tanti momenti, quae catholica Ecclesia, et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent.“

Sub istis verbis praeceptum et legem contineri affirmamus. Ea enim (A) conferamus cum canone Tridentini, sessione VII.: „Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiae

[1] Praelatus quidam Galliae Rituale Romanum suo Clero cum indixisset, supplemento auxit. Ast probe noscens, illud supplementum aegre accipi a suae dioeceseos sacerdotibus, illud Romae approbari curavit. Usque modo Roma tacuit. Ast si perdurat silentium, quid agent isti sacerdotes?

catholicae ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit," et fateamur ibi syllogismum strictum haberi. Quicumque Ecclesiae minister sub peccato tenetur *ritus receptos et approbatos Ecclesiae catholicae* servare: haec propositio negari nequit, cum illam definierit Tridentinum. Atqui in Rituali Romano continentur *ritus sinceri et approbati Ecclesiae catholicae*, ut in sua bulla asserit Paulus V. Ergo, etc. Evidenter patet, quod ad obligationem strictam sequendi suum Rituale, Paulo V. sat erat, affirmare, in eo contineri ritus sinceros Ecclesiae catholicae, cum canone concilii Tridentini oriatur obligatio illos ritus sequendi. Non ergo verba singulatim spectanda sunt, sed integra constitutio ponderanda est, et cum Concilio Tridentino conferenda.[1]

7. (B) Insuper in eadem bulla plura sunt verba, quae clare obligationem important. „Pro nostri officii debito curare *omnino tenemur*, observari constitutos ritus et caeremonias... Restabat, ut uno etiam volumine comprehenderentur ritus, qui

[1] Scriberentur volumina, si corrigendi essent errores innumeri eorum, qui Rituali Romano temerariam manum admoverunt. Unum inter sexcenta sufficiet exemplum. Juxta Rituale Romanum petitur ab infante, qui ad fores stat ecclesiae: *Quid petis ab ecclesia Dei?* Resp. *Fidem.* Pergit Sacerdos: *Fides quid tibi praestat?* Resp. *Vitam aeternam;* et tunc minister ait. *Si igitur vis ad vitam ingredi, serva mandata* etc. Ex dioecesanis Ritualibus nonnulla omnia haec resecarunt, et simpliciter peti jubent *Quid petis*, et respondetur *Baptismum.* Utique illi, qui talia invenerunt, sapientissimi sibi videbantur, quippe cum ipsis extraordinarium visum fuerit peti fidem ab infantibus, qui modo sunt Baptismum susceperi. Verum se tantummodo in eruditione ecclesiastica parum versatos ostenderunt. Notare sufficiat, in Rituali Romano, sed *post* professionem fidei, peti *visne baptizari*, et ab adultis *quid petis?* R. *Baptismum:* et proferamus geminum textum, quem lectoris meditationi subjicimus. „Justificationis causa instrumentalis, Sacramentum Baptismi, quod est Sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit justificari... Hanc *fidem ante Baptismi Sacramentum ex Apostolorum traditione catechumeni ab ecclesia petunt, cum petunt fidem vitam aeternam praestantem*, quam sine spe et charitate fides praestare non potest; *unde et statim verbum Christi audiunt: si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*" Praefatam Ritualis explicationem ipsum edidit Concilium Tridentinum (sess. 6. cap. 7.), et quidem *sexaginta annis antequam* Rituale lucem aspexerit. En textus alter: „Sacerdos ab eis exquirit, quidnam ab ecclesia petant; quo cognito, primum eos christianae fidei doctrina, quam in Baptismo profiteri debent, instituit: *id autem catechismo efficitur, cujus institutionis morem a Domini Salvatoris praecepto manasse nemo dubitare potest*, cum ipse Apostolis jusserit: *Ite in mundum*, etc. Ex quo liquet cognoscere, *Baptismum non esse administrandum priusquam summa saltem religionis capita exponantur.*" Ita loquitur (part. II. n. 60.), Catechismus Romanus quem omnibus Episcopis ut fontem verae doctrinae commendat Clemens XIII. Quis ibit inficias, hic agi de recepto et approbato ecclesiae catholicae ritu? porro quid de eo factum est in nostris Ritualibus?

observari debent ab iis, qui curam animarum gerunt, ad cujus voluminis praescriptum sua illi ministeria, tanquam ad publicam et obsignatam normam peragerent, *unoque ac fideli ductu inoffenso pede* ambularent. Quod Pius V. et Clemens VIII. pro aliis libris praestiterunt, nos pro Rituali praestare curavimus. Quapropter *hortamur in Domino* omnes ministros ecclesiae, ut hoc Rituali utantur, et *in re tanti momenti inviolate observent.* Bene ponderentur, missa omni praeoccupatione, et facile apparebit, quod quisque Rituale Romanum servare teneatur, si obligationes suas implere velit. Quod autem s. Pontifex nos adhortetur ad obligationem adimplendam, nil in hoc inauditum est. Quid aliud quotidie agunt parochi et concionatores?

(C) Aliam non omittamus considerationem. Summus Pontifex non modo Episcopos, sed et Parochos universos et alios, ad quos spectat, in Domino adhortatur, ut Rituali Romano utantur, illudque religiose observent. Porro talis adhortatio confusionem et anarchiam parere nata est, si revera non obligat Rituale Romanum. Num forsan crederes, in potestate Episcopi esse, prohibere, ne parochi adhortationem summi Pontificis sequantur? Verum si illud non admittas, quod utique esset omnis juris publici eversio, quonam modo Episcopus conficeret ac imponeret Rituale a Romano diversum? Verum enim vero si in parochorum arbitrio est, novum illud Rituale rejicere, finis, quem sibi proposuit Episcopus, non attingitur; si autem id non licet parochis, quid fit de suprematia, plenaque auctoritate summi Pontificis, qui pascit et agnos et oves? Nunquam solvetur haec difficultas. Quocirca principium est juris canonici a Benedicto XIV. proclamatum, subtrahi Ordinariorum potestati materiam, quam summus Pontifex sibi reservavit. (De Synod. dioeces. libr. IX. cap. 1. n. 6.) Porro talis est, si ullus, noster casus.

(D) Multoties legislator circa valorem hujus constitutionis decreta tulit, et toties illam obligatoriam habuit. Annon centies, ut in supra relato decreto, declaravit canonicum prohiberi, ne rochetto induatur, cum administrat Sacramenta? Annon innumeros usus utpote Rituali Romano contrarios, de oleis sacris, sacrarum specierum renovatione, etc. damnavit? Nuperque S. R. Congregatio licitum esse Parocho de Bar-sur-Aube in Gallia

sequi Rituale Romanum, non obstante prohibitione Episcopi, respondit, ac paulo post Episcopo Trecensi scripsit, talis indolis esse leges Ritualis Romani, ut omnem afficiant ecclesiam. Certe si interpretatio, quam facit legislator suae legis, sana et admittenda est, nemo Ritualis Romani obligationi refragabitur, cum interpretatio in hac re sit clara, patens et uniformis.

Hinc concludimus, Bullam Pii V. esse vere obligatoriam, ac licet nullas clausulas consuetudinibus contrarias contineat, tales clausulas in eadem subintelligi, quia, ut supra observatum est, Bulla haec non nisi declaratio est Concilii Tridentini, ac ex alia parte, ut asserit Benedictus XIV., nulla admittitur consuetudo contra Tridentinum.

8. Quae primum tenet locum post Ecclesiam auctoritas, nullus refragabitur quod est Concilium provinciale romanum a Benedicto XIII. congregatum, in quo sedebant Ecclesiae tum principes, tum lumina. Porro illud Concilium eodem modo obligatoria habet Missale et Rituale, declaratque reos peccati illos, qui in alterutrum impingant, Ordinariisque jubet, ut abusus et consuetudines, quae contra sacros ritus introducerentur, evellere studeant. (Cfr. supra § 1. n. 5. pag. 335.)

9. Ex his, quae disputavimus, concludendum:

1° Valde optandum foret, ut Rituali Romano omnes uterentur latinae ecclesiae. Praeter enim quam quod sit de praecepto, unicum est, de quo affirmari queat, in ipso contineri certe veros et approbatos ecclesiae ritus, qui a nemine inferiore Papae in alios mutari possunt.

2° Parocho cuilibet Romanum Rituali sequi licitum est, praetermisso illo, quod ab Ordinario editum est: hoc patet tum ex constitutione Pauli V., quae ad parochos non secus ac ad Episcopos dirigitur, tum ex S. R. Congregationis praecisa declaratione.

3° Parochus, dummodo difficultates adeo graves non praevideat, in administratione Sacramentorum Rituali Romano se conformare debet. Excipitur tamen Matrimonium, in quo, ut declaravit Ecclesia, sequendae sunt particulares ecclesiarum usus et consuetudines. E contra formulas benedictionum in Rituali Romano non contentas, neve a S. R. C. specialiter approbatas adhibere nequit.

4° Quod ad exsequiarum ordinem aliasque ejusdem generis caeremonias a dioecesano Rituali praescriptas ac in viridi observantia, licet speculative eadem doctrina sit admittenda, tamen propter magna incommoda, quae ex earum suppressione orirentur, tum quia minorem cum rebus fidei relationem habent; ne ipsum quidem Rituale Romanum vult parochos adigere, ut iis praetermissis, nude Romanum morem adhibeant. Perplacent saepe populo tales usus, ideoque fragilitati ejus consulendum est, cum fides in periculum non venit.

5° Verum cum nostra doctrina de obligatione Rituali Romani, etsi certa nobis videatur, contradictores habeat, inter eos praesertim, qui demonstrationis nostrae argumenta haud legerunt, illi qui nostris partibus adhaeserint cautiores se praebeant, nec quos aliter judicare et agere viderint, de peccato damnent. Aliunde animadvertendum, quod in Bulla, qua introducitur Rituale Romanum, non prohibentur Ritualia particularia, prout factum fuit in Bullis pro Missali et Breviario. Hinc concludere licet non paucos tolerandos esse usus, qui etsi diversi sint a Romanis, illis tamen non proprie adversantur. Quocirca ad consuetudines locorum non raro remittit ipsum Rituale Romanum, ut de ultimo agone, exequiis, et aliis, ut suo loco annotabimus.

10. Brevis admodum est commentarius in Rituale, nihilominus eum absolutum judicamus. Ex auctoribus probatae doctrinae, Baruffaldo, Catalano, Cavalieri etc., ea quae nonnullam prae se ferre utilitatem visa sunt deprompsimus, nec non ab Rituali, quod vocant Tulonense, quodque reipsa commentarius est Ritualis Romani, plura mutuati sumus.

Caput secundum.

De S. Rit. Congregationis decretis.

§. I. De S. R. Congregationis potestate, ejusque diversis decretis.

1. Regulas Missalis, Breviarii et Ritualis praescripsisse illasque omnes et ubique praeceptivas condidisse haud sat fuisset, ac necesse omnino erat, ut media eligerentur ad stabiliendum

aedificium, quod erigebatur, utque sacrorum rituum custodes statuerentur. Sensim sine sensu ex incuria, aut ignorantia, aut ex corruptelis, quae sub nomine usus et consuetudinis invehuntur, imo ex impatientia naturali, qua homo ferre jugum nescit, hoc aedificium tanta vi et difficultate erectum in ruinam actum fuisset, nisi, per sapientiam ex alto venientem, summi Pontifices sacrorum constituissent Rituum Congregationem, cui cura demandata sit ritus servare, abusus evellere, dubiaque insurgentia depellere. Cujus Congregationis auctor fuit Sixtus V., ita hujus munera juraque decernens: „Quinque Cardinales delegimus, quibus haec praecipue cura incumbere debeat, ut veteres ritus sacri ubivis locorum, in omnibus Urbis Orbisque ecclesiis, etiam in Capella nostra pontificia, in Missis, divinis officiis, Sacramentorum administratione, caeterisque ad divinum cultum pertinentibus, a quibusvis personis diligenter observentur; caeremoniae si exoleverint, restituantur; si depravatae fuerint, reformentur; libros de sacris ritibus et caeremoniis, imprimis Pontificale, Rituale, Caeremoniale, prout opus fuerint, reforment et emendent, officia divina de sanctis Patronis examinent, et Nobis prius consultis, concedant."

2. Ut legenti patet, munus hoc amplum est tamquam quod maximum. In illis, quae ad sacros ritus sacrasve caeremonias spectant, Congregatio pontificalis potestatis plenitudine gaudet, et cum reformat, corrigit aut judicat, illa loco Pontificis ac ejus nomine facit. Imo quod nuperrime declaratum fuit a S. P. Pio Papa IX (quem Deus incolumen servet), „Decreta a S. C. emanata, et responsiones quaecumque ab ipsa propositis dubiis, scripto formiter editae, eamdem habent auctoritatem, ac si immediate ab ipso summo Pontifice emanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suae." Inde ergo, si S. R. Congregatio decretum aliquod promulgat, dubiumve solvit, inconsulto s. Pontifice, illud decretum, illa responsio tamen eadem auctoritate fulciuntur, eamdem vim praeceptivam habent, non secus ac si ab ipso Pontifice directe et immediate emanassent. Ea sane est suprema potestas.

3. Hinc concludendum est, quod S. R. C. decreta sunt necessarius rubricarum fons, modo tamen omnibus conditionibus

ad obligandum requisitis vestiantur. Inquirendum ergo est, num omnia decreta, an vero nonnulla tantum eas conditiones habeant. Porro tres ad obligationem pariendam in decretis requiruntur conditiones. Prima est potestas et auctoritas, secunda voluntas ligandi inferiores, et tertia publicatio sufficiens. Modo demonstravimus in S. R. Congregatione esse potestatem supremam et auctoritatem; restat ergo, ut de aliis investigationem instituamus.

4. Et primo res sit de publicatione. Non modo S. R. C. resolutiones mittuntur in forma authentica ad eos, qui ipsam Congregationem interrogaverunt, sed etiam Romae saepe publici juris fiunt, et ex Roma in universi orbis provincias deveniunt, sive per menaeos, sive per auctores fide dignos traditae. Imo vero s. Congregatio Rituum, omnia sua decreta colligi et publicari jussit, et illam collectionem authenticam declaravit. Nemini ergo licebit excusationem in decretorum ignorantia invenire, aut aliquid ultra exigere, ut discernere queat, num revera a S. C. R. aliquod emanaverit decretum. Caeterum nuper a s. ipsa Congregatione declaratum est, quod omnimode sufficienter publicentur decreta sua, cum in collectione authentica typis eduntur. „An tanquam formiter edita habenda sint decreta et responsiones in collectione authentica Gardelliniana inserta? *Affirmative,* ut patet ex adjecta declaratione.“ [1]

5. Num vero Congregatio voluntatem habeat omnes ligandi vi singulorum decretorum? En praecipua difficultas, ad quam enucleandam multiplex distinctio necessaria est.

(A) Primo secernamus decreta formaliter generalia, qualia sunt, quae prae se ferunt titulum *Decretum generale, Urbis et Orbis,* itidem ea, quae licet talem inscriptionem non habeant, concluduntur tamen per clausulam evidenter universalem; v. g. „Et ita in posterum, tam in dioecesi N. quam ubique servari voluit et mandavit.“ Aut istam: „Ubique locorum idem prohibendum prout omnino per Ordinarios prohiberi mandavit.“ Talia decreta, nullo refragante, ad omnes diriguntur, cum s. Congregatio ad omnes illa dirigere intendat.

---

[1] Cfr. *S. R. C. Decreta alphabetica,* ubi textum reperire est.

(B) Secundo extra controversiam ponamus decreta, quae sunt gratiae, dispensationis aut privilegii. Illa utique non sunt universalia.

(C) Itidem non attendendum hic ad ea decreta, quae, etsi non sint gratiae aut privilegii, tamen sive ex particularibus circumstantiis, pro quibus lata fuere, aut ex ipsorum verborum formulis, abundanter se produnt, non ut regula generalis, sive ut applicatio aut explicatio juris communis, sed ut regula pure localis, seu dispositio alicui regioni, ordini congregationive specialis.

(D) Hinc disquisitio instituenda est solummodo quoad illa decreta, quae in sua forma aut inscriptione particularia, revera tamen ad materiam universalem spectant. Animadvertisse haud est necesse, exceptum esse casum aut indulti aut consuetudinis a. s. Sede approbatae.

§. II. Quod obligent omnia decreta in materia universali.

1. En praesentis controversiae cardo: „An decreta, quae sunt particularia quoad occasionem, formam aut inscriptionem, sed quorum materia est universalis, sint aequivalenter generalia, ita ut ligent omnes ecclesias, quae aut indultum, aut privilegium apostolicum, aut consuetudinem a s. Sede approbatam, ut ab illis se eximant, non habent?“ Huic porro quaestioni affirmativam damus stabilimusque responsionem.

2. Talis est, si Cavalierio fidem habemus, sensus omnium liturgistarum.[1] „Habent S. R. C. decreta, ut licet ad particularium personarum instantias, aut quaesita emanata sint, ad normam et exemplum pro iisdem et aliis similiter casibus, in Ecclesia universali deserviant, nisi peculiaris adsit ratio, vel inspecta sit circumstantia, quae decreta penitus particularizet, et ultra personas vel ecclesias, pro quibus emanarunt, protendi ea non sinat. Talis est se in sacris Ritibus dirigendi praxis omnium ecclesiarum, talis est sensus omnium doctorum, qui de sacris ritibus vel caeremoniis scripsere; et si talis non foret procedendi ratio, vel nulla, vel nimis inconstans ac varia eorumdem sacrorum rituum ac caeremoniarum extaret norma

[1] Oper. tom. I. cap. 6. decret. 3. n. 4 et 11.

ac regula, cum fere omnia eorumdem directiva decreta ad instantiam particularium personarum sint emanata, et admodum pauca sint decreta generalia.“ Consentiunt Carli,[1] Pavone, Fornici aliique, qui post ipsum scripserunt. Non praetereundum vero, quod si omnes rubricistae non ita expressis verbis suam sententiam patefaciunt, ex illis tamen nullus est, qui hic illicve ad suas opiniones tuendas, non afferat aliquod hujusmodi decretum, quasi dirimat omnem controversiam, et ita de facto omnes nostrum principium agnoscunt.

3. Gardellini idem principium passim enunciat applicatve. Suo in commentario in instructionem Clementinam, ut certam affert regulam, qua prohibetur, ne Missa celebretur ad Altare, in quo expositum est s. Sacramentum, illamque uno et altero in sua forma particularibus decretis astruit. „Siquidem, ait, duo supra laudata decreta, ut generalia habenda sunt, quamvis prodierint in casibus particularibus; non enim decidendi ratio petenda erat a peculiaribus facti circumstantiis, verum a jure, principalique subjecto.“ Plurima loca ejusdem auctoris in eodem sensu proferuntur apud menaeum *Revue théologique.*[2]

4. Imo ex ipsa sacrorum Rituum Congregatione discimus, omnes ecclesias ligari per decreta peculiaria, quorum materia est universalis. (A) Saepissime enim respondet *Serventur decreta;* quoties porro decreta, quae servari jubet, sunt peculiaria quoad formam, prodieruntque sub titulo alterius ecclesiae, toties ipsa Congregatio docet, per illa decreta non modo ligari eam ecclesiam, cujus nomine prodierunt, sed etiam reliquas omnes. An legislator unquam jubet, ut serves aliquod decretum, cum ad te decretum illud non spectet? Minime, sed in tali hypothesi, aut ad te extenderet vim obligatoriam decreti, aut denuo illud ferret.

(B) Plurima sunt facta, ex quibus nostra thesis evidenter patet. 1° In suo decreto generali de die 7. Septembris 1816. queritur, sua decreta non observari, specialiter in abbatia Farfensi; porro decreta illa, de quibus loquitur, sunt particularia, et missa ad ecclesias, a quibus omnino independens

[1] In sua *Bibliotheca liturgica* Vol. I. pag. 449 sub verbo *Decreta S. R. C.*

[2] Quarta serie, pag. 585.

erat abbatia Farfensis. 2° Decreta, quibus thurificatio prohibetur in Missa cantata absque ministris sacris, absque exceptione sunt particularia, quoad formam et inscriptionem; ast s. Congregatio utique ut vim habentia illa considerat. Etenim Briocensi Episcopo petenti, ut ritum contrarium retinere valeat, respondet: *Omnino abstinendum utpote decretis et praxi contrarium.* Post biennium ad novam instantiam Praelati respondet iterum: *Serventur decreta.* 3° In suo decreto de die 7. Decembris 1763. *in Mediolanen.* declarat Congregatio se, per decreta subsequentia de eodem objecto, nempe 26. Nov. 1735., *in Hispalen.* et 8. Martii 1738., *ord. Capuc. Peruan.*, revocatum fuisse decretum sub die 7. Dec. 1680 latum *in una Canonic. Lateranen.* Atqui haec tria decreta particularia sunt, tum quoad occasionem consulendi, tum quoad formam et inscriptionem. Ex hoc ergo patet, illa haberi a s. Congreg., ut aequivalenter generalia; nimis enim absurdum esset, supponere, decretum aliquod pro canonicis Lateranensibus latum abrogatum fuisse per aliud decretum ad Capuccinos Peruanos missum.

5. (C) Si tandem talia decreta particularia non forent aequivalenter generalia, S. R Congregatio fini suae institutionis vix responderet, et parum utilitatis afferret ecclesiae; quod nemo inficias ibit, inspectis tum ejus praerogativis, tum magna, qua pollet, potestate. Etenim in hac hypothesi, sola tibi essent obligatoria decreta, aut generalia aut illa, quae tibi ipsi petisti. Caetera, id est fere omnia in dubium revocarentur juxta uniuscujusque placitum, et decisio S. Congregationis non pluris fieret ac sententia alicujus inferioris tribunalis, a qua in omni casu appellatio daretur ad auctoritatem superiorem, quae hic foret opinio communis. Quis autem non videt, hoc esse omnino impossibile, consideratis officio, munere et potestate S. R. Congregationis, partibusque, quas in ecclesia ex mente ss. Pontificum implere debet.

6. Hinc vere et ubique obligatoria sunt decreta cum clausulis praeceptivis aut prohibentibus, sive expressis, sive implicite contentis. Item ubique obligant decreta, quibus confirmatur aut rubrica praeceptiva, aut jam antelatum decretum

obligatorium, cum sint legis authentica interpretatio. Quod ad illas resolutiones attinet, quae interpretantur rubricas pure directivas, juxta sensum supra explicatum, ipsaemet sunt pure directivae, nisi forte tamen clare pateret, esse praeceptivas. Caeterum ultro fatemur, tales resolutiones numero paucissimas esse, si cum aliis conferantur.

§. III. Solvuntur difficultates.

1. Quum ad vim istorum argumentorum directe infringendam se impares sciant adversarii, ex ipsa decretorum forma suas objectiones hauriunt. Quas breviter una cum responsis exponamus.

In conclusione nonnullarum resolutionum reperitur clausula *ita servari mandavit*, quae in multis aliis non habetur. Undenam vero haec differentia, si aeque obligatoria sint omnia decreta?

1° Respondemus, quod, etsi rationem hujus differentiae invenire non possumus, nullatenus tamen nostra thesis rueret, quippe quae in solidissimis probationibus fundatur.

2° Generaliter formulam *servari mandavit* non adjicit s. Congregatio, nisi aut dum unicum dubium illi submittitur, aut dum quaestio cum quadam contentione agitatur, sive in aliqua civitate, sive in dioecesi. Quod ad resolutiones attinet, in quibus agitur de pluribus et diversi generis dubiis, ordinarie clausula haec non additur, cum inter illa dubia proposita nonnullum aut novam explicationem requirit, aut postulat gratiam vel exemptionem a jure communi; porro in hoc casu ab illa clausula imperativa abstinet s. Congregatio, cum ad omnia contra suam mentem extendi deberet. Sint ad exemplum resolutiones, quae prodierunt die 11. Septembris 1847. Ex decem responsionibus plura dubia continentibus, unica clausulam imperativam habet; ista vero pro objecto habet dubia ab ipso Congregationis secretario collecta, referturque sub n. 4953.

Quae explicatio confirmatur ex clausula finali alicujus resolutionis, in qua s. Congregatio nonnullos usus toleravit, alios

vero rejicit. En ea formula: *Atque ita rescripsit, declaravit, indulsit, servarique mandavit* (n° 4904). Quis porro ad tantam verborum exuberantiam teneri Congregationem contenderet, postquam sufficienter jam in resolutione cujusque dubii mentem suam sat clare aperuit?

3° Demum, si haec explicatio haud satisfacit, aliam addere licebit. Saepe enim foret inutilis clausula *servari mandavit.* Cum enim s. Congregatio respondeat *Serventur decreta,* aut *Juxta decreta alias edita,* aut *servetur rubrica Missalis, Ritualis,* inutile foret exprimere, quod intendit obligare, cum rubrica aut antecedentia decreta jam ligent, et tantummodo in suo robore serventur.

2. Curnam aliqua decreta vocantur generalia, *Decretum generale?* Nonne ex hac ratione, quod alia decreta ubique non obligent?

Plures diversaeque sunt circumstantiae, in quibus utile videtur s. Congregationi, si decretum ferat generale, et ita: 1° Quando abusus aut corruptela videtur indies latius disseminari et serpere; ex tali motivo prodiit decretum de die 15. Maii 1819. 2° Quum difficultas aut dubium pluribus ecclesiis sit commune; et ita emanavit decretum generale 13. Martii 1804. 3° Cum comperiat s. Congregatio, non obstantibus decretis particularibus, corruptelas aliquas perdurare in nonnullis ecclesiis, et sua decreta quasi contemni, tunc fert generale decretum. Ex ista ratione decreta tulit 7. Sept. 1816, 31. Maii 1817, ut ex ipso textu clare patet.

3. Quare Congregatio, in decreto 11. Sept. 1847. in Angelopolitana, cum respondisset, sua decreta omni consuetudini etiam immemorabili derogare et obligare in conscientia, addere voluit, *sed recurrendum in particulari?* Nonne quia non vult sua decreta particularia pro aliis lata servanda esse, absque Sedis Apostolicae placito?

Nequaquam. Nam 1° idem dicendum foret de decretis generalibus, cum ibi nulla exceptio adducta sit. 2° Esset absurdum, si ita loqueretur s. Congregatio: *mea vos ligant decreta, sed prohibeo, ne ea servetis absque meo placito.* 3° Ex hoc absurdissima sequerentur, cum quisque vanos, ridiculos et

deflendos abusus retinere cogeretur, usque dum per se ipsum sanctam Sedem adierit. 4° Demum sensus hujus resolutionis sat patet. Ibi enim agitur de consuetudinibus immemorabilibus, quas eliminare saepe difficillimum est. Equidem s. Congregatio respondet, per sua decreta tolli quamcumque oppositam consuetudinem, sed addit, quod pro casibus, in quibus nonnullae apparent practicae difficultates, consulenda sit sancta Sedes, a qua discant, num illa consuetudo aliquamdiu tolerari possit, aut statim abolenda.

4. Plura decreta inter se opponuntur; quomodo ergo ea simul servare licebit, si omnia sint obligatoria?

(A) Quaestio non vertitur circa decreta, quorum materia non est universalis, et quae notam regulae pure localis habent. (B) Nec agitur de duobus decretis, quorum prius per subsequens abrogatur formaliter, cum insit s. Congregationi potestas suas leges mutandi. (C) Neque de decretis, quorum alterum generale est, alterum vero gratiam, dispensationem aut exceptionem continet. (D) Supersunt ergo tantum decreta formae particularis et in materia universali, ac revera inter se opposita. Ast illa decreta numero sunt paucissima; insuper admitti debet, quod prius latum per posterius revocatur saltem implicite. Ita rem explicat doctissimus Gardellini in praefatione ad collectionem authenticam, et idem declarat ipsamet s. Congregatio, ut jam supra monuimus.

Difficultas ergo reipsa non existit.

5. Tandem opponuntur variae formulae, quibus utitur s. Congregatio in suis decretis; v. g. *Dilata, Ad mentem, Juxta consuetudinem,* aut res ad arbitrium remittitur Ordinarii, nonnunquam vero resolutionem approbat s. Pontifex.

Sed ex his nullatenus infirmatur vis decretorum praeceptiva. Quod responsionem differat s. Congregatio, ut res maturius examinetur, aut cum instructionem ad Ordinarium mittat, aut illi rem finiendam committat, quid inde concludi possit? Si modo generali Congregatio aliquam approbet consuetudinem, omnes illam sequi poterunt, alias erit concessio localis et peculiaris. Demum aliquoties S. P. decretum approbat ad solemnitatem rei, et ut facilius et certius omnes veritatem ad-

mittant, sed haud inde sequitur, quod caetera decreta ab ipso mediate non promanent, nec eamdem vim in se obligandi habeant.

6. S. R. Congregationis decreta in sensu stricto non promulgantur, dubitant vero nonnulli, num promulgatio formaliter requiratur, ut vi obligandi praedita sint.

De essentia legis est, ut promulgetur, verum eadem non est ratio de interpretatione legis a legislatore facta. Irrefutabili demonstratione haud ita pridem haec differentia stabilita fuit a menaeo *Mélanges théologiques*, ubi (tom. 1. pag. 70.) adducuntur textus expressi juris canonici. Nec praetereundum, in eo, quod ad sacros ritus attinet, manifestam et expressam esse voluntatem s. Pontificis, ut supra dictum est, ita ut nunc ullum dubium suboriri nequeat.

Excipiendae tamen sunt declarationes extensivae, illae scilicet, quibus jus novum conditur, cum reipsa sub hoc respectu sint leges, et quatenus leges sunt, promulgari debent, saltem Romae: quae promulgatio sufficit, juxta s. Alphonsum et communem sententiam theologorum et canonistarum.[1]

Caput tertium.

De auctoritate rubricistarum.

1. Ad paucas numero regulas principia, quae sequi nos oportet in applicanda rubricistarum doctrina, reducemus.

1° Quum omnes aut fere omnes liturgistae, in rubrica aut decreto innixi authentico, docent rem aliquam praeceptam aut

---

[1] Pauca dicamus de usu et interpretatione decretorum. (A) Per responsum *et amplius*, causa significatur omnino finita, et nova negatur instantia. (B) Si *lectum* vel *relatum* dicatur, preces repulsas intellige. *Nihil* idem est ac non admittitur petitio utpote incongrua. (C) *Pro gratia* importat dispensationem, privilegium, et monstrat a contrario principii contradictorii veritatem. (D) *Dilata* responsio est, cum congregatio dubium non solvit, ut maturius examinetur. (E) *Ad mentem.* Hac utitur formula, cum sibi proponit instructionem ad aliquem ordinarium mittere, circa casus difficultatibus in praxi obnoxios.

Interpretatio decretorum fit ad instar interpretationis legum. Hinc privilegium in aliquo casu concessum non extenditur ad alium, etiam cum majori ratione. Quod resolvitur pro uno casu ad consimiles casus applicari debet, et casus, qui sunt exceptis consimiles, excipi debent, licet mentio de iis non fuerit facta. Cfr. Cavalieri, tom. II. cap. XVIII. decret. 6.n. 5; decret. 8. n. 2., et cap. XX. decret. 6. n. 2. Pavone, *La Guida liturg.*, discors. prelimin. n. 26.

prohibitam esse, eorum doctrina omnino sequenda est, et temerarium foret, ab ea recedere. Et ratio patet, cum ita in suis scriptis sensum generalem, aut consuetudinem interpretativam, quae, ut omnes fatentur, testis est irrecusabilis obligationis, solummodo traduxerint.

2° Quum omnes rem aliquam esse licitam, nec aliquo decreto, aut aliqua rubrica prohibitam docent, eam doctrinam sequi licet, usque dum oppositum probatur.

3° Si vero unanimi doctorum placito opponitur decretum clarum et evidens, in materia universali S. R. Congregationis, istud sequi oportet, illud autem relinquere.

4° Caeteris paribus potior est sententia modernorum, praecipue autem illorum, qui de caeremoniis Romae scripserunt, aut in Italia, cum facilius ipsis licuerit, Romanae Ecclesiae caeterarum matris et magistrae praxim cognoscere.

5° Caeterum cum agatur de interpretanda rubrica, vel decreto, tantum valet auctoritas scriptoris, quantum vis probationum ab illo adductarum.

6° Demum ut valeat lector auctoritatem scriptorum, quorum sententiam in hoc opere retulimus ponderare, de eorum libris, juxta ordinem chronologicum brevem mentionem faciemus.

2. Et primum Gavantum citamus, non quod revera prior omnium de rubricis scripserit, sed quia alios, qui praecesserant, superavit, tum sua doctrina, tum methodo et diligentia. Imo hodiedum ab omnibus habetur princeps et creator scientiae liturgicae, et plurimi fit ejus auctoritas. Ejus opus, quod ad nos spectat, nempe *Thesaurus sacrorum rituum*[1] tripartitum est. Prima pars Missale, secunda Breviarium et tertia Calendarium perpetuum explicat. In prima parte refert auctor textum rubricae integrum, cui commentariola addit. Securus ergo studebis Gavanti consultoris S. R. C. libris, qui severo examini subjecti fuere. „Haec scripta, ait ipse, S. R. Congregationis examini, quod fuit rigorosum, subjiciendo, acerrimis

[1] Quem *Thesaurum* Claudius Arnaud Oratorii succincte reduxit in volumen in 32: *Epitome Thesauri*, etc.

ingenio, judicio, prudentia, et in omni doctrinarum genere peritia, clarissimis designatis judicibus, J. Garzias Millino, Tiberio Muta, Albysino Cajetano S. R. E. Cardinalibus, toto orbe celeberrimis."

Multoties Gavanti thesaurus impressus est, utimur sat recenti editione, nempe Coloniensi, 1734.

3. Immediate post celebrem Gavantum merito venit ejus, haud minori celebritate decoratus, commentator *Cajet. Merati,* licet uno transacto saeculo scripserit[1] sua commentaria. Erat et ipse Merati S. R. Congregationis consultor, et in archivis decreta suis oculis inspicere et legere potuerat. Cum Gavanto auctoritate par est, imo superior, nec nisi ipso duce sacrae liturgiae sanctuarium ingredi poteris, cum ejus scripta caeteris eruditione, diligentia et abundantia rerum praecedant. Sed adnotare non omiserim, ista ratione scribendi *Novas observ. et addit. ad P. Gavantum,* plurimam nasci confusionem, et exinde non mediocrem investigandi difficultatem.

4. *Manuale sacrarum caeremoniarum:* en titulum libri editi a Michaele Bauldry quondam Latiniacensis, postea Malleacensis cathedralis,[2] ac regularis ordinis s. Benedicti magno Priore: qui titulus reipsa libro congruit. Quippe est manuale absolutissimum complectens caeremonias in Missis, Matutinis, Vesperis, caeterisve functionibus servandas. Quodcumque ministerium, quaecumque functio singulatim et sub proprio capite explanatur. Peritissimos consulere curavit, Gavantumque tum litteris, tum personaliter adivit, quin etiam bis Romam petiit, ut doctissimum virum illum, cui synchronus, erat interrogaret. Illud tantum notabimus, quod ex iisdem rebus repetitis liber amplior, quam par erat, evasit, et quod ex accuratiore dispositione facilius adiretur. In lucem editus fuit Parisiis, anno 1646. Anno 1665 adhuc ignotus in Italia tandem per Cardinalem Bona, cui Acherius opus commendaverat, innotuit. Ex eo tempore, ut merebatur, nullo caruit successu. Undecies saltem Venetiis impressus fuit, ut alias praetermittam editiones.[3] A Benedicto XIV.

[1] Gavanti opus approbatum est anno 1627, et *Novae observat. et additiones* anno 1735.

[2] Malleacensis ecclesia anno 1010. fundata, Cathedralis evasit sub Joanne XXII. anno 1317. Sed postea, anno nempe 1648., sedes illa ad Rupellam fuit translata.

[3] Praefato Manuali consimilis est *Praxis caeremoniarum Ecclesiae,* auctore *du Moulin,*

(Instit. XXIX. n. 3) Bauldry vocatur *caeremoniarum peritissimus.*

5. Andreas Piscara Castaldus absolutissime sacras caeremonias exponit, et non tantum de Missa, sed etiam de processionibus aliisque functionibus publicis agit. Antiquior est ipsi Bauldry, sed in his partibus raro invenitur.

6. Gerlacus Vinitor ecclesiae s. Ursulae, in urbe Coloniae Agrippinae vicarius, exeunte decimo septimo saeculo, in lucem edidit *Compendium sacrorum rituum,* in quo exponuntur omnes caeremoniae, quae ad Missam privatam aut solemnem aut pontificalem spectant. Pretiosum valde absolutumque est illud compendium pro ea parte, quam exponit, et ex eo plura depromere non omisimus. Idem auctor unum volumen de Sacramentorum ritibus edidit.

7. Pauli Mariae Quarti commentarium de rubricis Missalis apud omnes fit plurimi; plus tamen ille auctor ad rubricas generales applicuit animum, et potius nomine theologi, quam rubricistae dignus est.

8. P. Guyet, e societate Jesu, in sua *Heortologia,* quae ad festa specialia spectant, tractavit. Multa et quidem excellentissima ac rarissima opus illud continet. Attamen auctor praeconcepto systemati nimis adhaerere videtur, et quoties libet, Gavanti auctoritatem minuere conatur. Sat raro in nostro opere citatur.

9. P. Lohner, ejusdem societatis, inter alia opera, *Instructiones practicas de Missa et Breviario* edidit, quae non parum absolutae sunt. Attamen, praeterquam quod nonnulla frequentius repetuntur, non sat attendere videtur auctor ad textum ipsum rubricae. Utique omni laude digna est pars illa, in qua ita disponitur textus, ut eodem aspectu et verba proferenda et actiones eodem momento agendas perspicias. Quod tabellarum genus tantum nobis prae se ferre utilitatem ad caeremonias addiscendas visum est, ut eo modo Missam

---

Arelatensi Vicario generali, opus expetitum a Congregatione Cleri gallicani, anno 1645. approbatum vero ab eadem anno 1665. Verumtamen vix notum extra Galliam fuit, cum auctor patrio idiomate usus fuerit.

solemnem aliasque solemnes functiones exponere decreverimus.

10. Hippolytus a Portu, ex eadem societate, in priori tomo operis *De cultu Dei et hominum*, rubricas Missae tum privatae, tum solemnis, in minimis etiam, et magna auctorum caterva adducta, explicat. Textus tamen non scinditur, cum in alia columna laterali afferantur rubricistae. Plurimi aestimatur apud caeremoniarios, et forsan caeteris absolutior est in hac parte.

11. Constantinus Hagerer, e familia s. Francisci reformata, auctor est librorum *Ritus exactus servandus in celebratione Missae privatae*, et *Tractatus in tertiam partem rubricarum Missalis Romani de defectibus in celebratione Missarum occurrentibus*. Judicio pollet, ad singula descendit, studioque facilis est.

12. P. Halden, Societatis Jesu, *Ephemerologium ecclesiastico-liturgicum* edidit rebus abundans. Verumtamen cum ante scripserit quam S. R. Congregationis maxima decretorum pars publici juris facta fuerit, ejus doctrina in pluribus est linquenda.

13. B. Corsetti in sua *Praxi sacrarum caeremoniarum* opus Castaldi breviori formula perstrinxit. Tum Missam, tum Sacramentorum administrationem aliasve sacras functiones explicat. Quae pars ultima sane utilior est.

14. S. Buongiovanni, Franciscanus, etsi breve, absolutissimum tamen opus de caeremoniis edidit, nempe *Sacrarum caeremoniarum Sylva*, quo frequenter usi sumus.

15. Heic loci, juxta temporis ordinem, Merati nominare deberemus. Nam haud longe post illum scripsit Cavalieri sua *Commentaria in decreta authentica S. R. Congregationis*, opus sane eximium, ac rebus plenum. Ast non laudanda zelotypia captus, Meratum carpit, insequitur, illiusque gloriam obscurare conatur. Hinc saepe ab illo et a communi sententia discedit, et verba frequenter aucupatur. Maxime dolendum est, Cavalierium ipsum non potuisse suis *Commentariis in Missam* ultimam admovere manum. Postremum enim tomum dum praepararet, fatum obiit supremum, et alii munus obtigit in lucem edere. Haec pars ultima, nec non magni momenti, in V. tomo operum reperitur.

16. Benedictum XIV. satis superque est nominare. In eis, quae scripsit *De Sacrificio Missae* non secus ac aliis, eruditio ejus ingeniumque mirifice elucent. Sed cum potius rituum antiquitatem sensumve mysticum quam explicationem litteralem indagaverit, raro ad ejus patrocinium appellabimus.

17. Collet in suo tractatu gallice scripto *De mysteriis sacris* est theologus, non ita rubricista. Ipsum nihilominus adivimus, ubi res est de Missae accidentibus.

18. F. Tetamo vestigia P. Halden secutus *Diarium liturgico-morale-theologicum* composuit, ac in duas partes, quarum unaquaeque quatuor comprehendit volumina, publicavit. In priori parte omnes difficultates, quae quotidie, tum in celebratione Missae, tum in officii divini recitatione occurrunt, diluit; in secunda vero tractat de festis mobilibus ac diversis temporibus anni ecclesiastici, incipiendo ab Adventu. Tandem ultimus tomus continet Appendicem, in qua habet de expositione ss. Sacramenti, Missis votivis et defunctorum, festis patroni, titularis etc. Advertimus tamen, illud opus haud esse pure liturgicum, sed quasi pro media parte theologicum, unde sapienter ageret aliquis editor, qui unam ab alia partem dividens, pretio haud magno, seorsum quae ad liturgiam spectant denuo publicaret. Tetami opus sub oculis habuimus, nostrum calendarium fixum et mobile scribentes (Cfr. Sectionis IV. cap. 1. et 2.).

19. *La Guida liturgica* Patris Pavone, e congregatione ss. Redemptoris, brevius et clare concinnatam refert doctrinam Cavalierii et Tetami. Cum auctor ille, pereunte saeculo XVIII. scripserit, hoc commodo fruitus est, ut multa decreta antiquioribus ignota cognoscere et applicare ipsi licuerit. Haud sufficientem tamen studiosis facilitatem praebet liber ille, cum plurimum deficiat in divisione, nec non in indice alphabetico.

20. Janssens in sua *„Explicatione rubricarum Missalis Romani“* methodum Hagereri sed excellentiori modo secutus est. In ipso textu rubricae, charactere italico distinctae, suum commentarium inserit, sicque primo intuitu ea, quae sunt praeceptiva, ab aliis secernuntur. Illo opere communiter utuntur Flandri, nec id eis vitio vertendum, cum praefatus auctor saepe recte et erudite interpretetur rubricam. Nonnullum deest tamen,

nempe index alphabeticus. Stylo utitur adeo forti et conciso, et tam multa quolibet articulo complectitur, ut soli doctiores et non sine mentis gravamine aliquid in eo invenire queant.

21. Romsée, etsi in ipso reperiantur, quae ad scientiam elementarem et sufficientem rubricarum necessaria sunt, tamen in non paucis deficit. Nova editio, quam nuperrime dedit D. Hazé, Leodiensis professor, multo antecedentibus superior est, tum ex materiarum ordine, tum ex veriori doctrina.

22. Baldeschi meritum duplex haud spernendum habet, quod recens sit, et Romae fuerit publicatus. Verum tamen non sufficit illud opus, ut studiosi apprime noscant applicentque *caeremonias sacras expositas* ibi, ea praesertim ratione, quod non sufficienter ad particularia descendat. Illud patet ex nostra expositione, simulque apparet ipsum interdum a sensu communi auctorum recedere.[1]

23. Praefata opera jam in prioribus editionibus recensebantur. Ast ab ultima nonnullos, qui nos latebant, libros liturgicos magni valoris nobis comparavimus.

1° Turrini *Directorium sacrificantium,* in tres partes divisum. In prima explicantur omnia, quae ad celebrationem Missae requiruntur, secunda caeremonias tum privatae tum solemnis Missae explorat, demum in tertia afferuntur functiones solemnes hebdomadae sanctae etc. Verum ille auctor non commentarium omnium rubricarum scribit, sed nonnullas selectas absolutis explicationibus ornat. Recto judicio praeditus opiniones suas validis rationibus fulcit.

2° *Direttorio sacro* Patris Laboranti e Recollectorum familia. Excellens caeremoniale, quod ullus nimiis laudibus extollere nequeat, impressum Venetiis anno 1783. Ex quo multa deprompsimus, in praesenti editione adornanda.

3° Dalfiume de novo edidit opus Bencamati, *Ritus servandus in celebratione Missae,* cui italico sermone notabiles

---

[1] Heic loci adnotare non omittamus proprium hujus libri auctorem haud esse Baldeschi, sed R. Borgia, Firmanum Archiepiscopum. Operi primitivo Bald. nonnullas citationes, aut notas, ac functiones tertiae et quartae partis addidit. D. Boissonnet hunc librum gallico idiomate integrum denuo edidit in *Dictionario S. Rituum*, op. Migne, in 3 tom. 8°. Itidem D. Favrel illum eadem lingua publici juris fecit, sub titulo *Cérémonial romain.*

additiones, specialiter de disciplina in choro servanda, fecit. Bononiae, anno 1786, hoc opus prodiit.

4° *Caeremoniale Canonicorum*, seu institutiones practicae, pro Collegiatis, aut Cathedralibus absente Episcopo; ita fert titulus libri a *Nicolao de Bralion*, Congregationis Oratorii presbytero compositi, et anno 1657. approbati. Opus rarum, caeremonias exacte exhibens. Saepe illud in suis commentariis appellat Merati.

24. In Rituale Romanum noti sunt commentarii Catalani et Baruffaldi. Hic ad praxim spectans plura valde utilia adnotavit. Ille potius eruditioni studens, Martenio mutuatus est maximam partem sui commentarii.[1]

25. Saepe saepius quid de auctoribus nostri aevi sentiremus expostulatum est, quibus annuentes precibus, de illis auctoribus verbum breve facimus.

Inter omnes eminet D. de Conny, cujus *Caeremoniale Romanum* rebus plenum, notionibusque praecisis et raris abundans, insuper lectu facile et delectabile est.

In multis deficiebat *Caeremoniale Romanum* D. Favrel, ait unus ex Praelatis, qui recentiorem editionem approbarunt, et emendari necesse habuit. Quod suscepit P. Levavasseur. Dubio procul, liber est sanioris doctrinae, sed studiosis labo rem parere natus est. Baldeschi, sub cujus nomine opus primo prodierat, in eo vix nunc apparet.

Sacrae liturgiae praxis, titulus est libri D. de Herdt. Omnia decreta, quae ad materias enucleatas imo vix spectant, nullo praetermisso, refert; verum hac in re potior fuisset mediocritas. Quod ad caeremonias attinet, liber caute legendus, quippe cum auctor a dioecesanis usibus distractus oblivisci nonnunquam videtur tum rubricae, tum decretorum S. R. C. Methodum secutus est Gavanti et Merati.

26. Ex his, quae breviter scripsimus, scientiae liturgicae principes noscere, de eorumque operibus judicare haud erit difficile. Nobis mens non est, in rebus controversis quidquam

[1] Ex quo prodiit prior editio Compendii nostri, alios quoque rubricistas nobis comparare licuit, de Carpo, Jacobs, Cuppini, Carli, etc. Istos vero non adducimus.

definire; sufficiat praecipuas opiniones cum suis patronis adducere; interdum equidem sententiam, quae nobis perplacet indicamus, sed tantum ad consulendum lectorum utilitati.[1]

Caput quartum.

De consuetudine in re liturgica.

1. Ratio, quam maximi faciunt plures contra observantiam legum liturgicarum, ultimum refugium eorum, qui per altum libertatis mare navigare cupiunt, argumentum, quo, juxta ipsos omnes solvuntur difficultates, consuetudo est. Talis est usus paroeciae, dioecesis, et tam vano praetextu spernuntur leges notae evidentiae et certitudinis. Nobis ergo remanet, ut valorem aut potius vanitatem istius rationis ponderemus, et perquam facile ostendemus, multum a vero errare illos, qui consuetudinem clamant, ut a lege liturgica se liberent.

2. Est principium certum, ab omnibus, nullo excepto, theologis et canonistis, propugnatum, quod si consuetudini vis legem abrogandi tribuitur, hoc venire a *solo consensu* legislatoris.[2] Actuum frequentia, temporis diuturnitas, usus universalis non requiruntur, nisi ut conditiones, quibus positis, legislator consensum, sive tacitum, sive explicitum actibus illis consuetudinariis tribuit. Haec sunt evidentia. Hinc sequitur, quod stante gallico codice civili, nulla consuetudo, etiamsi maxime rationabilis et diuturna, vim habet legem civilem generalem, imo municipalem tollendi, quia omni consuetudini deest legislatoris consensus legalis. Hinc quoque sequitur, et conclusio patet, quod consuetudines a legislatore ecclesiastico reprobatae, illique usus, quibus legalem denegat consensum, legem ullam abrogare nequeunt, etsi sint diuturni et universales, cum, ut jam praemonuimus, tota vis consuetudinis oriatur ex consensu legislatoris.

---

[1] Haud satis tamen commendare possumus opus gallice scriptum: *Introduction aux cérémonies romaines*, a *D. Bourbon*, Lucionensi Canonico elaboratum, anno 1863.

[2] Cfr. Bened. XIV. *De Synodo dioeces.*, lib. 12. cap. 8. n. 8.

3. Porro non desunt argumenta mentis et voluntatis legislatoris in re liturgica. Pluries summi Pontifices omnem consensum consuetudinibus contrariis rubricis librorum liturgicorum denegari, talesque consuetudines potius esse abusus et corruptelas declararunt. Praeter enim bullas s. Pii V., habetur constitutio Innocentii XIII. d. d. 13. Maji 1723., (a Benedicto XIII. innovata, die 23. Sept. 1724),[1] qua Episcopis injungitur, ut „abusus omnes, qui in ecclesiis aut saecularibus aut regularibus contra praescriptum Caeremonialis Episcoporum et Ritualis Romani, vel rubricas Missalis et Breviarii irrepserint, studeant omnino removere."

4. Per suum decretum, quod in principio Missalis addi curavit, Urbanus VIII jubet, per omnia et in omnibus sequi rubricas Missalis, *non obstante quocumque praetextu, et contraria consuetudine, quam abusum esse declarat.* Item, quoties ei data fuit occasio, S. Rituum Congregatio sollicite ad exactam rubricarum observantiam omnes revocavit, ac consuetudines illis contrarias ut abusus damnavit. Nonnulla sint exempla. Die 15. Martii 1591 declarat quod „consuetudines, quae sunt contra Missale Romanum, sublatae sunt per bullam Pii V. in principio ipsius Missalis impressam, et dicendae sunt potius corruptelae quam consuetudines." Die 26. Nov. 1652. *in Perusina,* adducentibus usum oppositum respondet: „Non obstante contraria consuetudine, quae potius corruptela quam consuetudo dici debet, cum sit contra rubricas Missalis Romani et Caeremonialis." Die 16. Martii 1658. *in Jacen.,* circa consuetudinem Breviario oppositam statuit „servandas esse rubricas, et contrariam immemorabilem esse abusum." Die 12. Nov. 1831., sequens a Summo Pontifice decretum fuit approbatum. „Caeremonialis Episcoporum legem a summis Pontificibus ... latam et confirmatam hujusmodi indolis esse, ut a nulla contraria consuetudine abrogari valeat, accedentibus praesertim non paucis S. R. C. decretis." Tandem Benedictus XIII. eamdem doctrinam proclamavit in concilio provinciali Romae 1725. habito: „Episcopis districte praecipimus, ut contraria omnia, quae ... contra

[1] Bullar. Luxemburg., tom. VIII. pag. 476. n. 20.

praescriptum Caeremonialis ... vel rubricas Missalis, Breviarii et Ritualis Romani irrepsisse compererint, *detestabiles tanquam abusus et corruptelas prohibeant,* et omnino studeant removere; *quavis non obstante* interposita appellatione, vel *immemorabili allegata consuetudine.*"

5. Non modo rubrica Missalis aliorumve librorum liturgicorum vim suam, non obstantibus contrariis consuetudinibus, integre servat, sed et ipsa S. R. C. decreta. Summi Pontificis auctoritate illa Congregatio declaravit, per decreta sua, statim ac publicantur, tolli omnem contrariam consuetudinem, et ab opposita nulla consuetudine abrogari decreta. „Inveterata quaecumque in contrarium consuetudo derogare non potest legi a decretis S. R. C. praescriptae." 3. Aug. 1839. *in Triventina.*

6. Agnoscant ergo omnes, frustra allegari consuetudinem rubricis oppositam. Quam, nedum custodiant, eliminare statim studeant, prudenter tamen, et nonnisi consulto Ordinario, si praevideantur difficultates.

7. Leges liturgicas non ejusdem indolis esse ac leges ad disciplinam spectantes, cum per consuetudinem non tollantur, diserte docet Benedictus XIV. Loquendo de modo, quo se gerere debeant Episcopi, cum vident pontificiam constitutionem, si in dioecesi ad viridem observantiam perducatur, locum praebere plurimae difficultati, docet patere recursum ad s. Pontificem, non tamen quando agitur de dogmatibus aut liturgia: „Agitur itaque, ait,[1] de Constitutionibus ad disciplinam pertinentibus; at *non ad illam, quae sacros respicit ritus, caeremonias, Sacramenta,* clericorum vitam; namque isthaec omnia a pontificia pariter auctoritate omnino pendent, ideoque Apostolicae Sedis decreta, quae circa ea prodire contingat, inferiorum judicio et censurae nullo modo subjecta esse debent." Porro eam differentiam explicare haud difficile est.[2] Leges enim disciplinares, cum pro fine habeant communitatis directionem, mutari possunt pro ratione temporum et locorum, ac interdum res utilis est, si legislator mutationem, quam in illis introduxit consuetudo, recipiat approbetque. Ast non eadem valent

[1] *De Synodo dioecesana,* lib. IX. cap. 8. n. 3.

[2] Cfr. de hac re opus eximium D. De Conny *Des Usages et des Abus.*

quoad sacrarum caeremoniarum regulas, cum in illis nihil sit, quo legislator adducatur ad sensui et praxi communitatis consulendum. Ad quid enim sunt sacrae caeremoniae?

8. 1° Fidei christianae dogmata, hierarchiaeque ordinem typice exprimunt.

2° Mysteriorum divinorum oeconomiam allegoriis obnubunt. Sacrae vestes, incensum, lumina, ministrorum diversae actiones, si in cortice non sistamus, praecipuas religionis veritates repraesentant.

3° Demum recentiora tempora prioribus saeculis connectunt, antiquitatis memoriam et veterum usuum vestigia servantes. Quod patet ex vestimentorum sacrorum forma, officiorum ordine, ac sexcentis aliis.

An porro licuisset Ecclesiae temporum aut locorum diversitati curam conferre mutandi actiones liturgicas, illas, inquam, quae ab ipsa creatae, institutae, ab ipsa haud secus profectionem recipere debent? Caeterum qua de ratione actiones illae mutarentur? Hinc clare perspicitur, non modo Ecclesiam non voluisse, sed neque ipsi licuisse permittere ut contra regulas in re liturgica praescriptas praevaleret consuetudo.

9. Non desunt tamen omnino consuetudines, quas posse servari s. Rituum Congregatio declarat, illae nempe, quae sunt, *laudabiles et immemorabiles;* sed cavendum, ne istae voces in alienum sensum detorqueantur. Haec esse debet vera *consuetudo,* id est aliquid cum scientia et intentione factum, non autem res introducta ignoranter aut fortuito; *immemorabilis,* quam plures tradiderunt successivae generationes, cujusque non invenitur initium. Tandem *laudabilis* esse debet, scilicet si ex ea cultus divinus magis splendescat; talis enim consuetudo principiis juris conformis est, cum liturgiae regulis quadrat, et quasi melius disponit quam rubrica. Hinc laudabilis est servarique potest consuetudo caput discooperiendi ad *Sit nomen Domini benedictum,* se signandi ad *Converte nos,* aut *Benedicat,* hebdomadarium salutandi, in principio officii publici, item si canonici Passionem cantant,[1] etc.

[1] Nonnullus auctor recentioris aevi, ut scholasticis verbis loquatur, laudabilem consuetudinem *praeter rubricam* vocat, sed toto coelo a vero aberrat. Consuetudo enim *praeter*

Breviter; consuetudo, quae librorum liturgicorum rubricis contraria est, allegari non potest, nisi fuerit approbata a S. R. Congregatione, et istiusmodi consuetudo nunquam vocari potest laudabilis.

EPILOGUS.

Ex iis, quae hucusque diximus, et ex gravi obligatione, qua quisque tenetur observare tum rubricas, tum decreta S. R. Congregationis, necessario sequitur (ipsis verbis utar P. Pavone[1]) *adesse gravem obligationem addiscendi et sciendi tum rubricas, tum decreta.* Cum enim clerici teneantur rubricas et decreta observare, cumque illi non potes sint ea observare, nisi cognoscant, pari obligatione tenentur tum servare, tum addiscere. Si vero quis defatigationem aut applicationem refugiens, illis studere omittat, coram Deo ipsi imputabuntur omnes defectus in recitatione officii divini, Missae celebratione aliisve functionibus sacris commissi, etiamsi ad illos non adverteret; quia cum ignorantia et inadvertentia sint vincibiles, ideoque voluntariae, errores omnes, qui ex illis ortum ducunt, sunt voluntarii in causa, et sic imputabiles ad peccatum.[2]

---

legem illa est, juxta canonistas, quae novum onus imponit, et jus novum condit, est ergo obligationis novae inductiva. Porro non impossibile est, quod talis consuetudo non sit laudabilis, juxta superius explicata. Aliunde consuetudo laudabilis non necessario est obligatoria, hincque, ut patet, non est consuetudo *praeter legem*, in sensu scholastico.

[1] *Discorso preliminare* n. 18.

[2] Quae doctrina non est nova sed conformis sensui s Thomae omniumque theologorum: „Singuli tenentur scire, ait Angelus scholae, ea quae ad eorum statum vel officium spectant ... manifestum est autem, quod quicumque negligit habere vel facere id, quod tenetur habere vel facere, peccat peccato omissionis: unde propter negligentiam ignorantia eorum, quae aliquis scire tenetur, est peccatum.“ 1. 2., quaest. 76. art. 2. in corp. Nec referre omittamus monitum Episcopi ad neo-ordinatos: „Quia res, quam tractaturi estis, satis periculosa est, moneo vos, ut diligenter totius Missae Ordinem, atque hostiae consecrationem, ac fractionem et communionem ab aliis doctis sacerdotibus discatis, priusquam ad celebrandam Missam accedatis.“

Sectio secunda.

Rubricae generales Missalis.

In secunda hujus partis sectione omnia necessario observanda, ut Missa decentiori modo celebretur, explanantur. Quae autem sectio constat tribus capitibus, quorum primum agit de rubricis Missae generalibus, scilicet de loco, tempore, ministris et qualitate Missae celebrandae; secundum de rubricis Missae specialibus, de Orationibus, Prafationibus etc.; exponuntur in tertio praescripta a rubrica de ¦Altari, materia Sacrificii, paramentis etc. Cui etiam ultimo capiti varia praescripta Missalis circa defectus Missae adduntur.

Caput primum.

De Missa in genere.

§. I. De loco, ubi Missa celebranda est.

1. Jure communi, et ordinario, Missa licite celebrari non potest, nisi in ecclesiis, vel in locis consecratis, aut saltem benedictis ab auctoritate legitima. Decernit enim sancta synodus Tridentina (sessione 22.), ut Ordinarii locorum Episcopi, non „patiantur privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc Sacrificium, a saecularibus aut regularibus quibuscumque peragi.“

2. Unde non licet, non obstante populi concursu, celebrare Missam ante foras ecclesiae (S. C.), neque in littore maris, in campis aut sub dio, absque necessitate. Celebrare autem in mari nunquam licet, nisi ex licentia expressa summi Pontificis (Bened. XIV. Bull.).

Similiter absque indulto sanctae Sedis, oratoria privata ut in ipsis Missa celebretur, erigere non licet (S. C. C.), atque Episcopi tale indultum, ne semel quidem, concedere possunt (S. C.). Caeterum haec oratoria non specialiter benedicuntur (S. C.).

3. Praeterea Clemens XI. prohibuit Episcopis, „ne erigerent Altare, nec ipsi, aliive super illo sanctum Missae Sacrificium offerant, extra habitationem, in laicorum aedibus, etiam suae dioecesis.“ Quae autem prohibitio non extenditur „ad aedes, etiam laicorum, in quibus itineris aut visitationis causa Episcopi hospitalitatem accipiunt; nec pariter extenditur ad casum, ubi Episcopus legitime absens ab habitatione in alia commoratur.“ (Innoc. XIII.)

4. Una tantum Missa quotidie in oratoriis privatis permittitur, imo in multis festis solemnibus *ordinarie* (nisi indultum concessum fuit aegroto); ne una quidem permittitur in festis Paschae, Pentecostes, Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis, Annunciationis, Assumptionis, Corporis Christi, Omnium Sanctorum, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Patroni loci (S. R. C. Bened. XIV. Bull.). In die Nativitatis Domini, si hic dies non excipiatur, tres Missae dici possunt (S. C. C.). Si unum ex festis supra exceptis transferatur, quoad officium, vel solum quoad solemnitatem, prohibitio Missam dicendi intelligi debet de die, in quem festum cadit, non autem de die, in quem transfertur (S. C.).

Nota festum Patroni loci, non vero festum Titularis ecclesiae, esse exceptum (S. C.).

5. *Oratoriis privatis* non annumerantur oratoria seminariorum, collegiorum, carcerum publicorum, neque oratoria in hospitalibus caeterisque piis locis, imo absque Episcopi auctoritate erectis (S. C. C.). Talia enim, ut multis probat Card. Petra, non sunt rigorose privata cum ad cultum religiosum

deputentur, sed semi privata, semi publica. Hinc sub nomine privati oratorii non veniunt (Rev. theol.). Oratoria quoque episcopalia gaudent multis privilegiis, sedeque vacante, cuilibet presbytero licet in illis celebrare Missam (S. C.).

6. Si, data eleemosyna, fidelis praescribat locum, ecclesiam, Altareve, presbyter celebraturus Missam, tenetur ejus praescriptis se conformare (S. R. C.). Fundationesque Missarum factae ecclesiae aut capellae determinatae, non possunt ad alteram ecclesiam aut capellam transferri, absque indulto summi Pontificis (S. C. C.). Si autem testator ecclesiam non designaverit, in ecclesia, ubi sepultus est, Missae celebrentur (Bened. XIV. Bull.)

7. Ut lucretur quis indulgentiam Altaris privilegiati, in diebus non impeditis, celebrare debet Missam de *Requiem*. Si dies impediatur, aut si Missa cantatur coram ss. Sacramento exposito, per Missam de die vel votivam, indulgentia non amittitur (S. C. Ind.). Imo fundationes accipi possunt pro Missis cantandis coram Venerabili, in refrigerium defunctorum (S. R. C.).

Indulgentia haec Altaris privilegiati non compensatur per aliam pro defunctis. Attamen non necessario applicatur ei defuncto, pro cujus anima offertur Sacrificium (S. C. Ind.).

8. Missa celebrari non debet, praesertim si adsint alia Altaria, in Altari, ubi ss. Sacramentum expositum est (S. R. C.). Choro horas cantante, non debet celebrari Missa privata in Altari majori (S. C.), imo in ecclesiis cathedralibus non decet cantari Missa solemnis in Altari, ubi reperitur tabernaculum cum ss. Sacramento (Caer. Ep.).

9. In ecclesia violata non licet celebrare Missam. Si Sacerdote celebrante violetur ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa; si post Canonem, perficiatur (R.). Insuper, non licet celebrare Missam in loco interdicto, vel in loco, ubi sepultus fuit paganus, infidelis, excommunicatus vitandus (Jus Can.), nec in Altari, sub quo sepulta existunt cadavera, quousque efferantur (S. R. C.).

§. II. De tempore celebrationis Missae.

1. Sanctum Missae sacrificium, extra feriam sextam majoris hebdomadae, offerri potest solemniter singulis diebus, etiam in ecclesiis, in quibus minor est numerus Clericorum (S. R. C.). Missa privata, absque indulto sanctae Sedis, non celebratur Sabbato sancto (Clem. XI., S. R. C.), neque feria quinta in Coena Domini, nisi in oratoriis regularium, et in ecclesiis parochialibus, de consensu Episcopi (S. R. C.).

2. Missa privata quacunque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest (R.). Bened. XIII. et Clemens XII. declararunt, posse in hoc tolerari latitudinem tertiae partis horae, tum ante auroram, tum post meridiem. Ut autem Missa duabus horis anticipetur, indultum Sedis Apostolicae requiritur (S. R. C.). In pluribus locis Episcopi unam horam concedere possunt vi facultatum specialium (S. C.).

3. In nocte Nativitatis Domini, una tantum Missa solemnis celebrari potest (S. R. C.); potest tamen dici Missa privata in oratoriis publicis, et capellis, consentiente Episcopo, si de hoc indultum a sancta Sede habeat (S. R. C.).

4. Episcopo competit jus prohibendi, ne Missa inchoetur in capellis, oratoriis etc., ante finem Missae parochialis (S. R. et C. C.).

5. Missa autem conventualis et solemnis sequenti ordine dici debet. In festis duplicibus et semiduplicibus, in Dominicis et infra octavas, dicta in choro Tertia; in festis semiduplicibus et feriis per annum, dicta Sexta; in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, etiam infra octavam Pentecostes, et Vigiliis, quae jejunantur, quamvis sint dies solemnes, Missa de tempore debet cantari post Nonam (R.), sed Missa de Sancto, si occurrat, dicatur post Tertiam (S. R. C.), omnisque consuetudo huic ordini contraria tanquam abusus abroganda est (S. R. C.). Missa autem defunctorum dici debet post Primam diei: ubi vero eorum Vigiliae dicuntur mane post Matutinum diei, dictis hujusmodi Vigiliis cum Laudibus, immediate dici potest Missa pro defunctis; sed in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, Missa conventualis dicitur post

Nonam, quia eo die est principalis: in die etiam depositionis defuncti, vel tertio, septimo, trigesimo aut anniversario solemni, in quo fit concursus populi, poterit similiter dici ultimo loco post Nonam (R.).

6. Excipiuntur ab hoc ordine dicendi Missam conventualem: 1° Missae in Nativitate Domini: quarum prima dicitur post mediam noctem, finito *Te Deum laudamus,* in Matutino; secunda in aurora, dictis Laudibus et Prima; tertia vero in die post Tertiam; 2° ubi aliter ex dispensatione apostolica disponatur. Missae votivae, quae non correspondent officio, si solemniter celebrentur pro re gravi, vel publica ecclesiae causa, cum populi frequentia, dicantur post Nonam (R.). Etiam post Nonam, quae caeterum dicitur conformis officio diei, cantatur Missa votiva, in festis solemnibus a Cardinale Caprara translatis (S. C.).

§. III. De iis, qui Missam celebrare non possunt.

1. Si quis suspensus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel alias canonice impeditus celebret, conficit quidem Sacramentum, sed gravissime peccat, tam propter Communionem, quam indigne sumit, quam propter executionem ordinum, quae sibi erat interdicta. Si quis habens copiam confessoris celebret in peccato mortali, graviter peccat. Si quis autem in casu necessitatis non habens copiam confessoris, in peccato mortali absque contritione celebret, graviter peccat, secus si conteratur: debet tamen, cum primum poterit, confiteri (R.). Si in ipsa celebratione Missae Sacerdos recordetur, se esse in peccato mortali, conteratur cum proposito confitendi et satisfaciendi. Si recordetur, se esse excommunicatum vel suspensum, aut locum esse interdictum, similiter conteratur cum proproposito petendi absolutionem. Ante consecrationem autem in supradictis casibus, si non timetur scandalum, debet Missam inceptam deserere (R.).

2. Decernit sancta synodus Tridentina, ut Ordinarii locorum Episcopi, singuli in suis dioecesibus interdicant, ne cui vago et ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat. Neminem

praeterea, qui publice et notorie criminosus sit, aut sancto Altari ministrare, aut sacris interesse permittant (S. Conc. Trid.).

3. Caecutiens absque indulto Apostolico Missam celebrare non potest, et si postea ad omnimodam caecitatem devenerit, novum indultum petere debet (S. R. C.). Qui autem manum dexteram movere, vel ultra os elevare non valent, Missam celebrare non possunt, nisi speciali indulto obtento (S. R. C.).

4. Clausulae indultorum pontificalium in favorem caecutientium rigorose observari debent, sicque Missam votivam solitam de Beata dicere debent Dominicis, festis duplicibus, ac omnibus diebus privilegiatis; caeteris autem diebus Missam de Requiem dicere possunt. Quae vero Missa votiva sine *Gloria* dicitur, exceptis Sabbatis, et sine *Credo,* et cum commemorationibus de Spiritu sancto, et *pro Ecc'esia* vel *pro Papa;* nec unquam admittit Orationem imperatam (S. C.). Eodem modo omnibus festis, quantumvis solemnibus, nec non in festis Beatae Mariae Virginis dicitur (S. C.). Si quis caecutiens dispensationem obtinuerit, et interea omnino caecus fiat, vi illius clausulae absque novo indulto licite celebrare non potest; tumque alterius Sacerdotis assistentia ad Altare semper imponitur (S. C.).

5. Missa cum annulo, aut caesarie ficta celebrari nequit. Insuper uti non licet in Missa candelabro argenteo, dicto *Bugia* (S. R. C.), neque baculi auxilio ad Altare ascendendum (Jus canonicum).

6. Quicumque Sacerdos sacrum Missae Sacrificium ab altero incoeptum perficiens, Missam eodem die celebrare non potest, etiamsi jejunus esset (S. R. C.). De presbytero duas Missas in eodem die celebrante infra tractabitur.

§. IV. De Missae qualitate.

1. Missa dicitur de duplici, illis diebus, quibus in Kalendario ponitur haec nota *duplex,* et in festis mobilibus, quandocumque officium est duplex. Missa de semiduplici dicitur, quando in Kalendario ponitur haec vox *semiduplex;* praeterea in Dominicis, et diebus infra octavas (R.).

2. In feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum, Rogationum et Vigiliarum, si duplex, vel semiduplex festum, vel octava occurrat (R.), quod intellige de die ultimo octavae (Cav. M. Pav.), in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, cantantur duae Missae, una de festo post Tertiam, et alia de feria post Nonam (R.), ac obligatio est utramque celebrare (S. R. C.).

3. Si festum habens vigiliam celebretur feria secunda, Missa vigiliae dicitur in Sabbato, sicut etiam de ea fit officium: excepta vigilia Nativitatis Domini et Epiphaniae (R.). Missa vigiliae in Adventu occurrentis dicitur cum commemoratione feriae Adventus, licet de ea non sit factum officium, vigilia Nativitatis excepta. Si in Quadragesima et Quatuor Temporibus occurrat vigilia, dicatur Missa de feria cum commemoratione vigiliae (R.). Differentiae ratio est, quia feriae quadragesimales, non item adventuales habent Missam propriam (AA.). Tempore paschali non dicitur Missa de vigilia, nisi in vigilia Ascensionis; quae tamen non jejunatur, sicut nec vigilia Epiphaniae (R.).

4. Celebrata Missa votiva aut defunctorum, ideo non omittatur in ecclesiis collegialibus et cathedralibus, Missa conventualis, quae necessario applicanda est benefactoribus (Bened. XIV. Bull. S. R. et S. C.). In iisdem ecclesiis, in commemoratione generali fidelium defunctorum, dicantur duae Missae, una de octava post Tertiam, alia pro defunctis post Nonam (R.), et diebus festis, in quibus Episcopus celebrat Missam, non omittatur Missa conventualis. Sat erit tamen Missa privata (S. R. C.).

5. Missa parochialis applicetur populo omnibus Dominicis et festis de praecepto (Ben. XIV. Bull.), etiam festis, quae suppressae sunt, quoad obligationem audiendi Missam (S. R. et C. C.).

Quae parochi obligatio *realis* est, scilicet quod, si legitime impediatur, teneatur alium sibi substituere pro hujus Missae applicatione in ecclesia parochiali (S. C. C.); et *personalis* obligatio, quia hoc officium alteri non potest committere absque legitima causa (S. C. C.).

6. In festis vero suppressis, et praesertim in festis hujusmodi, quorum nulla solemnitas in populo superest, parochus,

facultate per Episcopum sibi data, Missam parochialem in crastinum remittere potest, ut exequias celebret, sponsos benedicat etc., dum difficulter reperitur Sacerdos, qui substituatur ad illam Missam sui loco dicendam. Caeterum haec Missa cantari non debet (Rev. theol.); et parochus legitime absens a sua parochia satisfacit suae obligationi Missam applicando pro populo suo in loco, ubi degit (S. C. C.).

Insuper, dum festum est translatum, obligatio applicandi Missam, non transfertur: solummodo excipiuntur Annunciatio et festum sancti Josephi, si incidant in feria sexta et Sabbato majoris hebdomadae, non autem alia festa (S. C.).

7. Haec obligatio incumbit parochis, aliisque, qui habent primariam curam animarum (S. C.). Vicarii autem, cooperatores, coadjutores, directores monialium (S. C.), probabiliterque eleemosynarii militares curam animarum habentes, hanc obligationem non contrahunt. Quoad Episcopum, dubitatur, ast decisum est, Vicario capitulari illam obligationem non incumbere.

8. Parochus celebrans binam Missam propter duplicem paroeciam, cui praeest, utramque Missam pro utriusque paroeciae populo applicare tenetur (S. C.). Unius Missae applicatio sufficit, si una tantum paroecia habeatur, etiamsi ipse pastor binam Missam celebret (S. C.); sed non licet ei, pro secunda Missa stipendium accipere (S. C. C.).

§. V. De Missis votivis. [1]

1. Missae propriae festivitatum dicuntur solummodo in die festo, aut infra octavam. Sic non potest sumi, ut Missa votiva, Missa Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Nativitatis Beatae Mariae Virginis, Purifica-

---

[1] Missa votiva *late* dicta ea est omnis, quae non respondet officio, etiamsi a rubrica vel superiore fuerit imperata. *Stricte* autem est votiva, cum omnino est ad arbitrium vel celebrantis vel petentis.

Ex hac differentia liquet, Missam, quae de festo per indultum diei 9. Aprilis 1802. translato, in sequenti Dominica cantatur, esse tantum late votivam, ac potius festivam. Eadem dicta sint de Missa per indultum concessa, ad recolendam memoriam alicujus Sancti et ad diem Dominicam fixa. In hoc casu regulae Missarum votivarum non applicantur, quoad Orationes, Symbolum, Praefationem etc. ut infra dicetur.

Nota: Cum Missa prohibetur votiva, ejus Oratio addi nequit Orationi Missae.

tionis, Annuntiationis, Assumptionis, Im. Conceptionis, sancti Joannis Baptistae, aliarumque Introitum et Collectas proprias habentium (S. R. C.).

Similiter, Missa Consecrationis Episcopi dici nequit ut Missa votiva (S. R. C.); e contra Missa sacratissimi Cordis dici potest votiva (S. C.).

2. Missae in Communi Sanctorum ut votivae celebrari possunt, omittendo in Orationibus voces: *natalitia, annua*, et voces *solemnitas* aut *festivitas* mutando in *memoria* aut *commemoratio* (S. R. C.). Si petatur Missa in honorem unius aut plurium Sanctorum, de Communi Missa dicenda est (M. G.): si Sancti non sint ejusdem qualitatis v. g. si unus Martyr et alter Confessor; tunc sumitur Missa de digniori, et in eo casu, de Communi Martyrum, in Orationibus tacendo qualitates Martyris, Pontificis, Virginis etc. et nullam exprimendo, nisi quae conveniat omnibus, ut fit in festo ss. Nazarii M. et Innocentii P. et C. (Cav. Tet.). Si autem petatur Missa in honorem unius Apostoli, sumitur Missa votiva de ss. Apostolis Petro et Paulo, mutatis mutandis. Si petatur Missa in honorem s. Joannis Baptistae, dici potest Missa ut in ejus decollatione, aut in ejus vigilia, die 23. Junii. Si demum petatur Missa in honorem omnium Sanctorum, legenda est Missa festiva Omnium Sanctorum, cum Introitu *Sapientiam* aliove simili (M.).

3. Eadem autem die bis eamdem Missam votivam dicere non licet (S. R. C.); quod intelligendum est in eadem ecclesia, pro eadem causa, ac pro iisdem fidelibus. Infra octavas B. M. V., loco Missae votivae dicenda est Missa ut in ejus die festo (S. R. C.), ac Missa vigiliae Assumptionis, si in hac vigilia petatur Missa votiva de Beata (S. R. C.). In festis semiduplicibus, Missa votiva de feria aut de vigilia dici nequit (S. C.).

4. In Missa Beatae Virginis Mariae, celebrata infra ejusdem octavas, dicitur *Gloria* et *Credo*, si de ea factum fuerit officium; dicitur autem *Gloria* tantum, si officium fuerit de Sancto. Idem observandum infra octavam Sancti; verum *Credo* non dicitur, dum Sanctus ad hoc jus non habet, ut puta sanctus Laurentius vel sanctus Joannes Baptista (Misc. theol.).

5. Missa votiva solemnis (et intelligi debet Missa votiva solemnis, quae celebratur ex indictione vel cum licentia Ordinarii, aut pro publica ecclesiae causa vel pro re gravi), permittitur omnibus diebus et festis, exceptis duplicibus primae classis, Dominicis primae classis, scilicet Dominicis primis Adventus et Quadragesimae, Dominicis Passionis, Palmarum, atque Dominicis in Albis et ss. Trinitatis. Excipi etiam debent feriae Cinerum et majoris hebdomadae, vigiliae Pentecostes et Nativitatis Domini (S. R. C.). Non habetur tanquam causa gravis electio abbatissae, vestitio vel professio monialis, adoratio perpetua (S. C.), primitiae neopresbyterorum; causa vero gravis est electio generalis Franciscanorum (S. C.).

6. Pro solemnitate festorum in sequentem Dominicam translatorum ab Eminentissimo ac Reverendissimo Cardinale Caprara, scilicet, Epiphaniae, sanctissimi Corporis Christi, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Patroni parochiae aut dioecesis, celebratur Missa votiva solemnis festi, non solum in ecclesiis parochialibus, sed etiam in oratoriis publicis, in quibus Missa solet cantari diebus festivis (S. C.). Attamen haec Missa cantari nequit in Dominicis primae classis, neque si in illis Dominicis festum majoris dignitatis occurrat. Tunc solemnitas et Missa votiva in Dominicam sequentem transferuntur (Inst. Caprarae). Quod peragendum est in Dominicis Palmarum, Paschatis, Pentecostes, in die Dedicationis ecclesiae, in festo sancti Joannis Baptistae (S. C.). In die autem Dedicationis, poterit cantari Missa votiva de Patrono, si ejus festum incidat in hac die (S. C.). In Dominicis primis Adventus aut Quadragesimae addi potest sub una conclusione Orationi diei Oratio Patroni, nisi solemnitatem transferri magis placuerit (S. C.). Si festum commemorationis s. Pauli sit primae classis, et occurrat in Dominica, Missa solemnis nihilominus cantetur votiva de ss. Apostolis (S. C.).

Notandum est: 1° si unum ex praedictis festis occurrere contingat in Dominica, solemnitatem faciendam eodem modo, quo ante indultum reductionis festorum; 2° solemnitatem in Dominica post festum Patroni celebrandam, etiamsi *officium* Patroni translatum fuerit; 3° si ad nimium distantem Domini-

cam post festum Patroni amandanda foret, juxta Miscellanea theologica, vi quorumdam decretorum, solemnitatem anticipandam, atque Missam votivam Dominica praecedenti cantandam; 4° in his Missis, ut infra dicetur (§. IV. art. 2.) unam tantum Orationem dicendam in ecclesiis, in quibus habetur Missa conventualis, id est, in cathedralibus, ac quibusdam collegiatis, quia cantanda est altera Missa conformis officio; sed in ecclesiis parochialibus addendas esse collectae Missae votivae, commemorationes Dominicae, festi occurrentis, ac alias, quae fiunt in duplicibus primae classis (S. C.).

7. Missa votiva solemnis in oratione 40 horarum cantari non potest, in diebus, sub n° 5 supra relatis, nec in festis et Dominicis secundae classis, neque etiam infra octavas Paschatis, Pentecostes et Epiphaniae. Tunc vero Orationi Missae Oratio de Venerabili sub una conclusione additur (Instr. Clem.). Quae instructio ex italico idiomate in latinam versa, in hujus compendii appendice habetur.

8. Diebus superius relatis ut impeditis, adduntur etiam Dominicae et festa de praecepto, si de Missa pro sponsis agatur. Oratio autem *pro sponso et sponsa* sub distincta conclusione dicatur. Quam Missam *pro sponsis,* feria secunda Novembris celebrari posse, nuperrime declaratum fuit. Notandum tamen, hanc Missam, licet solemnem, non obstantibus suis privilegiis, haberi ut votivam privatam, atque in illa non dici neque *Gloria in excelsis,* neque *Credo,* tres autem dici Orationes (S. C.).

9. Missa solemnis celebranda de obligatione, si Episcopus id jusserit (S. C.), in ecclesia cathedrali, in die anniversaria electionis seu confirmationis et consecrationis Episcopi, patitur easdem exceptiones, quas Missa expositionis ss. Sacramenti in oratione quadraginta horarum (S. R. C.). In Dominicis autem aut festis primae classis, de ea non fit commemoratio (S. R. C.).

10. In ecclesiis, ubi Titulus est ecclesiae, vel concursus populi ad celebrandum festum, quod transferri debet, possunt cantari duae Missae, una de die, alia de festo, exceptis Dominica prima Adventus, feria quarta Cinerum, Dominica prima Quadragesimae, Dominica Palmarum cum tota hebdomada

majori, Dominica Resurrectionis, et Dominica Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, die Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis et festo Corporis Christi (R.). Quibus addi debet Assumptio, festum Omnium Sanctorum, festa sancti Joannis Baptistae, ss. Apost. Petri et Pauli, Patroni et Dedicationis (S. C.). Videtur diebus exceptis annumerandas esse Dominicas, in quibus celebratur solemnitas alicujus ex his festis. Sacrorum Rituum Congregationis indulto jamjam permittitur, ut Missa votiva tantum cantetur, alia omissa (S. C.).

11. Missa votiva, alia a supra relatis, etiam cantata et cum populi concursu, nequit celebrari in die Dominica (R.), in duplici aut in die festum duplex excludente (S. C.), neque etiam in diebus jam exceptis, neque insuper in vigilia Epiphaniae, et infra octavas Nativitatis Domini et Corporis Christi (S. R. C.). Dici autem poterit eo die, quo fieri debet officium Dominicae anticipatae (AA.). Sacrorum Rituum Congregatio permisit, de speciali gratia, ut cantetur Missa de ss. Sacramento in Dominica, in qua fit processio, ex eo potissimum, quia non habentur dalmaticae et tunicellae coloris officio convenientis (S. C.).

12. Quoad ecclesias cathedrales et collegiatas Missale sequentia ordinavit:

In sabbatis non impeditis festo duplici, semiduplici, octava, vigilia, feria Quadragesimae, vel Quatuor Temporum, vel officio alicujus Dominicae, quae supersit, in praecedens sabbatum translato, dicitur Missa de sancta Maria secundum varietatem temporum, ut in fine Missalis ponitur.

In Adventu autem, licet officium non fiat de sancta Maria in sabbato, dicitur tamen Missa principalis de Beata cum commemoratione de Adventu, nisi fuerint Quatuor Tempora, vel vigilia, ut supra.

Aliis diebus infra hebdomadam, quando officium fit de feria, et non est resumenda Missa Dominicae praecedentis, quae fuerit impedita (exceptis feriis Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum, Rogationum et vigiliarum), dici potest aliqua ex Missis votivis, etiam in principali Missa, quae vocatur conventualis, secundum ordinem dierum in fine Missalis assignatum, cum commemoratione feriae, de qua factum est officium.

§. VI. De Missa defunctorum

1. Prima Missa ex quatuor pro defunctis in fine Missalis assignatis dicitur in die Commemorationis fidelium defunctorum (R.), et haec Missa cuilibet defuncto applicari potest (S. C.). Si tamen, corpore praesente, Missa depositionis sit celebranda, eo casu una Missa ut in die obitus [1] cantanda est (S. R. C.).

2. Praesente corpore, Missa exequialis solemnis, *sed una tantum,* pro uno defuncto (S. R. C.) cantari potest omni die, exceptis triduo sacro majoris hebdomadae (etiam sabbato sancto), atque festis duplicibus primae classis, quae solemniter, seu cum multo apparatu et pompa exteriori celebrantur. Quibus diebus exceptis annumerari debent festum Titularis ecclesiae, festa per indultum pro reductione festorum 9. Aprilis 1802. in toto territorio reipublicae Gallicanae suppressa, quorum solemnitas in Dominicam sequentem transfertur, caeteraque festa juxta ritus qualitatem, nec non Dominicae, in quas solemnitas eorumdem festorum transfertur (S. R. C.). Notetur, decretum fuisse, hanc Missam exequialem celebrari posse in Dominica Palmarum, feriis secundis Paschae ac Pentecostes, et in die Dedicationis ecclesiae (S. R. C.), non autem in ecclesia, tempore expositionis ss. Sacramenti ob publicam causam (Inst. Clem. et S. R. C.), neque in Dominicis, iis in locis, in quibus una tantum Missa dicitur (S. R. C.).

3. Corpore nondum sepulto, sed non praesente ob rationabilem causam, Missa exequialis solemniter cantari potest in Dominicis, duplicibus secundae classis, et diebus inferioris ritus, etiam festivis de praecepto (S. R. C.); absque tamen rationabili causa, diebus Dominicis et festivis, haec Missa exequialis celebrari nequit (S. R. C.). Corpore autem sepulto sine Missa ad vesperam, ob aliquam rationabilem causam, v. g. ob benedictionem palmarum, cum populi concursu pro Communione paschali (S. R. C.), Missa exequialis cantari potest

[1] Notandum est per diem obitus seu depositionis intelligi totum spatium ab instante mortis usque ad sepulturam, quod in favorem recens defuncti reputatur pro uno eodemque die, licet unus aut plures dies intercedant (AA.).

die sequenti, exceptis Dominicis, atque duplicibus primae et secundae classis, ac festis de praecepto (S. R. C.); et ita, feria 2. majoris hebdomadae, feria 4. Cinerum, cantari potest (S. R. C.).

4. Missa de Requiem, quae cantatur, cum primum nuntium accipitur de obitu alicujus in loco dissito, et quae caeterum prima die non impedita cantanda est (S. R. C.), vel Missa de Requiem, quae cantatur in die obitus seu depositionis benefactoris, collegae etc., in ecclesia non tumulante, cantari potest omni die, exceptis festis primae et secundae classis, festis de praecepto, Dominicis ac octavis privilegiatis (S. R. C.); quibus diebus exceptis annumerantur octava Corporis Christi (S. R. C.), tota hebdomada sancta, feria quarta Cinerum; vigiliae Pentecostes ac Nativitatis Domini, non autem vigilia Epiphaniae (S. R. C.).

5. Missae a testatore assignatae pro diebus tertio, septimo trigesimo, atque anniversario, etiamsi reipsa dies obitus anniversarius non sit, gaudent iisdem privilegiis, quibus Missae supra relatae (S. R. C.). Imo si Missae vere anniversariae (v. §. VIII.) impediantur, cum iisdem privilegiis, non tamen ultra plures octavas privilegiatas, transferri possunt (S. R. C.), ac Oratio *Deus indulgentiarum* cum Prosa *Dies irae*, tunc dicitur (Misc. theol.). Si vero praedictae Missae de Requiem ex dispositione testatoris relictae non fuerint, die duplicis minoris tantum celebrari possunt, ac dummodo reipsa sint dies tertius, septimus, trigesimus vel anniversarius a die obitus, non vero sepulturae (S. R. C.): qui dies juxta ecclesiarum consuetudinem computatur.

Notandum, anniversaria, quae celebrantur a confraternitatibus, capitulis, etc., nullis privilegiis gaudere, ita ut absque speciali privilegio seu indulto, de Requiem tantum possint celebrari diebus, quibus Missae privatae defunctorum permittuntur (S. R. C.), non obstante quacunque consuetudine in contrarium (S. C.).[1]

[1] Cum pro anniversario a suo die translato cantatur Missa de Requiem, etiamsi translatio ad longum tempus fieret, Missa cantatur ut in ipso anniversario, cum Sequentia et Oratione *Deus indulgentiarum*. *Misc. theol.* 4 tom. pag. 650—652.

An prima recurrente die anniversaria, in duplici majori possit cantari Missa de Requiem, licet anniversarium non sit fundatum? Ad affirmativam inclinat menaeum *Rev.*

6. In exequiis pauperum, Missa lecta, non obstante quacumque consuetudine (S. C.), vel quando cantores non habentur, vel si in hac ecclesia Missa cantari non solet (Cav.), praesente corpore, dici potest omnibus diebus quibus anniversarium fundatum cantari licet (S. R. C.).[1] In anniversariis autem in minoribus ecclesiis fundatis, Missa lecta de Requiem in festo duplicis minoris dici potest; nullis autem privilegiis dies tertius, septimus et trigesimus gaudent (S. R. C.).

7. Exceptis diebus tertio, septimo, etc., Missa pro defunctis habetur ut Missa privata, etiamsi cum apparatu, parentibusque assistentibus cantetur (S. R. C.). Missa etiam privata, infra exequias solemniter lecta, nullis privilegiis gaudet et tantum dici potest iis diebus, quibus Missa votiva privata dici licet (S. R. C.).

In pluribus dioecesibus habetur indultum celebrandi Missam cantatam de Requiem, bis vel ter in hebdomada, ad implenda onera ecclesiarum. Quo privilegio licite utitur, etiam si alii dies ritus semiduplicis occurrerint in eadem hebdomada. Item sub nomine parochialis, venit ecclesia *succursalis* dicta, ubi v. g. residet vicarius: sed iidem dies eligendi sunt pro parochiali et succursali ecclesia (Rev. theol.).

8. Quoad ecclesias collegiatas et cathedrales Missale statuit sequentia:

Prima die cujusque mensis (extra Adventum, Quadragesimam et tempus paschale) non impedita officio duplici, vel semiduplici, dicitur Missa principalis generaliter pro defunctis sacerdotibus, benefactoribus, et aliis. Si vero in ea fuerit festum simplex, vel feria, quae propriam habeat Missam, aut resumenda sit Missa Dominicae praecedentis, quae fuit impedita, et infra hebdomadam non occurrat alius dies, in quo resumi possit: in ecclesiis cathedralibus, et collegiatis dicantur duae Missae, una pro defunctis, alia de festo simplici, vel

---

theol., quia haec dies non minori privilegio gaudet, quam tertia, septima et trigesima, quae fundari non debent, ut ita cantari queant. Tom. IV. pag. 233.

Tenendum videtur quod, ubi talis viget usus, nona dies iisdem, quibus de jure septima, privilegiis gaudeat. *Ibid.* tom. I. pag. 641.

[1] Cavalieri (tom. III. cap. 4. decret. 2. n. 2), recte docet cum Pasqualigo, Missam planam celebrari posse in depositione defuncti, quando non inveniri queunt cantores, aut si ea est ecclesia, in qua non cantatur Missa.

feria praedicta (R.). Sed in ecclesiis non cathedralibus nec collegiatis, dicatur Missa de die cum commemoratione generaliter pro defunctis (R.).

Praeterea feria secunda cujusque hebdomadae, in qua fit officium de feria, Missa principalis dici potest pro defunctis. Si autem fuerit propria Missa de feria, vel de festo simplici, vel resumenda sit Missa Dominicae praecedentis, ut supra, in Missa de die fiat commemoratio (ut dictum est) pro defunctis. Excipitur tamen Quadragesima, et totum tempus paschale, et quando per annum officium est duplex, vel semiduplex: quibus temporibus non dicitur Missa conventualis pro defunctis, nisi in die depositionis defuncti, et in anniversario pro defunctis, neque pro eis fit commemoratio (R.).

9. In die Commemorationis omnium defunctorum, et in die depositionis, et in anniversario defuncti, dicitur una tantum Oratio: et similiter in die tertia, septima, trigesima (et quandocumque pro defunctis solemniter celebratur) (R.): Missa vero ut solemnis habetur, dum Diaconus et Subdiaconus eidem ministrant (S. C.).

10. In aliis Missis, etiam cantatis (Rev. theol.) plures Orationes dicuntur, ut de feriis et simplicibus dicetur infra in rubrica de Orationibus. Sequentia pro defunctis dicitur in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, et depositionis defuncti, et quandocumque in Missa dicitur una tantum Oratio (R.). Dum plures dicuntur Orationes, prima dici debet *Deus, qui inter apostolicos* prout in Missali, et ultima *Fidelium* (S. C.).[1]

11. Epistolae et Evangelia posita in una Missa pro defunctis, dici possunt etiam in alia Missa similiter pro defunctis (R.).

12. Pro summo Pontifice (R.) et pro Episcopo (AA.), sumitur prima Missa, etiam in anniversario (S. C.) et in diebus tertio, septimo, et trigesimo (AA.); pro sacerdote defuncto, prima aut secunda, cum Oratione *Deus, qui inter apostolicos* (S. C.). In Oratione *Inclina,* aut *Deus indulgéntiarum,* non dicitur nomen defuncti (S. C.).

---

[1] Sub silentio interpretationem improbabilem D. de Herdt praetermittimus. Cfr. *Miscell. theol.* tom. V. pag. 321. Si haberetur Collecta praecepta *pro defuncto Episcopo,* penultimo loco dici deberet, et Oratio esset *Da nobis Domine. Ibid.* tom. VI. pag. 113.

§. VII. De Missa in aliena ecclesia.

1. Regulariter Missa in aliena ecclesia officio recitato conformis esse debet (S. C.), quod in oratorio privato semper fit (S. C.) etiam in Missis de Beatis (S. C.), atque in confraternitatum ecclesiis, in quibus in festo Titularis *Credo* addere non licet (S. C.).

2. Licet vero Sacerdoti extero, qui transeunter peragit functiones pastorales, cantare Missam vel parochialem aut de Requiem, sese conformando ecclesiae, in qua celebrat (S. C.).

3. Praeterea Sacerdotes exteri sese conformare debent ecclesiae seu oratorio regularium atque monialium, in qua Missam dicunt, si in ea festum solemniter celebretur (S. C.), vel celebretur festum Missas votivas excludens, simulque exigens colorem diversum a colore officii Sacerdotis exteri, vel si Missa ab ipso celebrata vere Missa conventualis fuerit (S. C.).

4. Hinc eruitur, non licere Sacerdoti dicere Missam votivam aut de Requiem, dum suum officium, vel illud ecclesiae, in qua celebrat Missam, duplex aut aequivalens est (S. C.), nisi in ecclesia, ubi exequiae solemniter fiant, officium sit semiduplex (S. C.), etiam si Missa votiva, quam dicere vult, eumdem colorem expostulet (S. C.).

5. Nulli Sacerdoti extero licet dicere Missam de Beato non canonizato, quando indultum clerum loci aut ecclesiae tantum comprehendit (S. C.). Missa de s. Rocho, cum ejus officio, solis ecclesiis, in quibus Patronus et Titularis est, conceditur (S. C.).

6. Nullus autem Sacerdos externus Missali proprio ordinis uti potest, sed Missali Romano uti debet (S. C.), excepto per indultum specialiter concessum, in ecclesiis Eremitarum S. Augustini, Capuccinorum, Carmelitarum excalceatorum utriusque sexus (Bull.).

7. Si quis ritui alicujus ecclesiae esse conformare teneatur, ejusdem ecclesiae directorium in omnibus sequatur (S. C.); permittitur tamen celebranti addere Missae Dominicae, cujusvis sit coloris, commemorationem propriae suae octavae (S. C.).

8. Sacerdos in aliena ecclesia Missam officio suo conformem celebrans, Symbolum dicere potest, dum Missa illud exposcit, nisi addi debeat ob causam omnino localem, v. g. ob corpus vel reliquiam insignem alicujus Sancti (S. C.).

9. Quoad Orationem imperatam extra diocesim, ea dica-

tur, quae prout dicitur Missa, respondet suo vel alieno officio (Rev. théol.).

10. His supra dictis binae tabellae a Secretario sacrorum Rituum Congregationis approbatae adduntur (Rev. theol.).

Prima tabella — si in utroque officio idem color sit.

OFFICIUM CELEBRANTIS.	Simplicis, Vigiliae.	Diei infra octavam.	Semiduplicis.	Duplicis maj. vel min.	Duplicis 1 vel 2 classis.	Dominicae.	OFFICIUM ECCLESIAE ALIENAE.
Dominicae	0	2	0	2	1	0	
Duplicis 1 vel 2 classis	3	3	3	3	1	3	
Duplicis maj. vel min.	5	5	5	4	1	4	
Semiduplicis	4	4	4	2	1	0	
Diei infra octavam	4	4	4	2	1	5	
Simplicis, Vigiliae	4	4	4	2	1	0	

0. Casus impossibilis, vel in quo nihil observ.
1. Missa conformis officio alienae Ecclesiae.
2. Item rectius dicitur.
3. Missa conformis officio celebrantis.
4. Missa alterutro officio conformis.
5. Missa conformis officio celebrantis rectius dicitur.

Secunda tabella — si in utraque ecclesia officium et color differant.

OFFICIUM CELEBRANTIS.	Simplicis, Vigiliae.	Diei infra octavam.	Semiduplicis.	Duplicis maj. vel min.	Duplicis 1 vel 2 classis.	Dominicae.	OFFICIUM ECCLESIAE ALIENAE.
Dominicae	0	1	0	1	1	1	
Duplicis 1 vel 2 classis	3	3	3	1	1	2	
Duplicis maj. vel min.	3	3	3	1	1	2	
Semiduplicis	4	4	4	1	1	0	
Diei infra octavam	4	4	4	1	1	2	
Simplicis, Vigiliae	4	4	4	1	1	1	

0. Casus impossibilis.
1. Missa et color alienae Ecclesiae.
2. Idem, sed fit commemoratio duplicis, more simplicis, aut octavae sine 3ª Oratione.
3. Missa et color conformis officio celebrantis.
4. Missa et color concordant cum alterutro officio.

§. VIII. De implenda obligatione dicendi Missam.

1. Numquam licet accipere Missas votivas celebrandas pro diebus, quibus dici nequeunt (S. C.). Si fideles petant Missam in honorem alicujus Mysterii vel Sancti, etiamsi Missam votivam expresse non petierint, aut ipse presbyter talem Missam dicere non promiserit, per Missam diei obligationi minime satisfacit, modo Missa votiva permittatur (S. C.). An Sacerdos Missae votivae per Missam diei, diebus duplicibus aut aequivalentibus satisfaciat? Ex decretis res valde incerta est. Si autem pro illis Missis votivis dicendis dies liberi non sufficiant, Sacerdos per Missam diei fundationibus satisfacturus videtur (S. C.).

Quod si Sacerdos Missas privatas, oblato manuali stipendio pro uno vel pluribus defunctis, vel votivas in honorem alicujus Mysterii vel Sancti celebrandas recipiat, a dantibus intentionem requirat (Rev. théol.).

2. Derogando voluntati testatorum aut dantium stipendium Missae, Sedes Romana declaravit, Sacerdotem per Missam diei satisfacere obligationi dicendi Missam pro defunctis, in diebus duplicibus aut aequivalentibus (S. C.). Fundationes igitur Missarum pro defunctis diebus impeditis celebrandarum accipi possunt; imo valde probabile est, per Missam diei, etiam in semiduplicibus satisfieri posse (S. C.), nisi testator aut dans stipendium dici Missam de Requiem expresse rogaverit (S. C.).

Si agatur de anniversariis fundatis in die obitus testatoris,[1] et si dies impedita occurrat, decrevit Sacrorum Rituum Congregatio, ut in primum diem non impeditum anticipetur vel differatur, ut ita pro anniversario non cantetur alia Missa, nisi de Requiem (S. C.). Quoad anniversaria cantata, fundata non pro die obitus, sed pro aliis certis et determinatis diebus, die assignato impedita, per Missam diei Sacerdos satisfacere potest (S. C.). Si agatur de Missis cantatis defunctorum, fundatis sine assignatione dierum, quoad fieri potest, diebus liberis

[1] Ubi fundatur anniversarium vel solemne, hoc intelligitur de ipsa Missa absque officio defunctorum; cum vero officium fundatur absque determinatione, obligatio restringitur ad unum Nocturnum. (S. R. C. 21. Julii 1855, in Carmel.)

cantandae sunt (S. C.); iis tamen per Missam diei satisfieri potest (Decretum Alexandri VII.).

3. Paramenta tantum nigra parari, ut in nonnullis ecclesiis fit, pro dicenda Missa in semiduplicibus diebus, abusus est minime tolerandus; sed in hoc casu Sacerdos celebrans de Requiem satisfacit obligationi, quam suscepit celebrandi pro vivis, dummodo non expresse diverse praescripserit, qui dedit eleemosynam (S. C.). Sacerdos autem dicens Missam defunctorum satisfacit obligationi Missae *ad intentionem dantis,* dum nescit utrum intentio fuerit pro vivis vel defunctis (S. C.).

4. Quamvis Sacerdos Altaris privilegiati indulgentiam lucrari queat per Missam diei, dum Missa de Requiem prohibetur, nihilominus in diebus non impeditis Missa in paramentis nigris dicenda est (S. C.).

5. Obligationi suae non satisfacere, omnino ipsi deficere est, tenerique novum Missae sacrificium praestare, nisi a sancta Sede condonatio data fuerit (Misc. theol.).

6. Sacerdoti novas Missas accipere non licet, aliis antea acceptis non dictis, aut non dicendis infra modicum tempus. Interrogata, an dictum modicum tempus reputetur tempus duorum vel trium mensium, S. C. C. 17. Julii anni 1755. respondit, modicum tempus intelligi infra mensem. (Bened. XIV. Instit. LVI. §. 14.)

Caput secundum.

De partibus Missae in specie.

§. I. De Psalmo *Judica me.*

1. Psalmus *Judica me* dicitur in omni Missa, exceptis Missis de Dominica et feriis tempore Passionis usque ad Coenam Domini inclusive, et omnibus de Requiem, quia hic est Psalmus laetitiae, qui istis Missis non convenit: in quibus semel tantum dicta Antiphona *Introibo* cum ministris, Sacerdos statim subjungit Versiculum *Adjutorium nostrum* (R.).

2. Ideoque, si tempore Passionis dicantur Missae de festis, prout Missa de festo septem Dolorum, imo Missa votiva

(S. C.) de Passione Domini nostri Jesu Christi, non omittatur praedictus Psalmus *Judica me:* omittitur autem, feria quinta in Coena Domini (AA.).

§. II. De Introitu.

1. *Introitus* semper dicitur, excepta sola Missa sabbati sancti, et illa vigiliae Pentecostes, cui praemittuntur Prophetiae (R.), etiamque excepta Missa privata sabbati sancti, si ex indulto celebretur.

2. Item toto tempore paschali, in omnibus Missis, quae non sunt de Requiem, dicuntur duo *Alleluja* ante Versum, quae si non habeantur, a celebrante addenda sunt (R.).

3. *Gloria Patri* ad Introitum non dicitur cum Psalmus *Judica me* omittitur (R.).

4. Si transferatur ad tempus paschale festum ss. Martyrum, in quorum Missa Introitus sit, *Gaudeamus omnes in Domino* etc., si ultra Introitum *Gaudeamus* etc., habeat etiam proprium vel Evangelium vel Epistolam, tunc debet recitari idem Introitus; secus si nihil aliud proprii haberet. Nam in eo casu Introitus alter incipiens: *Protexisti me Deus* etc. dicitur (S. C.).

5. Si festum a tempore paschali ad aliud tempus transferatur, ac Missale de Missa et Introitu tacuerit, ab Evangelio vel Oratione regula desumitur pro Introitu et Missa (S. C.).

6. In festo sancti Gregorii VII., Missa *Statuit* dicenda est, in Missa vero sancti Francisci Caracciolo, Missa et Introitus sunt propria (S. C.).

7. In Missa cantata, Introitus integre cantatur, nec inchoari debet antequam Sacerdos ad Altare pervenerit (S. C.).

§. III. De Hymno *Gloria in excelsis.*

1. *Gloria in excelsis* dicitur, quandocunque in Matutinis dictus est Hymnus *Te Deum,* praeterquam in Missa feriae quintae in Coena Domini, et sabbati sancti, in quibus *Gloria in excelsis* dicitur, quamvis in officio non sit dictum *Te Deum* (R.).

2. Non dicitur in Missis defunctorum, neque in Missis votivis, etiam tempore paschali, vel infra octavas, nisi in Missa Beatae Mariae in sabbato, Angelorum (R.) aut unius Angeli,

v. gr. sancti Michaelis (AA.); et nisi Missa votiva solemniter dicenda sit pro re gravi, vel pro publica ecclesiae causa, dummodo non dicatur Missa cum paramentis violaceis (R.).

3. Die sabbati, in Missa votiva Sanctorum, etiamsi officium B. M. V. dictum fuerit, *Gloria in excelsis* non dicitur. Infra autem octavas festorum ejusdem B. M. V., si in semiduplici dicatur Missa votiva de Beata (quae Missa votiva de festo dicenda est), Hymnus *Gloria in excelsis* dici debet (S. C.).

4. In Missis etiam votivis privatis Sancti, de quo officium duplex et semiduplex non fit, Hymnus *Gloria in excelsis,* in die ejus obitus, dicitur (S. C.). Item in Missis votivis late dictis, de quibus dictum est pag. 385.

5. In Missis vero pro sponso et sponsa, *Gloria in excelsis* non dicitur.

§. IV. De Orationibus.

Articulus I. De Orationibus in festis duplicibus aut aequivalentibus.

1. In festis duplicibus dicitur una tantum Oratio, nisi facienda sit aliqua commemoratio.

2. Commemorationes in Missis fiunt sicut in officio (R.). De festo simplici fit commemoratio in Missa, quando de eo in officio facta est commemoratio in primis Vesperis (R.). De festo simplici pariter fit commemoratio in Missa, si ob praecedens primae classis festum concurrens, in primis Vesperis de simplici commemoratio facta non fuerit (AA.). Quando autem de eo fit commemoratio tantum ad Laudes, non fit commemoratio de eo in Missa solemni (R.) vel conventuali (S. C.), aut in quomodolibet Missa cantata (S. C.), sed in Missis tantum privatis (R.). Excipitur Dominica Palmarum, et vigilia Pentecostes, in quibus nulla fit commemoratio etiam in Missis, de festo simplici occurrente, licet facta sit in officio (R.), atque excipitur pariter Missa votiva solemnis, quae ritum festi duplicis 1. aut 2. classis habere censetur (M. Guy. Gard.).

3. De Sanctis vero ritus duplicis aut semiduplicis, de quibus infra annum officium fieri nequit, qui propterea ad ritum simplicem reducuntur, in propriis diebus, commemoratio fit, etiam festis primae et secundae classis occurrentibus, eodem

modo, quo de die infra octavam et Dominica; exceptis tamen triduo sacro majoris hebdomadae, festis Paschatis et Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, in quibus nulla commemoratio fieri potest (S. C.). Hinc in Missa votiva solemnitatis ss. Sacramenti, Epiphaniae et in die Ascensionis etc haec commemoratio habenda est (S. C.).

† 4. De Dominica fit commemoratio, quando in ea agitur de festo duplici (R.), vel Missa votiva solemniter cantatur (S. C.), hocque fit etiam si Dominica anticipetur (S. C.).

5. De octava fit commemoratio, quando infra octavam celebratur aliquod festum, nisi illud festum fuerit de exceptis in rubrica Breviarii de commemorationibus. Item quando infra octavam fit de Dominica (R.); commemoratio autem omittitur in Missa votiva solemni (M. Gard. Guy.), itemque feria quarta Cinerum ac Dominica Passionis, si Sedes apostolica tunc celebrationem octavae permiserit (S. C.). De octavis Nativitatis Domini, Epiphaniae, et Corporis Christi, semper fit commemoratio, quandocumque contigerit infra illas de aliquo alio festo etiam solemniori officium celebrari (R. Brev.), pariterque in Missis votivis solemnibus earum fit commemoratio (S. C.). In Dominica, in quam transfertur solemnitas alicujus festi, fit commemoratio de octava hujus festi, in omnibus Missis privatis, quae de festo occurrente aut Dominica celebrantur (S. C.).

6. De feria fit commemoratio in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, Rogationibus, et vigiliis, quando Missa dicenda est de festo illis temporibus occurrente (R.). Missa Rogationum a clero ejusdem vel alienae ecclesiae cantata, non est ratio omittendi commemorationem de hac feria in ipsa Missa festi (S. C.). Sed in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, ubi plures Sacerdotes quotidie celebrant, in feriis, Rogationibus et vigiliis praedictis, quae habent Missas proprias, dicuntur duae Missae, una de festo, alia de feria, Rogationibus et vigiliis, absque ulla utrorumque commemoratione (R.).

In festis tamen majoribus primae classis nihil fit de vigilia occurrente, ut dictum est supra (R.).

7. In die festo Patroni, fit sub una conclusione commemoratio Rogationum, nec refert, an sit secunda tertiave feria,

dummodo in ecclesia unus duove tantum Sacerdotes celebrantes adsint (S. C.).

8. Oratio a Superiore imperata omnibus Missis addatur, exceptis festis duplicibus primae classis, Dominica Palmarum, vigiliis Nativitatis Domini (S. C.) et Pentecostes (AA.), feria quinta in Coena Domini et sabbato sancto; item omittitur in Missis solemnibus seu cantatis secundae classis. In duplicibus vero secundae classis, potest pro arbitrio celebrantis, legi vel omitti in Missis privatis (S. C.).

9. Diebus anniversariis creationis et coronationis summi Pontificis, vel electionis et consecrationis Episcopi, omnes Sacerdotes tam saeculares quam regulares, non obstante contraria consuetudine, addere debent Collectam *Deus omnium fidelium Pastor,* omnibus Missis lectis seu cantatis festorum duplicium majorum aut minorum, post omnes de praecepto Orationes. Haec Oratio pro summo Pontifice et Episcopo, in duplicibus secundae classis in Missis privatis et solemnibus, adjungitur Orationi principali Missae sub unica conclusione, ast in omnibus duplicibus primae classis omittitur (S. C.).

In casu, quo fiat de anniversario s. Pontificis et Episcopi eadem die, Oratio pro Episcopo fit sequenti die (S. C.).

10. In Missis cantatis festi duplicis primae aut secundae classis, fit commemoratio de ss. Sacramento, quando ss. Sacramentum publice seu detectum exponitur, sive in ostensorio sivein pyxide, sub unica conclusione cum Oratione festi, nisi aliae commemorationes sint faciendae. Si enim aliae Orationes dicendae sint (excepta Oratione quadraginta horarum, in qua semper Orationi diei subjungitur commemoratio de Venerabili), recitanda est tantum post omnes alias Orationes de praecepto, prout fit in Missis minus solemniter cantatis (S. C.). Semper tamen ante imperatam, licet imperata sit a S. Pontifice, et de Spiritu sancto (S. C.).

Notandum commemorationem ss. Sacramenti fieri posse in Missis privatis, dummodo festum non sit primae aut secundae classis, eam vero esse omittendam in festo ss. Cordis Jesu (S. C.), nisi sit imperata ab Ordinario (S. C.).[1]

[1] Die 22. Maii 1841, S. Congregatio responsum dederat, per modum Collectae fieri posse commemorationem ss. Sacramenti, in Missis de ss. corde Jesu. Dein super sensu horum

11. Commemoratio pro sponso et sponsa tempore clauso non fit. Extra illud tempus, in festis primae et secundae classis, addenda est sub conclusione distincta post omnes alias commemorationes de praecepto (S. C.).

Art. II. De Orationibus in festis semiduplicibus, in Missis votivis et in feriis.

1. In festis semiduplicibus occurrentibus a prima Dominica Adventus usque ad Nativitatem Domini, dicitur secunda Oratio de feria, tertia de sancta Maria, *Deus qui de Beatae* (R.).

2. In festis semiduplicibus occurrentibus ab octava Epiphaniae usque ad Purificationem, dicitur secunda Oratio, *Deus qui salutis,* tertia *Ecclesiae,* vel pro Papa, *Deus omnium fidelium* (R.).

3. In festis semiduplicibus a feria quarta Cinerum usque ad Dominicam Passionis, secunda Oratio de feria, tertia *A cunctis* (R.).

4. In semiduplicibus a Dominica Passionis usque ad Dominicam Palmarum, secunda Oratio de feria, tertia *Ecclesiae* vel *pro Papa* (R.), aut de simplici, si habeatur (S. C.).

5. In festis semiduplicibus ab octava Paschae usque ad Ascensionem, secunda Oratio de sancta Maria *Concede nos,* tertia *Ecclesiae,* vel *pro Papa* (R.).

6. In festis semiduplicibus ab octava Pentecostes usque ad Adventum, et a Purificatione usque ad Quadragesimam, secunda Oratio *A cunctis,* tertia *ad libitum* (R.).

7. In festis semiduplibus infra octavas occurrentibus, secunda Oratio dicitur de octava, tertia, quae *secundo loco* infra octavam ponitur (R.).

8. Infra octavas Paschae et Pentecostes in Missa de octava, dicuntur duae tantum Orationes, una de die, alia *Ecclesiae* vel *pro Papa* (R.). Si simplex occurrat, ejus Oratio dicatur *secundo loco,* nec tertia Oratio habetur (S. C.).

---

verborum interrogata, dixit, illa intellexisse de Collecta ab Episcopo imperata. 26. Mart. 1859.

Nota hanc commemorationem SS. S. addi debere in Missa expositionis, quae processionem praecedit, licet expositio non fiat nisi in fine Missae. Cfr. *Instruct. Clement.*, n. 10., et *Miscellanea theol.* tom. VI. pag. 375.

9. Infra alias octavas, et in vigiliis, quae jejunantur, (excepta vigilia nativitatis Domini et Pentecostes) dicuntur tres Orationes, una de die, secunda de sancta Maria, tertia *Ecclesiae* vel *pro Papa*. Sed infra octavas sanctae Mariae, et in vigilia, et infra octavam Omnium Sanctorum, secunda Oratio dicitur de Spiritu sancto, *Deus qui corda*, tertia *Ecclesiae* vel *pro Papa* (R.).

10. In Dominicis infra octavas occurrentibus dicuntur duae Orationes, una de Dominica, secunda de octava: et in die octava dicitur una tantum Oratio, nisi facienda sit aliqua commemoratio (R.).

11. In Dominicis dicuntur tres Orationes, ut in Ordinario assignantur, quibusdam exceptis, ut suis etiam locis notatur (R.).

12. In festis simplicibus et feriis per annum, nisi aliter in propriis locis notetur, dicuntur tres Orationes, ut in semiduplicibus,[1] aut quinque: possunt etiam dici septem *ad libitum* (R.). Si vero Oratio imperata addatur, numerus Orationum necessario non debet esse impar, si commemorationes speciales aut imperatae exigant numerum parem (S. C.).

13. In feriis Quatuor Temporum, et ubi plures leguntur Lectiones, hujusmodi plures Orationes dicuntur post ultimam Orationem ante Epistolam, ut suis locis in Proprio Missarum de tempore notatur (R.).

14. In Missis votivis, quando solemniter dicuntur pro re gravi, vel pro publica Ecclesiae causa, dicitur una tantum Oratio (R.), solummodo dum alia Missa, officio conformis cantatur.[2] Si alia vero Missa non cantetur, addenda est commemoratio Dominicae, feriae majoris, festi novem Lectionum, etiam simplificati, diei octavae, si habeatur etc. (S. C.). Alia autem Oratio sub una conclusione additur in Missa *Pro gratiarum actione* (R.) aut *Pro felici successu congregationis* (S. C.).

[1] Scite attendenda est praesentis rubricae dispositio. Utique tres dici Orationes ut in semiduplicibus ordinat, ast non jubet, easdem Orationes recitari. Hinc evenit quod si, in Missa conventuali, quando fieri debet commemoratio defunctorum, Oratio *Fidelium*, quae in casu debet dici secundo loco, non posset esse penultima, tunc potius omittenda esset Oratio de tempore, et ita loco potiatur, quem illi in omni casu assignat rubrica: *Semper penultimo loco.*

[2] Regula illa, quae vera est de votivis per Indultum concessis, ob paritatem rationum, ad votivas stricto dictas extendi posse videtur.

15. In aliis autem Missis votivis (R.), etiam solemniter cantatis (S. C.), Missa pro sponso et sponsa non excepta (S. C.), dicuntur plures Orationes, ut in festis semiduplicibus (R.). Caeterum, hic et in festis semiduplicibus, vel infra octavas non privilegiatas, dummodo sit Missa privata, pro libitu Oratio addi potest in favorem alicujus defuncti, videlicet *pro patre aut matre*. Item ad libitum additur Oratio expositi ss. Sacramenti (S. C.).[1]

16. In votivis Beatae Mariae, secunda Oratio dicitur de officio illius diei, et tertia de Spiritu sancto: sed in sabbato, quando de ea factum est officium, secunda Oratio erit de Spiritu sancto, tertia *Ecclesiae* vel *pro Papa* (R.). Quae ultima regula in Belgio locum non habet, ob officium duplex immaculatae conceptionis Beatae Virginis concessum.

17. In votivis de Apostolis, quando ponitur Oratio *A cunctis*, ejus loco dicitur Oratio de sancta Maria *Concede nos famulos* (R.). Quam regulam tantummodo de sanctis Apostolis Petro et Paulo auctores nonnulli admittunt.

18. Si cum plures dicuntur Orationes, occurrat fieri commemorationem alicujus Sancti, ea ponitur *secundo loco* et tertia Oratio dicitur, quae alias *secundo loco* dicenda erat (R.). Et in Missis votivis, si Orationi diei addenda sit aliqua commemoratio, tunc tertia Oratio dicenda, secundum diversitatem temporis vel rubricam praecedentem, omitti debet. Similiter in festis semiduplicibus, si faciendae sint duae commemorationes, videlicet, de feria et de festo simplici, seu de octava, secunda et tertia Orationes, supra indicatae, non dicuntur (AA.).

19. Juxta principia supra posita tabella sequens fuit elaborata.

---

[1] Notandum, juxta rubricam, in semiduplicibus non fieri facultatem addendi Orationes ad libitum, ut in simplicibus. Dum ergo permisit S. R. Congreg. in *Nullius Treviren* ad 9. 31. Julii 1665., addi Orationem pro aliquo defuncto in particulari, illud esse de gratia speciali, quam praetergredi nemini licet. Dein haec concessio pro Missis privatis tantum facta est. Demum rubrica Missalis, qua licet addere Orationes in simplicibus, feriis et votivis, locum non haberet in Missis conventualibus, casu quo secunda Oratio esset *Fidelium*, quia illa Oratio, quae semper est penultima, debet simul *etiam secundo loco* dici juxta decretum diei 23. Maii anni 1835.

Missa votiva:	Ab Adventu usque ad Nativitatem Domini.	Ab octava Epiphaniae usque ad Purificationem.	A feria quarta Cinerum usque ad Dominicam Passionis.	A Dominica Passionis, usque ad feriam IV. post Dominicam Palmarum.	Ab octava Paschae usque ad Ascensionem.	A Purificatione usque ad Quadragesimam et a Pentecoste usque ad Adventum.
De Beata Virgine Maria;	Secunda Oratio de die; tertia de Spiritu sancto, si commemoratio facienda non sit.					
De ss. Apostolis Petro et Paulo;	Secunda Oratio de die, tertia vel de Beata, prout tempus fert, vel de commemoratione occurrente.					
In aliis Missis votivis.	Secunda Oratio de die; et deinde tertia de commemoratione facienda, vel si non sit commemoratio facienda dicitur					
	Deus qui de Beatae.	*Deus qui salutis.*	*A cunctis.*	*Ecclesiae vel pro Papa.*	*Concede nos.*	*A cunctis.*

Animadvertendum est, si duae tresve commemorationes faciendae sint, illas omittendas non esse, neque etiam Orationem imperatam.

20. Multa notanda sunt circa Orationem *A cunctis.* Nomen sancti Joseph in Oratione *A cunctis,* ubique locorum, etiam ubi non est ecclesiae Patronus, addi nunc debet. In Oratione *A cunctis* idem servari debet ordo, ac in litaniis majoribus, adeoque nomina ss. Angelorum, s. Joannis Baptistae, et s. Josephi praeponenda sunt Apostolis; et Oratio recitanda est hoc modo: *Intercedente B..... Maria, cum beatis Angelis,* vel *cum B. Michaele, Gabriele etc., cum B. Joanne Bapt., cum B. Joseph, atque beatis Apostolis Petro et Paulo et omnibus Sanctis.* Et proinde si s. Angelis, s. Joanni B. aut s. Joseph alius Sanctus tanquam Patronus aeque principalis adjungatur, illius nominatio modo praedicto fit ante Apostolos, hujus autem, more solito, post Apostolos (S. C.). Ad litteram N exprimendum est nomen sancti Titularis seu Patroni ecclesiae, in qua celebratur; non autem Patroni loci, qui simul non sit Patronus ecclesiae,

nisi in casu infra afferendo, neque ecclesiae celebrantis. Si celebretur in ecclesia dedicata alicui mysterio, vel in oratorio, quod Patronum non habet, Patronus civitatis vel loci, et Patrono civitatis deficiente, Patronus dioecesis nominandus est (S. C.). Quod si de s. Patrono celebrata sit Missa, vel sit ex illis, quae in dicta Oratione exprimuntur; omittenda est ejus nova nominatio; et vel nullus ad litteram N est exprimendus, vel loco Orationis *A cunctis* legenda est Oratio *ad poscenda suffragia,* quae est prima inter *Orationes diversas,* vel loco Patroni ecclesiae nominandus est Patronus loci (S. C.).

Notandum hanc Orationem *A cunctis* dici in vigiliis Apostolorum et Omnium Sanctorum, si ordo temporis festumve exigat; dumque praescribitur, eamdem Orationem a Purificatione esse recitandam, illud intelligi nempe a die secundo Februarii, licet officium Purificationis transferatur (S. C.).

21. Oratio *ad libitum,* quae pro Oratione imperata non omittitur, (S. C.) omittitur tamen, si facienda sit commemoratio festi duplicis ad ritum simplicem redacti (S. C.). Haec autem Oratio ad libitum dici potest de Sancto, de ss. Sacramento, de Passione etc., sed non de feria aut Dominica (S. C.), neque de Beato (S. C.).

Art. III. De ordine, de conclusione etc. Orationum.

1. In faciendis commemorationibus servetur ordo ut in Breviario: de Dominica (R.) et de festo semiduplici (AA.), ante diem infra octavam: de die infra octavam, ante ferias praedictas art. 1^mo^, n^o^ 6.: de feriis praedictis, ante festum simplex: de festo simplici, ante Orationes, quae *secundo* vel *tertio loco* dicendae assignantur, et hae dicantur ante Orationes votivas: in quibus votivis servetur deinde dignitas Orationum, ut de sancta Trinitate, de Spiritu sancto, de sanctissimo Sacramento, de sancta Cruce, ante votivam de beata Maria, et de Angelis, et de sancto Joanne Baptista ante Apostolos, et similiter in aliis (R.).

2. Aliquae Orationes privilegiatae sunt, et *primo loco* ponuntur, videlicet Oratio omnium Apostolorum in festo ss. Apostolorum Petri et Pauli; Oratio s. Pauli in festo s. Petri et

vice versa; similiter Oratio votiva, quae tenet locum Missae, quae dici nequit (R.). Priores sub conclusione distincta dicuntur, posterior autem sub una tantum conclusione (S. C.).

In memoriam revocanda sunt superius art. primo n^is 9, 10 et 11 dicta.

3. Si indicetur Oratio post omnes alias de praecepto recitanda, intellige post omnes Orationes a rubrica praescriptas, non vero post Orationem ab Episcopo imperatam (AA.).

4. Si facienda sit commemoratio pro defunctis, semper *penultimo loco* ponitur (R.), quocumque in casu, ac etiam secundo loco in Missa conventuali (S. C.). Quae regula observatur, si secundum Missalis rubricam, §. VI. n^o 8. relatam, commemoratio de Spiritu sancto facienda esse contigerit; hinc in isto casu Oratio de Spiritu sancto *ultimo loco* ponenda est (M.).

5. In Missis autem defunctorum nulla fit commemoratio pro vivis, etiamsi Oratio esset communis pro vivis et defunctis (R.).

6. Quando dicuntur plures Orationes, prima tantum et ultima cum sua conclusione terminantur, et ante primam et secundam Orationem tantum dicitur *Oremus* (R.); attamen in feriis Quadragesimae, post Communionem tertium *Oremus* additur (R.); ante primam etiam dicitur *Dominus vobiscum* (R.).

7. Cum vero dicuntur plures Orationes, et una Oratio eadem sit cum alia dicenda, Oratio hujusmodi, illa scilicet, quae eadem est, non alia, commutetur cum alia de Communi, vel Proprio, quae sit diversa. Idem servetur de Secretis, et Orationibus post Communionem (R.). Sic si festum sancti Martini Episcopi incidat in vigesima Secunda Dominica post Pentecostes, simulque eodem tempore Superior imperet Orationem *Deus refugium,* huicce Orationi *Deus refugium* substituatur Oratio *Ne despicias* post eamdem Orationem *Deus refugium* in Missali posita (S. C.), itemque Secretae Dominicae substituatur Secreta Dominicae vigesimae sextae (C. G. Tet. Pav.). Attamen si festum sancti Barnabae transferatur in diem vigesimum tertium Junii, Secretae ipsius sancti Barnabae, substituatur Secreta sancti Mathiae, mutato nomine (S. C.).

Praefata tamen regula locum non habet, dum habetur una

tantum phrasis identica: sicque Oratio *A cunctis* cum Oratione *Ecclesiae* conciliari potest, etsi iisdem verbis terminetur (S. C.).

8. In conclusione Orationum hic modus servatur. Si Oratio dirigatur ad Patrem, concluditur, *Per Dominum nostrum* etc. Si ad Filium, *Qui vivis et regnas cum Deo Patre.* Si in principio Orationis fiat mentio Filii, concluditur, *Per eumdem Dominum nostrum.* Si in fine Orationis ejus fiat mentio, *qui tecum vivit et regnat.* Si facta sit mentio Spiritus sancti, in conclusione dicitur: *In unitate ejusdem Spiritus sancti* (R.).

Cum plures successive dicuntur Orationes, conclusio est illa, quam requirit ultima (S. C.).

9. Si in Oratione fiat mentio Spiritus sancti, in conclusione dicitur: *In unitate ejusdem Spiritus sancti,* ut supra dictum est. Ad hoc autem requiritur 1°, ut ejus mentio fiat in ipsa Oratione, quae concluditur; si enim in una ex praecedentibus Orationibus, dum plures sub una conclusione terminantur, mentio Spiritus sancti habeatur, non autem in ultima, conclusio fit more solito: *In unitate Spiritus sancti,* sine addito *ejusdem* (S. R. C.). 2° requiritur, ut mentio illa directe significet Spiritum sanctum, ut patet ex decretis, in quibus declaratur, quod nomen *Spiritus* in Orationibus s. Juliani (28. Jan.), s. Fidelis (24. Apr.), s. Bernardini (20. Maji), s. Hieronymi Aemiliani (20. Jul.), s. Joannae Franciscae (21. Aug.), s. Camilli (18. Jul.), necnon in Postcommunionibus s. Joannis Nepomuceni (16. Maji) et s. Januarii (19. Sept.), item Orationibus octavae Passionis Domini et feriae quartae post Dominicam secundam Quadragesimae in Vesperis revera non indicet Spiritum sanctum, ideoque more solito sint concludendae sine addito *ejusdem* (S. C.), Missaliaque in contrarium corrigenda. Oratio s. Ludovici concludatur *Qui tecum,* Oratio autem festi Exaltationis sanctae Crucis *Per eumdem;* Oratio tandem pro rege *Per Dominum,* atque pariter Oratio s. Ignatii Confessoris (Rev. théol.).

10. Nihil immutandum in Orationibus, etiam dum festum transfertur, inconsulta sacra Congregatione (S. C.), nec in Oratione et Versiculis B. Francisci, potest addi a Franciscanis

Beati Patris nostri (S. C.). In Oratione *Absolve* pro defunctis, genus mutandum est, si agatur de femina (S. C.).

11. Expungantur omnino, in Orationibus tantum, cognomina et patriae Sanctorum, ubi habentur. Qualia plura in quibusdam Missalibus et Breviarii erronee imprimuntur, uti Petrus *Nolascus,* Joannes *de Matha,* Franciscus *de Paula,* Raymundus *Nonnatus,* Franciscus *de Borgia,* Canutus *Danorum Rex,* Margarita *Scotiae,* Philippus *Benitius,* Pius *Quintus* etc. Item in Oratione s. Joannes *Gualberti* omitti debet *Gualberti* (S. C.). Excipiuntur tamen Orationes s. Joannis Chrysostomi et s. Petri Chrysologi, in quibus nomina Chrysostomi et Chrysologi expungenda non sunt; item Oratio s. Petri Coelestini, in qua addi potest *Coelestinum* (S. C.).

§. V. De Epistola et Evangelio.

1. Post ultimam Orationem dicitur Epistola: qua finita a ministris respondetur *Deo gratias.* Et similiter quando leguntur plures Lectiones, post singulas dicitur *Deo gratias,* praeterquam in fine quintae Lectionis Danielis in sabbatis Quatuor Temporum, et in fine Lectionum feriae sextae in Parasceve, et sabbati sancti (R.).

2. Post Epistolam dicitur Graduale, quod semper dicitur, praeterquam tempore paschali, cujus loco tunc dicuntur duo Versus, ut habetur in rubrica in sabbato *in albis* (R.). Sic dicuntur duo Versus in Missis votivis et in festis translatis (AA.), unus tantum vero in Missa Rogationum (R.).

3. Post Graduale dicuntur duo *Alleluia,* deinde Versus et post Versum unum *Alleluia.* Tempore paschali, quando non dicitur Graduale, dicitur aliud *Alleluia* post secundum Versum; et quando dicitur *Sequentia,* non dicitur post ultimum Versum, sed post Sequentiam (R.). Sabbato post Pentecosten *Alleluia* omnino omittitur (R.(.

4. A Septuagesima usque ad sabbatum sanctum non dicitur *Alleluia,* neque dicitur in Missis de feria in Adventu, Quatuor Temporibus et Vigiliis, quae jejunantur, exceptis vigilia Nativitatis Domini, si venerit in Dominica et vigilia, tum

Paschae tum Pentecostes, ac Quatuor Temporibus Pentecostes. Nec dicitur in festo ss. Innocentium, nisi venerit in Dominica (R.). In Adventu, Missae Dominicae, votivae aut festivae habent *Alleluia* (R.).

5. A Septuagesima usque ad Pascha ejus loco dicitur Tractus; qui Tractus praedicto tempore in aliquibus feriis non dicitur, ut suis locis ponitur (R.). Nec dicitur in feriis a Septuagesima usque ad Quadragesimam, quando repetitur Missa Dominicae (R.). Notandum, in Missa de Communi Virginum *Vultum tuum* post Septuagesimam, dicto Versu post Graduale, in Tractu non esse repetendum *Audi filia,* sed prosequendum *quia concupivit,* ne bis idem dicatur (S. R. C.).

6. In Missa autem ss. Nominis Jesu Sequentia est omittenda pariterque in Missis votivis ss. Sacramenti, Spiritus sancti, Septem Dolorum Beatae Mariae (S. C.). Sequentia dicitur in Missis pro defunctis, quandocumque una tantum dicatur Oratio, in aliis autem Missis pro iisdem defunctis, dicitur *ad libitum* (R.). Sequentia insuper dici debet submissa voce a Celebrante tantum, et non alternatim cum ministris, choro eamdem Sequentiam cantante (S. C.). Dum vero Sequentia dici debet a Celebrante, necessario cantanda est a choro, qui tamen satisfacit aliquas ejus strophas cantando (S. C.).

7. Dicto Graduali, seu Alleluia, seu Tractu, dicitur Evangelium, et in principio Evangelii dicitur *Dominus vobiscum,* respondetur a ministris *Et cum spiritu tuo;* deinde *Sequentia sancti Evangelii secundum N.* Respondetur iterum a ministris *Gloria tibi Domine.* In fine Evangelii ab iisdem respondetur *Laus tibi Christe,* quod etiam dicitur in fine illius partis Passionis, quae legitur in tono Evangelii, praeterquam in Parasceve (AA.). Evangelium homiliae officii diei respondere debet (S. C.). Si festum ad tempus paschale transferatur, dicatur Evangelium istius temporis, dummodo non sit proprium (S. C.). Sicque festum sancti Joannis Nepomuceni idem Evangelium servat (R.).

§. VI. De Symbolo.

1. Symbolum dicitur post Evangelium in omnibus Dominicis per annum, etiamsi in illis fiat de festo, in quo alias non

non diceretur, vel Dominica vacet (R.). Symbolum autem non dicitur in Missis Rogationum, quibuscumque diebus dicantur (S. C.), nec in Missa Dominicae anticipandae (AA.).

2. Symbolum dicitur in tribus Missis de Nativitate Domini, et deinceps usque ad octavam s. Joannis Apostoli inclusive. In Epiphania et per octavam. Feria quinta in Coena Domini. In Paschate Resurrectionis et per octavam. In Ascensione Domini et per octavam. In Pentecoste et per octavam (R.) Symbolum vero non dicitur feria sexta et sabbato post octavam Ascensionis (R.).

3. Pariter Symbolum dicitur in omnibus festis B. Mariae, et per octavas. In Missis autem officii, quod semel aut pluries in hebdomada vel mense recitatur, uti de ss. Sacramento, de immaculata Conceptione B. M. V. aut aliis, non dicitur Symbolum, licet in festo dicatur, aut officium votivum sub ritu duplici fiat (S. R. C.). Neque etiam dicitur in Missa B. M. V. in sabbato, in quo ejusdem B. M. V. officium sub ritu simplici recitatur (AA.).

4. Similiter Symbolum dicitur in festis duodecim Apostolorum et Evangelistarum, et per octavas. In utraque Cathedra s. Petri, et in festo s. Petri ad vincula. In festis Conversionis et Commemorationis s. Pauli Apostoli. In festo s. Barnabae Apostoli (R.), atque in festo Divisionis Apostolorum in locis, in quibus celebratur sub ritu duplici (J.).

Tandem Symbolum dicitur in diversis festis sequentibus:

5. In festis Inventionis et Exaltationis s. Crucis, in festo Cordis Jesu, in festo pretiosissimi Sanguinis et in Transfiguratione Domini (R.), et in officiis de Passione concessis.

6. In festis Angelorum (R.) sive generaliter, sive particulariter et per octavas eorumdem (AA.). In festis s. Joseph (S. C.).

7. In festo s. Mariae Magdalenae (R.),

8. In festis quatuor Doctorum, videlicet Gregorii, Ambrosii, Augustini et Hieronymi; additis festis s. Thomae de Aquino, s. Bonaventurae, s. Leonis Papae et s. Anselmi. Item in festis sanctorum Doctorum Athanasii, Basilii, Gregorii, Nazianzeni, Joannis Chrysostomi (R.), Isidori, Petri Chrysologi, Bernardi, Petri Damiani, Hilarii et s. Alphonsi (S. C.).

9. In festo Omnium Sanctorum, et per octavam (R.).

10. In dedicationibus ss. Salvatoris et ss. Apostolorum Petri et Pauli, in anniversario propriae ecclesiae et per octavam. In die consecrationis ecclesiae vel Altaris (R.).

11. In die creationis et coronationis summi Pontificis, et in anniversario ejusdem diei. In die et in anniversario electionis et consecrationis Episcopi (R.). Notandum hoc intelligendum esse de Missa solemni in ecclesiis cathedralibus et collegiatis cantanda (S. C.).

12. Item in festo Patroni (R.) principalis (S. C.) alicujus loci (R.) pro omnibus loci Sacerdotibus exterisque in eo loco Missam dicentibus (S. C.). In festo Tituli ecclesiae (non autem alicujus capellae vel Altaris (R.), pro stricte huic ecclesiae addictis Sacerdotibus et tantum in hac ecclesia, etiamsi sit ecclesia cathedralis (S. C.); sed symbolum non dicitur in die festo capellae vel Altaris (R.), aut oratorii publici stricte sumpti (S. C.).

Symbolum etiam dicitur in festis principalibus Ordinum, et per eorum octavas, in ecclesiis tantum illius Ordinis (R.), etiam a Sacerdotibus exteris in illis ecclesiis celebrantibus (S. C.). Notandum Symbolum etiam dicendum esse infra octavas istorum festorum (R.), omittendum vero in aliis festis Sanctorum insignium istius Ordinis, non obstante consuetudine contraria (S. C.).

13. Item in festis Sanctorum, quibus dedicata est ecclesia, et ubi habetur corpus vel insignis reliquia Sancti, de quo agitur (R.), sed in hac tantum ecclesia, etiamsi sit ecclesia cathedralis (S. C.). Et similiter Symbolum dicitur in Missa solemni, sive festiva, sive votiva, quae cantatur ob extraordinarium populi concursum ad venerandum Sanctum, cui Altare in ecclesia erectum est (S. C.).

14. Item dicitur *Credo* in Missis votivis, quae solemniter pro re gravi, vel pro publica Ecclesiae causa celebrantur, etiamsi dicantur in paramentis violaceis in Dominica (R.), et in caeteris Missis votivis, de quibus mentio facta fuit supra §. V. n° 3, 4, 5; sed non dicitur in Missis votivis pro sponso et sponsa (S. C.), neque in aliis Missis votivis privatis, etiamsi solemniter infra octavas cantentur (S. C.).

15. Tandem dicitur in omnibus festis, quae in Dominicis, et infra octavas celebrantur, in quibus ratione Dominicae et octavae dici debet (R.). Sicque dicitur in die octava s. Joannis Baptistae et s. Laurentii (R.). Symbolum vero non dicitur in Missa de feria, quamvis occurrat in festo aut infra octavam illud habentem (Cav. Tet. Pav.), uti expresse statutum fuit quoad Missam Rogationis in festo s. Marci (S. C.).

16. Symbolum integre cantari debet, et dum cantatur Celebranti Missam prosequi non licet (S. C.). In festo Annuntiationis licet translato (S. C.), et in die Nativitatis Domini, dum cantatur *Credo*, Sacerdos et ministri Altari genuflectunt ad versum *Et incarnatus est* (R.), et caput inclinant (S. C.). Cantores autem, si pausa sit longa, ad finem verborum tantum genuflectunt (S. C.).

§. VII. De Offertorio, de Praefatione et Canone Missae.

1. Offertorium semper dicitur excepto sabbato sancto (R.), et tempore paschali additur unum *Alleluja*, si non habeatur. Postea fit oblatio cum Orationibus ut in ordine Missae (R.).

2. Qua oblatione facta, dicuntur Orationes secretae, secundum numerum Orationum, quae clara voce in principio dictae sunt; sed ante primam Orationem non dicitur *Dominus vobiscum*, nec aliquid aliud, sed dicto *Suscipiat Dominus sacrificium*, absolute dicuntur, neque etiam ante secundam Orationem dicitur *Oremus*. Terminatur autem prima et ultima Oratio, ut dictum est supra in rubrica de Orationibus (R.). Post primam Orationem secretam ipse Sacerdos respondet *Amen* (AA.). Et secreto dicuntur usque ad illa verba in conclusione *per omnia saecula saeculorum*, quae clara voce proferuntur, et quibus incipit Praefatio (R.).

3. Praefationes autem dicuntur, ut in ordine Missae annotatum est. Prima Praefatio, scilicet, de Nativitate Domini, cum suo cantu dicitur a Nativitate Domini usque ad Epiphaniam exclusive, praeterquam in die octava s. Joannis Apostoli (R.), ac in aliis Missis sive festivis, sive votivis infra octavam Nativitatis occurrentibus, etsi propriam Praefationem habeant

(S. C.); atque similiter dicit in festo Purificationis B. M. V., in festo ss. Nominis Jesu, in festo Corporis Christi et per octavam ejus, nisi in ea occurrat festum, quod propriam Praefationem habet, nec non et in Transfiguratione Domini (R.). Notari potest, Praefationem de Nativitate dicendam esse 1° infra octavas praedictorum festorum; 2° in Missis eorumdem votivis; et 3° quotiescumque in feria quinta infra annum dicenda sit Missa de ss. Sacramento.

4. Secunda Praefatio, scilicet de Epiphania cum suo cantu dicitur in Epiphania Domini, et per octavam. Deinde tertia cum suo cantu dicitur in Dominicis Quadragesimae, et in festis duplicibus et semiduplicibus in ea occurrentibus, usque ad Dominicam Passionis, nisi in festis propria assignetur. Quarta autem cum suo cantu dicitur in Dominica Passionis, in Dominica Palmarum, in feria quinta in Coena Domini, et in festis duplicibus et semiduplicibus eo tempore occurrentibus (nisi in festis propria assignetur) et in solemnitatibus sanctae Crucis, pretiosissimi Sanguinis etc., et infra octavas, in Missis votivis eorumdem festorum, atque in Missis votivis Passionis (R.).

5. Quinta vero Praefatio paschalis cum suo cantu dicitur a vigilia Paschae inclusive usque ad octavam, et in Dominicis usque ad Ascensionem exclusive, et in festis duplicibus et semiduplicibus eo tempore occurrentibus, nisi in eis propria assignetur. In Missa sabbati sancti dicitur, *in hac potissimum nocte,* in die Paschae usque ad Sabbatum in albis inclusive, *in hac potissimum die,* et deinceps *in hoc potissimum gloriosius* (R.).

6. Sexta Praefatio Ascensionis, cum suo cantu dicitur in die Ascensionis usque ad vigiliam Pentecostes exclusive, et in festis tunc occurrentibus, nisi propriam habuerint (R.).

Septima Praefatio Pentecostes cum suo cantu dicitur a vigilia Pentecostes usque ad sequens sabbatum inclusive, et in Missis votivis de Spiritu sancto, verbis *hodierna die* suppressis (R.).

7. Octava Praefatio Ss. Trinitatis cum suo cantu dicitur in festo Ss. Trinitatis et infra octavam ejus, ubi existit, nec non in Missis votivis de eadem Ss. Trinitate (R.). Eadem Praefatio dicitur in omnibus Dominicis totius anni extra tem-

pus quadragesimale et paschale, nisi occurrat festum aut octava habens Praefationem propriam (S. C.).

8. Nona Praefatio de Beata cum suo cantu dicitur in festis B. M. (excepto festo Purificationis, in quo dicitur de Nativitate Domini) et per eorum octavas, etiam in festis infra eas occurrentibus, si propriam non habuerint, atque etiam in Missis votivis de Beata. Dicitur autem, die 23. Januarii, *et te in Desponsatione;* in festo Septem Dolorum, *et te in Transfixione;* in die 25. Mart., *et te in Annuntiatione;* in die 2. Julii, *in Visitatione;* in die 16. ejusdem mensis, *in Commemoratione;* in die 15. Aug., *in Assumptione;* in die 8. Sept., *in Nativitate;* in festo Rosarii, *in Solemnitate;* in die 21. Nov., *in Praesentatione;* in die 8. Dec., *in Conceptione immaculata;* in die 18. ejusdem mensis, *in Exspectatione.* In omnibus autem aliis festis Beatae Mariae Virginis dicitur, *in festivitate;* ac in ejusdem Missis votivis, *et te in veneratione.* Attamen quotiescumque in sabbato ex indulto Apostolico dicatur Missa immaculatae Conceptionis, dicendum erit in Praefatione, *et te in commemoratione Conceptionis immaculatae* (R. S. C.),

9. Praefatio decima vel Apostolorum, cum suo cantu dicitur in festis, etiam secundariis, Apostolorum et Evangelistarum (praeterquam in die sancti Joannis Apostoli) et per octavas, ac etiam in Missis votivis eorum, et in festis infra praedictas octavas occurrentibus, nisi in eis propria assignetur (R.).

10. Postremo undecima Praefatio, vocata communis, dicitur quandocumque propria Prafatio non assignetur, et in Missis de Requiem quocumque tempore dicantur (R.).

11. Prafationes assignatae ut propriae, infra Quadragesimam, tempore Passionis, tempore paschali ac per octavas, pariter dicuntur in Dominicis et festis in eis temporibus celebratis, nisi haec festa propriam Praefationem habeant (R.).

12. Si infra octavam alicujus festi propriam Praefationem habentis, incidat solemne festum, cui Praefatio specialis non assignatur, dicatur Praefatio octavae, licet infra Missam nulla Commemoratio de octava fiat (R.). Si plures concurrant octavae, dicatur Praefatio de digniori (AA.).

13. In Missis votivis dicitur Praefatio propria (R.), etiam

in octava Nativitatis Domini (S. C.), si propriam habeant Praefationem; si vero non habuerint, dicenda erit Praefatio de tempore vel de octava, in qua istae Missae celebrantur (R.), sed Praefatio de octava Praefationi de tempore anteponitur (S. C.). Alias sumenda est Praefatio communis (R.), numquam autem Praefatio conformis Missae officii aut festi diei, quod habeat propriam Praefationem (S. C.). Itaque si in Dominica fiat officium Sancti, cui assignatur Praefatio propria, in Missa stricte votiva Praefationem non habente, Praefatio communis dicatur (S. C.). Dixi *stricte votiva*, quia in votivis per indultum concessis, ad recolendam festivitatem, dicenda est Praefatio Ss. Trinitatis (Rev. théol.).

14. Quandocumque in ecclesiis cathedralibus et collegiatis dicuntur duae Missae, una de festo post Tertiam, altera post Nonam de feria Missam propriam habente, Praefatio Missae istius feriae non est Praefatio festi vel octavae, sed Praefatio communis aut de tempore (AA.) Si autem una tantum Missa celebretur, ut fit die 14. Dec. in feria Quatuor Temporum, tum in Missa feriae Praefatio de octava dicatur (R.).

15. Post Praefationem incipit *Canon Missae*, secreto, in quo serventur omnia ut in ordine Missae. Ubi vero infra actionem, *Communicantes*, et *Hanc igitur*, vel alia variari contingit, suo loco in propriis locis annotatur (R.). Cum in Canone perventum erit ad haec verba *cum famulo tuo Papa Nostro N.*, ad nomen Papae, inclinandum est caput (S. C.), atque ad Sanctum, cujus factum est officium, aut saltem commemoratio; similiterque caput inclinandum est infra octavas Sanctorum, etiamsi de eis commemoratio non fiat; in Missis autem pro defunctis caput non est inclinandum ad nomina Sanctorum excepta B. M. V. (S. C.).

Sanctus Joannes, de quo in secunda parte Canonis Missae mentio fit, est sanctus Joannes Baptista (S. C.).

Ubi nominandus est Antistes, nominandus est Episcopus loci etiam ab exemptis, non autem eorum Abbas, vel Administrator (S. C.).

16. In quinque festis Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, atque infra eorum octavas, in

Missis pro vivis, *Communicantes* est proprium, etiamsi octavae Praefatio dicta non fuerit (S. C.).

Idem servetur quoad *Hanc igitur* infra octavas Paschae et Pentecostes (AA.).

17. Nec quidquam aliud mutari potest in Canone Missae, sed tantum in feria quinta in Coena Domini, ad *Qui pridie* adduntur haec verba, *quod est hodie,* et *hanc igitur* est proprium.

§. VIII. De caeteris Missae partibus.

1. Expleto Canone, et aliis omnibus usque ad Communionem, ea peracta, dicuntur Communio et Orationes post Communionem, eo modo et ordine ut in principio Missae; et repetito *Dominus vobiscum,* dicitur *Ite missa est,* vel *Benedicamus Domino,* pro temporis ratione (R.). *Ite missa est* dicitur quandocumque dictum est *Gloria in excelsis* (R.), cui duo *Alleluja* adduntur a sabbato sancto usque ad sabbatum in Albis inclusive (R.). Cum non dicitur *Ite missa est,* ejus loco dicitur *Benedicamus Domino,* et respondetur a ministris, *Deo gratias.* In Missis defunctorum dicitur *Requiescant in pace* (R.), semper in plurali numero (S. C.), et respondetur a ministris *Amen.*

2. Dicto *Placeat,* datur *Benedictio,* quae a Celebrante semper datur in Missa, praeterquam in Missis defunctorum (R.).

3. Deinde legitur Evangelium sancti Joannis, *In principio,* praemisso *Dominus vobiscum,* et *Initium,* ut moris est. Quod Evangelium numquam praetermittitur in Missa, nisi quando fit de festo in aliqua Dominica, vel feria, quae habet Evangelium proprium, quod legitur ejus loco (R.). Sic legitur ultimum Evangelium de vigilia infra Adventum, exceptis Quatuor Temporibus, etiamsi nulla commemoratio facta fuerit in officio (S. C.).

4. Excipitur Dominica quarta Adventus, cujus Evangelium non legitur in fine Missae, quando in ea occurrit vigilia Nativitatis Domini, quia nec in officio lectum est (R.). Si Evangelium feriae idem sit quod Evangelium festi, etiam Evangelium s. Joannis in fine Missae legendum est: ita fit in octava Concept. immaculatae, si incidat Feria IV. Quatuor Temporum (S. C.).

5. In tertia Missa de die Nativitatis Domini legitur in fine Evangelium de Epiphania, *Cum natus esset Jesus.* Et in

Dominica Palmarum in Missis privatis legitur Evangelium, quod ponitur in benedictione palmarum, quod etiam lectum est in officio (R.).

6. In vigiliis, quae occurrunt in Quadragesima, vel Quatuor Temporibus, non legitur Evangelium vigiliae in fine Missae (R.).

7. Et similiter in Missis votivis stricte dictis numquam legitur in fine aliud Evangelium, nisi sancti Joannis (R.). Sed in concessis per indultum dicitur Evangelium proprium de Dominica aut feria, si habeatur (S. C.).

§. IX. De ordinanda Missa ex supradictis rubricis.

1. Supradictis rubricis cognitis, si quis velit ordinare Missam diei, recurrat ad Ordinarium Missarum de tempore, vel de Sanctis, secundum qualitatem officii. Si proprium non habeat, recurrat ad Commune Sanctorum (R.).

2. Missa propria de Sancto aut Mysterio ab omnibus legi potest, modo 1° a summo Pontifice aut S. R. C. sit approbata, quia S. R. C. in decreto initio Missalis prohibet omnino Missas legi ab ea non approbatas, et 2° modo sit pro ipso Celebrante concessa (S. C.). Attamen Sacerdotes saeculares celebrantes in regularium ecclesiis possunt saepius celebrare Missas proprias Sanctorum variis ordinibus a S. R. C. concessas; hocque fit 1° in ecclesiis ordinis utriusque sexus sancti Benedicti (concessio Pii VI.); 2° in ecclesiis Eremitarum sancti Augustini (indultum Clementis XIV.); 3° in ecclesiis etiam ordinis Minorum, Capuccinorum et Carmelitarum excalceatorum utriusque sexus (indultum Pii VI.). In aliis autem ecclesiis supradicti Sacerdotes affluentes Missas celebrare prohibentur absque authentica concessione, quia hujus privilegii non fit communicatio (S. C.).

3. Missa de Beato non canonizato tantum dici potest a stricte privilegiatis et secundum concessionis tenorem (S. C.). Missa autem de sancto Rocho toleratur iis in locis, in quibus est patronus (S. C.) et ubi, saeviente peste, consuetudo viget (Cav.).

4. Si de feria agendum sit, et propria Missa non fuerit de feria, dicatur Missa praecedentis Dominicae, omissis *Gloria in excelsis* et *Symbolo* (R.), praeterquam tempore paschali, in

quo semper dicitur *Gloria in excelsis,* ut supra, excepta Missa Rogationum: et in Adventu praetermittitur *Alleluja* post Graduale cum suo Versu (R.).

5. Si dicenda sit Missa votiva, requiratur post Commune Sanctorum suo loco (R.) vel alias si habeatur propria, mutatis mutandis (AA.).

6. Si plures Orationes recitandae sint, requirantur post Missas votivas, suo loco de singulis rebus singulae. Si pro defunctis dicenda sit Missa, habetur post Missas votivas cum Collectis diversis circa finem Missalis (R.).

7. Ordo totius Missae, cum Praefationibus, Canone et aliis dicendis, habetur suo loco, cum Proprio Missarum de tempore (R.).

Caput tertium.

De requisitis ad celebrandam Missam.

In hoc capitulo tractatur de immediate requisitis ad Missae sacrificium, de paramentis ac linteis, de Altari, de sacrificii materia etc. Insuper exponuntur ordinatim rubricae de Missae defectibus, ut facilius cognosci possint et regula ac defectus illi contrarii, remediaque defectibus afferenda.

De binatione specialiter tractabitur.

§. I. De paramentis et linteis.

1. In officio Missae Celebrans semper utitur planeta[1] super albam. Si autem sit Episcopus, et solemniter celebret, super dalmaticam et tunicellam (R.).

2. Dalmatica et tunicella utuntur Diaconus et Subdiaconus in Missa solemni, et processionibus et benedictionibus, quando Sacerdoti ministrant (R.).

---

[1] Pluviali utitur in processionibus et benedictionibus, quae fiunt in Altari. Item in officio Laudum et Vesperarum, quando solemniter dicuntur. Eodem utitur assistens Celebrans in Missa pontificali. Item quando Celebrans post Missam defunctorum facit in fine absolutionem. Cum Celebrans utitur pluviali, semper deponit manipulum; et ubi pluviale haberi non potest, in benedictionibus, quae fiunt in Altari, Celebrans stat sine planeta cum alba et stola (R.).

3. In diebus vero jejuniorum (praeterquam in vigiliis Sanctorum) et in Dominicis et feriis Adventus et Quadragesimae, ac in vigilia Pentecostes ante Missam (exceptis Dominica *Gaudete,* etiamsi ejus Missa infra hebdomadam repetatur, et Dominica *Laetare,* vigilia Nativitatis Domini, Sabbato sancto in benedictione cerei, et in Missa, ac Quatuor Temporibus Pentecostes), item in benedictione candelarum, et processione in die Purificationis B. Mariae, et in benedictione cinerum ac benedictione palmarum, et processione, in cathedralibus, et praecipuis ecclesiis (R.), non exclusis parochialibus *(Misc. theol.),* utuntur planetis plicatis ante pectus (R.). Suam planetam Diaconus dimittit, cum lecturus est Evangelium, eaque tunc super sinistrum humerum super stolam complicatur: aut ponitur aliud genus stolae latioris in modum planetae plicatae; et facta communione, resumit planetam, ut prius (R.). Stola haec latior, qua utitur Diaconus, tribus crucibus insigniri non debet (S. C.). Similiter Subdiaconus dimittit suam cum lecturus est Epistoam, quam legit in alba; et ea finita, osculataque Celebrantis manu, planetam resumit, ut prius (R.).

4. In minoribus autem ecclesiis, praedictis diebus jejuniorum, alba tantum amicti ministrant: Subdiaconus cum manipulo, Diaconus etiam cum stola ab humero sinistro pendente super dextrum (R.). Sed iste induendi modus omnino reprobatur in praecipuis ecclesiis (S. C.).

5. Paramenta ex filo lineo, vel gossipio, aut vitreo texto confecta reprobantur (S. C.). Albae, amictus, corporalia, pallae, purificatoria, et mappae Altaris conficienda sunt ex lino aut cannabe, non autem ex alia materia (S. C.).

6. Exceptis purificatorio (S. C.) et pluviali (AA.), paramenta ab Episcopo vel a facultatem habente[1] benedicenda sunt (R.).[2] Abbates aliique pontificalium usu fruentes eadem benedicere possunt, sed tantum pro suis ecclesiis et monasteriis et non pro aliis (S. C.). Notandum tamen, abbates regularium-que superiores, si paramenta pro aliis ecclesiis benedicant,

[1] Vide commentarium de Rituali, in 5ª sectione.

[2] Controvertitur, num dalmatica, tunica, pluviale et superpellicea debeant esse benedicta. Calicis velum et bursa non benedicuntur. (Cav. tom. IV. cap II. decr. 1.)

peccare, quia actum prohibitum exercent; eadem tamen paramenta non esse denuo benedicenda (S. C.).

7. Vestes sacras cuique tangere licet, exceptis corporali, palla, et purificatorio, quae postquam in celebratione adhibita fuerint, a laicis tangi nequeunt, nisi postquam a Subdiacono bis lota fuere in vase huic usui tantum destinato. Neque etiam absque indulto licet Episcopo concedere monialibus facultatem lintea lavandi, saltem si de eorum lotione tantum agatur (S. C.). Acolythi, vi ordinis, et tonsurati vi consuetudinis, habent facultatem tangendi vasa et linteamina sacra (Ben. XIV.).

8. Clericus, in ordine majori constitutus, cui demandata est cura lavandi sacra lintea, aquam lotionis effundat in sacrarium (G. By.). Notandum est, paramenta sacra benedicta, quae ecclesiae usibus deservire non amplius possunt, comburenda esse et cineres in sacrarium, aut in parietem vel fossas pavimentorum projiciendos, ne pedibus conculcentur; in usus autem profanos nullatenus convertenda nec vendenda esse (AA.).

9. Omnia paramenta, praesertim pallae et (AA.) corporalia, sint nitida et munda (R.). Cum ornamenta sacra, ex negligentia, sint scissa aut lacera, vel immunda, peccatur, quinimo mortaliter, si illa, praecipue vasa sacra et corporalia sint valde immunda (AA.).

§. II. De coloribus paramentorum.

1. Paramenta Altaris, Celebrantis, et ministrorum debent esse coloris convenientis officio et Missae dici, secundum usum Romanae ecclesiae: quae quinque coloribus uti consuevit, albo, rubeo, viridi, violaceo, et nigro (R.). Antependium igitur seu pallium requiritur, ut anterior pars Altaris decenter ornetur, nisi Altare per modum tumbae confectum sit, debetque, in quantum fieri potest, esse coloris convenientis officio et Missae dici (AA.). Si tamen coram ss. Sacramento exposito Missa cantetur, tunc antependium Altaris velumque humerale alba esse debent, caetera autem paramenta coloris convenientis Missae (S. C.).

2. Non licet uti colore flavo vel caerulco in sacrificio Missae et expositione ss. Sacramenti. Si vix dignosci possit ob mixtionem colorum florumque in paramentis, quis sit color primus

et dominans eorumdem, ista non adhibeantur, et strictim servetur rubrica quoad colorem paramentorum (S. C.). Declaravit S. C., colorem aureum adhiberi non posse pro colore albo, rubeo et viridi; imo si contendas, eo tantum utendum pro albo, non refragabor.

3. Albo colore utuntur:

[A] A Vesperis vigiliae Nativitatis Domini usque ad octavam Epiphaniae inclusive, exceptis festis Martyrum, quae infra eam veniunt, feria quinta in Coena Domini, et Sabbato sancto in officio Missae, et ab illo die usque ad sabbatum in vigilia Pentecostes ad Nonam; in officio de tempore, praeterquam in Missa Litaniarum et Rogationum (R.).

[B] In festo ss. Trinitatis. In festo Corporis Christi. In festo Transfigurationis Domini (R.). In festo sacratissimi Cordis et sanctissimi Redemptoris (S. C.). In festo Nominis Jesu. In festis Beatae Mariae Virginis, praeterquam in benedictione candelarum, et processione, quae fit in festo Purificationis ejusdem (R.).

[C] In festis Angelorum. In Nativitate sancti Joannis Baptistae. In principali festo sancti Joannis Evangelistae. In utraque cathedra sancti Petri. In festo sancti Petri ad Vincula. In Conversione sancti Pauli. In festo sacrorum stigmatum sancti Francisci. In festo Omnium Sanctorum. In festis Confessorum Pontificum, et non Pontificum, et Doctorum. In festis sanctarum Virginum non Martyrum, et non Virginum, nec Martyrum (R.).

[D] In dedicatione et consecratione ecclesiae vel Altaris, ac in consecratione summi Pontificis, et in anniversario creationis et coronationis ejusdem, et electionis et consecrationis Episcopi (R.).

[E] Item per octavas praedictorum festorum, quae octavas habent, quando dicitur Missa de octava, et in Dominicis infra eas occurrentibus, quando in eis fit officium de Dominica, praeterquam in illis Dominicis, quibus tribuitur color violaceus (R.). Si habeantur duae octavae, color festi principalis adhibetur (S. C.).

[F] In Missis votivis supradictorum festorum, quocumque

tempore dicantur; et in Missa pro sponso et sponsa (R.). Non autem albo colore utuntur ob ss. Sacramenti expositionem, dum alias albus color non requiritur (S. C.).

4. Rubeo colore utitur:

[A] A vigilia Pentecostes in Missa usque ad sabbatum sequens finita Nona et Missa. In festis sanctae Crucis (R.). In festis pretiosissimi Sanguinis, Lanceae, Spinarum etc., et sacrarum Reliquiarum (S. C.).

[B] In decollatione sancti Joannis Baptistae. In natali Apostolorum Petri et Pauli, et in festis aliorum Apostolorum (exceptis festo principali sancti Joannis Evangelistae post Nativitatem, et festis Conversionis sancti Pauli, et cathedra sancti Petri et ejus Vinculorum). In festo sancti Joannis ante portam Latinam. In Commemoratione sancti Pauli Apostoli (R.).

[C] In festis Martyrum, excepto festo Sanctorum Innocentium, quando non venerit in Dominica; si autem in Dominica venerit, utitur rubeo; in ejus vero die octava semper utitur rubeo, quocumque die occurrat. In festis sanctarum Virginum Martyrum, et Martyrum non Virginum (R.).

[D] Item per octavam praedictorum festorum, quae octavas habent, quando fit de octava; et in Dominicis infra eas octavas occurrentibus, eodem modo, ut dictum est supra de colore albo. Item in Missis votivis supradictorum festorum et in Missa pro eligendo summo Pontifice (R.).

5. Viridi colore utitur ab octava Epiphaniae usque ad Septuagesimam, et ab octava Pentecostes usque ad Adventum inclusive, in officio de tempore, excepta dominica Trinitatis ut supra; ac exceptis Dominicis infra octavas occurrentibus, in quibus color octavarum servatur, exceptis etiam vigiliis, et Quatuor Temporibus ut infra (R.).

6. Violaceo colore utitur:

[A] Prima Dominica Adventus in primis Vesperis usque ad Missam vigiliae Nativitatis Domini, inclusive; et a Septuagesima usque ad Sabbatum sanctum ante Missam inclusive, in officio de tempore, excepta feria quinta in Coena Domini, in qua utitur albo, et feria sexta in Parasceve, in qua utitur nigro ut infra; et benedictione cerei in sabbato Sancto, in qua

Diaconus, illius Praefationem dicens, solus utitur albo; ea autem finita, violaceo ut prius (R.).

[B] Item in vigilia Pentecostes ante Missam, a prima prophetia usque ad benedictionem fontis inclusive. In Quatuor Temporibus et Vigiliis, quae jejunantur, exceptis vigilia, et Quatuor Temporibus Pentecostes. In Missa Litaniarum in die sancti Marci Evangelistae, et Rogationum, et in processionibus, quae his diebus fiunt. In festo ss. Innocentium, quando non venerit in Dominica (R.), nec sunt Patroni (AA.).

[C] In benedictione candelarum in die Purificationis Beatae Mariae, et in benedictione cinerum ac palmarum, et ipsa Dominica in Palmis, et in eorumdem, ac generaliter in omnibus processionibus; exceptis processionibus sanctissimi Sacramenti et quae fiunt in diebus solemnibus, vel pro gratiarum actione (R.).

[D] In Missis de Passione Domini. Pro quacumque necessitate. Pro peccatis. Ad tollendum schisma. Contra paganos. Tempore belli. Pro pace. Pro vitanda mortalitate. Pro iter agentibus et pro infirmis, ac ad postulandum gratiam bene moriendi (R.).

7. Nigro colore utitur feria sexta in Parasceve, et in omnibus officiis et Missis defunctorum (R.), numquam autem dum ss. Sacramentum venerationi publicae expositum est (S.C.).

§. III. De confectione linteorum et paramentorum.

In regulis tradendis pro conficiendis linteis et paramentis, tam exacte quam docte claborata, in synodo dioecesis Lucionensis de anno 1854 habita, praescripta sequimur. Adinstar enim s. Caroli Borromaei ac placita secutus Gav. Bauldry, aliorumque peritorum rubricistarum, Episcopus hujus dioecesis reformationi manum admovit.

1. Amictus, ex cannabea vel linea tela tenui candidaque, sit longitudine octoginta octo centimetrorum et latitudine sexaginta sex centimetrorum. In duobus amictus anterioribus angulis, funiculi linei circiter unius metri viginti quinque milli-

metrorum assuantur, ac in ejus medio, non vero in ora (G. By.), crux cum aciculo aut alia ratione affigatur (R.).

2. Alba ex eadem materia composita sit, ac latitudine quatuor metrorum, longitudine vero tali ut ad pedes usque pertingat. In summa veste et in extremis manicis aliquid dumtaxat sit acu paululum ac tenuiter elaboratum. Si autem pars albae inferior denticulato texto decoretur, supra genua praedictum textum denticulatum non protendatur.

Manicis supponi nequit paramentum rubri coloris (S. C.).

3. Cingulum potest fieri sericum aut laneum et coloris paramentorum, sed juxta praesentem ecclesiae usum, congruentius est lineum et album (S. C.), et longitudine quatuor metrorum cum dimidio. Cujus capita globulis ejusdem materiae inserantur, filamentorum manipulis appensis, quos floccos dicunt longos 0,08. Cingulum non in modum zonae, sed in modum funiculi, quo alba ligari possit, esse debet, prout rubricae praescribunt.

4. Corporalia omnino sint e tela linea simplici et constricta absque operibus acu pictis et textis denticulatis, ab oris autem acus opere simplici, punctim solum retorta sint (G. By.). Longe autem pateant quinquaginta quinque centimetrorum, late totidem. In parte anteriori crux acu pingi potest ab ora digitis duobus distans.[1] Amylo imbuantur ut rigeant.

5. Manutergium juxta auctores ejusdem magnitudinis ac amictus esse debet, generaliter autem non ita patet.

6. Mappa Altaris superior non tantum illud cooperiat, sed etiam ab utroque ejus latere usque ad terram (R.) (circiter ad quinque centimetra a suppedaneo) descendat. Nulla a parte bombacio caerulei alteriusve coloris elaboratae sint, aut si eisdem aliquid ornatus accommodetur, largior non sit. Duae autem mappae Altaris inferiores (seu una mappa in duas plicata) saltem totam ejusdem mensam cooperiant, omnesque tres mappae praedictae ex lino aut cannabe sint.

Infra has Altaris mappas, congruenter pannus lineus

---

[1] Dominus de Conny permittit, ut circumcirca denticulatum textum apponatur; By. autem et G. hunc ornatum reprobant.

ceratus collocetur, quo contra humiditatem serventur. Quod chrismale in Pontificali Romano vocatur. Praeterea istae mappae, extra Missam, tapete lanco vel lineo, cum fimbriis circiter sex vel octo centimetrorum, undequaque cooperiantur.

7. Palla, tam desuper quam inferius linea esse debet. Quamvis maxime deceat, ut pallae simpliciores sint, Sacrorum tamen Rituum Congregatio quosdam ornatus in earum parte superiori permittit, dummodo nihil funebre redolcant. Inter utramque telae partem crassior charta interponi potest, Romae autem tantum adhibetur tela duplex, quae amylo imbuatur, ut firmior stet. Auctores septemdecim centimetra pallae tam late quam longe concedunt.

Palla simul cum corporali benedicitur (R.).

8. Purificatorium, quod de jure non debet benedici (S. C.), ex tela paulo fortiori fit quam corporalia. Simplici acus opere sit confectum, ac in medio parvula crux rubei aut caerulei coloris acu pingatur. Purificatorium latitudine sit itemque longitudine, triginta centimetrorum, nihil tamen impedit, quin longitudine habeat quinquaginta centimetrorum, cum calices, quibus hodiedum utimur, sint altiores, cuppaeque eorumdem largiores.

9. Rochettum et superpelliceum, licet rubricae et decreta nihil de illis statuant, videntur tamen ejusdem materiae esse debere ac alba, cujus usum supplent ac locum tenent. Superpelliceum manicas largas habeat, atque ducatur ita longe, ut infra genua descendat. Manicae superpellicei sint longitudinis sexaginta sex centimetrorum, latitudinis autem unius metri et triginta trium centimetrorum, cum apertura potius rotunda quam quadrata. Superpellicea absque manicis, non ita pridem excogitata fuere, nec ad liturgiam pertinent.

Rochettum, indumentum Episcoporum ac Praelatorum, et interdum speciali privilegio Canonicis concessum, a superpelliceo differt; est enim superpelliceo brevius, ejusque manicae strictiores sunt. Non est vestis sacra (S. C.).

10. Casula, juxta usum romanum, fascia ita assui solet ut crucis ante pectus ac columnae a tergo speciem effingat; in nostris autem partibus, crux a tergo et columna ante patet.

Casula longitudine sit unius metri et duodecim centimetrorum a posteriori parte; latitudine a retro super humeros septuaginta centimetrorum, et totidem deorsum; latitudine ab anteriori parte versus pectus, in strictiori loco, triginta sex centimetrorum et in infima parte septuaginta centimetrorum. Latitudine crux est viginti duorum centimetrorum, atque longitudine in brachiis crucis centum sexaginta quinque millimetrorum. Funiculi autem ad casulam alligandam sint longitudine unius metri et viginti quinque centimetrorum.

11. Stola sit longitudine duorum metrorum et triginta sex centimetrorum, ac latitudine novem centimetrorum. Versus tamen medium sensim minuiscit usque dum sex centimetris pateat, ut sic congruentius collo circumducatur. Stola habeat in extremitatibus lacinias seu frangias octo centimetrorum. Praeterea annectantur ei de more tres cruces, duae in extremitatibus centum viginti quinque millimetrorum, et una in medio trium aut quatuor centimetrorum. Pedes stolae ab infima ejus parte sint latitudine ac pariter altitudine viginti duorum centimetrorum. In medio stolae circa collum pannus lineus non assuatur. Verum ad munditiem affigi potest parva vitta linea absque texto denticulato, circiter mediam stolae latitudinem cooperiens.

Stola Diaconi differt a stola Sacerdotis, quod in medio sit pari latitudine, scilicet novem centimetrorum; insuper habet duos funiculos, vel vittam, qua infra dextrum brachium constringatur.

12. Manipulus stolae parvae fert speciem, et convenit in crucibus ac extremitatum latitudine stolae, quae esse debet novem centimetrorum. Sit autem longitudine nonaginta trium centimetrorum, mediaque ejus pars funiculo aut chordula solidiore affigatur.

13. Velum calicis omnino sericum esse debet, quadratum et sexaginta sex centrimetra patens, ut integre calicem cooperiat aequaliterque a quatuor lateribus pendeat. Hinc necesse est, ut pars veli anterior revolvatur super bursam a Celebrante ad Altare eunte vel ab eo redeunte, atque ita crux in medio veli picta super cuppam calicis appareat. Decet, ut in ejus ex-

tremitatibus assuantur granata ac elaborata serico vel filo aureo aut argenteo, imo potest frangiis laciniisve aut fascia denticulata circumduci.

Velum pyxidis fiat ex pannis sericis albis vel argenteis, aliisque juxta consuetudinem, nec minus pretiosum quam velum calicis. Fimbriae ejus ne descendant infra pyxidis pedem.

14. Bursa viginti quinque centimetrorum sit longitudine et viginti trium altitudine cum cruce latina quindecim centimetrorum; pars ejus inferior sit eodem panno eodemque colore ac superficies.

15. Cappa seu pluviale ad imos usque ad talos protenditur, longitudine constans circiter unius metri quadraginta centimetrorum, ac pro semicirculi ratione late patens. Pluviale a parte anteriori ornetur hinc et inde, a superiore parte usque ad extremam, auriphrygio semilatitudinis panni, viginti septem centimetrorum, et a retro habeat capitium longitudinis quinquaginta quinque centimetrorum et altitudinis sexaginta centimetrorum, ornatu auriphrygiato, qui anteriori respondeat, circumdatum largis fimbriis octoginta quinque millimetrorum. Caputium, in anteriore pluvialis parte, connectatur duabus fibulis et duobus annulis affixis aut vittae panni serici, quae sit ejusdem generis ac auriphrygia anteriora, latitudinis duodecim centimetrorum ac longitudinis viginti sex centimetrorum.

16. Velum humerale, quod adhibetur in delatione ss. Sacramenti, et patenae in Missa a Subdiacono sustinendae, ornetur fimbriis in ora, et in extremitate longis reticulatis superne fimbriis aureis aut argenteis. Illud velum sit latitudine telae, et longitudine duorum metrorum et sexaginta centimetrorum.

17. Dalmatica manicas latissimas ad manus pertingentes habeat. Dalmaticae longitudo est unius metri et viginti centimetrorum, latitudo autem in humeris est quinquaginta centimetrorum, et in extremis partibus duorum metrorum et viginti centimetrorum. Tunicella Subdiaconi aeque longe et late ac dalmatica patet, ejus vero manicae strictiores longioresque esse debent. Romae per latitudinem dividuntur illa paramenta, non autem de superiore parte ad inferiorem.

18. Integumentum Missalis ita longe deductum sit ut illud septem centimetris ab una parte non superet, in summa vero nihil omnino exstet. Lineae sericae circumdent extremitates, laciniae vero imam partem exornent. Subnectitur tela ejusdem coloris, quo est integumentum. Missalis signaculum constare convenit duodenis signaculis longe ita ductis, ut Missalis longitudinem decem centimetris excedant. Ad Canonem Missae, etiam vittae accommodari debent.

19. Biretum omnino nigrum tria tantum cornua habere debet. Angulum birreti, in quo cornu non habetur, super aurem sinistram ponitur. Bireto cum quatuor cornibus, utuntur doctores in actis tantum academicis, non autem in ecclesia, aut sacris functionibus.

§. IV. De praeparatione Altaris et ornamentorum ejus.

1. Altare, in quo sacrosanctum Missae sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum,[1] et ab Episcopo consecratum (R.), et cum ecclesia consecrandum, quod rigorose requiritur pro majori Altari (S. C.), licet Altare sine ecclesia consecrari possit (S. C.), vel saltem ara lapidea, similiter ab Episcopo, ut supra, consecrata, in eo inserta, quae tam ampla sit, ut hostiam et majorem partem calicis capiat (R.).

2. Altare fixum, cujus lapis non esset integer, pluribus autem lapidibus unitis compositum, non valide consecratur. Insuper, lapis portatilis valide sed illicite consacreretur eodem actu, quo Altare fixum (S. C.).

3. Nova Altaria in honorem Sanctorum veteris testamenti vel Beatorum reprobantur (S. C.); similiter non est celebrandum sacrosanctum Missae sacrificium in Altari, sub quo sepulta existunt cadavera defunctorum (S. C.), nec sine licentia Episcopi in medio ecclesiae (S. C.). Absque indulto, imago Sancti, cui Altare in sua consecratione dedicatum est, mutari non licet (S. C.).

---

[1] Vide appendicem in fine secundae partis.

4. Altare fixum itemque ara portatilis amittit consecrationem per fracturam enormem seu notabilem. Fractura autem censetur enormis 1° si tabula fuerit in duas vel plures notabiles partes divisa, ita ut per solutionem integritatem et substantialem unitatem amittat; et 2° si per fractionem divisa sit aliqua ex illis partibus, in quibus peculiares unctiones fuerunt adhibitae, subtiles candelae accensae, thus crematum; seu si pars fracta contineat unam ex lateralibus crucibus, ab Episcopo in Altaris consecratione specialiter benedictis; perdit etiam suam consecrationem, si sepulchrum reliquiarum frangatur (S. C.). Altare fixum, non autem portatile, perdit consecrationem per amotionem lapidis seu mensae superioris a sua basi, nisi integrum Altare sine amotione ab inferiori structura alio transferatur (S. C.). Altare portatile perdit consecrationem, quando fractum est sepulchrum reliquiarum (S. C.). Altare portatile item amittit consecrationem, si sepulchrum reliquiarum apertum sit, aut si reliquiae deperdantur. Etsi per deletum sigillum episcopale, super sepulchrum hispanica cera impressum, non execretur Altare (S. C.), attamen causa est dubii, an Altare indigeat nova consecratione nec ne (S. C.). Non sufficeret, nec liceret, denuo apponere novas reliquias (S. C.).

5. Altare operiatur tribus mappis, seu tobaleis mundis, ab Episcopo, vel alio habente potestatem, benedictis, superiori saltem oblonga, quae usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus vel una duplicata (R.).

6. Pallio quoque ornetur coloris, quoad fieri potest, diei festo vel officio convenientis (R.). Dum ss. Sacramentum expositum est, etiam die Pentecostes, hoc pallium album esse debet (S. C.). Sed illud antependium seu pallium non requiritur, si Altare ornetur auro, lapidibus pretiosis, vel, ut communiter dicitur, si Altare in modum tumbae confectum sit (AA.).

7. Antependium Altaris est paramentum sericum, in cujus summitate circiter viginti centimetrorum, elevatur phrygium opus vel attalicum textile aureum aut argenteum vel fimbriae aureae, argenteae sericaeve. In medio antependii, super exteriori ejus fronte ponitur crux, vel Patroni imago, aut quaevis pia effigies. Observandum autem, hoc paramentum corona

lignea eminenti instructum esse non debere, quadraturamque paramentum sustinentem subter panno collocandam.

Si antependium et praesertim fimbriae, quibus coronatur, ditissimae sint, cooperiuntur, sed infra Missam tantum, vitta panni coloris officii diei, fimbriae paramenti; ne Celebrans agendo impediatur, nec defricatione opera phrygiana deterantur. Quae vitta etiam pulchra tela ex subtili lino confecta esse potest, ejus autem altitudo viginti centimetra non excedat.

8. Super Altare collocetur crux in medio (R.) cum imagine crucifixi (Ben. XIV. Const.), tam alta, ut pes crucis aequet altitudinem vicinorum candelabrorum, et crux ipsa tota candelabris superemineat cum imagine ss. Crucifixi, versa ad interiorem altaris faciem (Caer. Episc.), debetque esse adeo magna, ut Celebrans et populus eamdem commode aspicere possint (S. C.). Haec crux necessario non requiritur, si Altare ornetur magna effigie Jesum crucifixum repraesentante, vel si ss. Sacramentum super Altare expositum sit (S. C.).

9. Sint super Altare etiam candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc et inde in utroque ejus latere (R.), quin parieti adhaereant (S. C.). Cerei confecti esse debent ex cera, non autem ex stearina seu sebo (S. C.).[1] Caeterum non licet Sacerdotibus, Parochis, in Missa parochiali, aut Vicariis generalibus, adhibere quatuor candelabra in Missis; hoc tantum permittitur Episcopis, Cardinalibus, ac etiam Abbatibus pontificaliter celebrantibus (S. C.).

10. Ad crucis pedem ponantur tabellae Secretarum appellatae (R.), pro majori Celebrantis commoditate. Mediam tantum praescribit rubrica; laterales autem usus et commoditas introduxit. Decet, ut extra Missam ab Altari amoveantur (AA.).

11. In cornu Epistolae cussinus supponendus Missali (R.) vel pulpitum (AA.), et ab eadem parte Epistolae paretur cereus, ad elevationem Sacramenti accendendus (R.); quae rubrica non obligat, ubi usus obsolevit *(Rev. théol.)*.

---

[1] Cerei ex cera communi in funeralibus officiis tantum adhibentur, attamen eis uti in Missis planis non solemnibus, in pauperioribus ecclesiis non refragarer.

De gratia speciali missionarii in partibus Oceaniae uti possunt candelis confectis ex spermacoeti. 7 Sept. 1850., in *Missionum*.

12. Et etiam prope Altare ponantur parva campanula, ampullae vitreae vini et aquae, cum pelvicula et manutergio mundo in fenestella seu in parva mensa ad haec parata (R.). Numquam autem super Altare manutergium ponatur (B. Bi. V. H. G. M. Cor. Cas. By. aP.). Tolerantur ampullae ex auro vel argento elaboratae (S. C.).

13. Super Altare nihil omnino ponantur, quod ad Missae sacrificium, vel ipsius Altaris ornatum non pertinet (R.). Notandum etiam, crucem et candelabra neque cooperiri neque obvolvi posse saltem pro Missis solemnibus (S. C.), ac si reliquiae adsint, illas super Altari exponendas non esse, nisi cum duabus lampadibus accensis (S. C.).

14. Ornatus Altarium in diebus festis, et solemnioribus splendidior esse debet, quam in aliis: in planitie majoris Altaris adsint candelabra sex argentea, si haberi possunt; sin minus ex aurichalco, aut cupro aurato nobilius fabricata, et aliquanto altiora, spectabilioraque his, quae caeteris diebus non festivis apponi solent, et super illis cerei albi, in quorum medio locabitur crux ex eodem metallo, et opere praealta, ita ut pes crucis aequet altitudinem vicinorum candelabrorum, et crux ipsa tota candelabris superemineat cum imagine ss. Crucifixi, versa ad anteriorem Altaris faciem. Ipsa candelabra non sint omnino inter se aequalia, sed paulatim, quasi per gradus ab utroque Altaris latere surgentia, ita ut ex eis altiora sint immediate, hinc inde a lateribus crucis posita (Caer. Epis.). Quod tamen non rigorissime exigitur (S. C.).

15. Si haberentur aliquae reliquiae, aut tabernacula cum Sanctorum reliquiis, vel imagines argenteae, seu ex alia materia, staturae competentis, congrue exponi possent (Caer. Ep.), nisi Venerabile sit expositum (S. C.). Quoad imagines Sanctos repraesentantes alio modo quo Ecclesia semper servavit, vel cum vestitu particulari alicujus ordinis regularis, omnino exponi nequeunt. Similiterque imago Beatae Mariae, dicta miraculosa, tolerari nequit (S. C.), nec aliae imagines novitatem sapientes[1] (S. C.), sed vascula cum flosculis, frondibus-

[1] Ita nuperrime adhiberi in cultu publico imaginem B. M. V. dictam *N. D. du sacré coeur*, cum puero Jesu non in brachiis, sed ad pedes posito, prohibuit S. R. C.

que odoriferis seu serico contextis, studiose ornata adhiberi possunt (Caer. Episc.).

16. Gradus omnes Altaris inferiores cooperiantur aliquo amplo, et pulchro tapete, ut, si fieri potest, sint magis conspicui et ornati, quam reliqua pars presbyterii, quae pannis viridibus contegitur. Si vero tale tapete amplum haberi non posset, saltem suppedaneum, quod est proximum Altari, sit tapete aliquo coopertum (Caer. Episc.).

17. Lampades quoque ardentes numero impari in ecclesiis adsint, tum ad cultum et ornatum, tum ad mysticum sensum. Quae quidem lampades in praecipuis festis, saltem dum Vesperae et Missa solemniter decantantur, continuo ardeant (Caer. Episc.).

18. Sedes Celebrantis collocetur in cornu Epistolae ante gradus Altaris laterales (Caer. Episc.) Sedes illa non debet esse neque sedes cameralis, neque faldistorium, sed scamnum cum dorso, quod panno coloris convenientis cooperiri potest (S. C.), sedes quoque Celebrantis esse debet ita largior, ut super illa tres sedere queant. In minoribus ecclesiis simplex subsellium cum vel absque postergali adhibeatur (AA.). Sedilia vero acolythorum simplicia subsellia lignea sint (Cor.), nec collocentur prope sedem Sacerdotis (de Conny.).

19. In Missa privata ab Episcopo dicta, super Altari, ordine retrogrado, paramenta Missae praeparantur, excepto manipulo, qui seorsum collocatur. Missale super Altare apertum ponitur, tabellisque Secretarum Canon pontificalis substituitur. Duo cerei sufficiunt, ast quatuor adhiberi possunt. Super credentia calix, ampullae vini et aquae, aqualis, pelvicula cum manutergio, canon et bugiae instrumentum (AA.).

§. VI. De iis, quae Missae sacrificio immediate inserviunt.

1. Sub reatu peccati mortalis (AA.) Celebrans uti debet Missali, licet memoriter sciret Missam, quam intendit dicere (R.). Hoc Missale duodecim signaculis ex funiculis sericis confectis ipsoque longioribus ornatum esse debet (G.V.). Unum tan-

tum Missale habeatur, illudque a solo Celebrante pro Missa privata dicenda praeparetur (S. C.).

2. Clericus aliusve minister adsit, qui Missae inserviat,[1] numquam autem femina (R.), ac unus tantum in Missa privata celebrata ab iis, qui ordine episcopali non sunt insigniti (S. C.). Pro Missis vero privatis solemniter dictis, duo deservientes, quatuor cerei, et faces seu intorticia ad elevationem adhiberi tolerantur (S. C.). Insuper minister, quoad fieri potest, tonsura insigniri debet, nec feminae Sacerdoti respondere licet, nisi in casu necessitatis (S. C.).

3. Calix debet esse aureus vel argenteus, vel saltem habere debet cuppam argenteam intus inauratam (R·), cujus pes non sit ligneus, aereus, lapideus aut vitreus (AA. ex jure can.). Calix, et patena, quae debet esse ejusdem materiae ac calix, ab Episcopo vel ab alio hanc habente potestatem benedici seu consecrari debent (R.). Usus parvi cochlearis ad sumendam aquam non reprobatur (S. C.). Calix amittit consecrationem 1° si ita frangatur, ut non amplius vel nonnisi indecenter sacrificio inservire possit, licet per breve tempus. Non amittitur tamen consecratio per aliquos ictus a fabro inflictos, quia per eos non notabiliter immutatur; 2° dum fit inutilis et ineptus ad convenientem usum, ad quem est consecratus aut benedictus; 3° si cuppa separetur a pede, sive id fiat violenter sive non; nisi calix sit tornatilis, quia tum sub tali forma est consecratus, et per separationem non amittit formam suam, cum partes sine novo artificio jungi queant (AA.). Si calix de novo inauretur, amittit consecrationem, et nova consecratione indiget (S. C.), sed antequam fabro reficiendus tradatur, manibus instrumentisve deformari non debet (S. C.)

---

[1] Si haberi nequit minister Missae, qui simul respondere et ministrare, quae sunt opus, sciat, sufficit si ministretur per virum ad Altare, et respondeatur vel per feminam ex coetu fidelium.

Si utrumque obtineri nequeat, alterutrum sufficit, modo habeatur rationabile motivum celebrandi, puta devotio vel Celebrantis vel adstantium. Hinc liceret ita agere, in monialium ecclesia, tempore exercitiorum spiritualium.

Item cum adest motivum gravius, absque ullo ministro celebrare liceret, praesente populo, cum sic obtineatur finis legis. Quo casu probabilius videtur, quod Celebrans bis recitare debeat Confessionem in planitie Altaris. (*Rev. théol.* anno 1874. pag. 395.)

§. VII. De materia sacrificii.

1. Requiritur, ut sit panis triticeus,[1] si autem non sit triticeus, vel si triticeus, admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel sit alioqui corruptus, non conficitur Sacramentum (R.). Panis coctus assatione, rotundus ac albus (AA.), recens, et, prout consuetudo fert, imagine crucifixi impressa insignitus esse debet (S. C.). Hostia amplitudinis solitae esse debet,[2] et cum parva hostia publice Missam celebrare non liceret, nisi urgentiori de causa (AA.).

2. Si panis sit confectus de aqua rosacea, vel alterius distillationis, dubium est an conficiatur Sacramentum (R.).

3. Si Celebrans ante consecrationem adverterit hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam, remota illa, hostiam aliam ponat, et facta oblatione, saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco, ubi desivit (R.).

4. Si id adverterit post consecrationem, etiam post illius hostiae sumptionem, posita alia, faciat oblationem, ut supra, et a consecratione incipiat, scilicet ab illis verbis: *Qui pridie quam pateretur,* et illam priorem, si non sumpsit, sumat post sumptionem Corporis et Sanguinis, vel alii sumendam tradat, vel alicubi reverenter conservet. Si autem sumpserit, nihilominus sumat eam, quam consecravit; quia praeceptum de perfectione Sacramenti majoris et ponderis, quam quod a jejunis sumátur (R.).

5. Quod si hoc contingat post sumptionem Sanguinis, apponi debet rursus panis, et vinum cum aqua, et facta prius oblatione ut supra, Sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis: *Qui pridie,* ac statim sumat utrumque, et prosequatur Missam: ne Sacramentum remaneat imperfectum, et ut debitus servetur ordo (R.).

---

[1] Spelta, quam dubiam materiam habent theologi, non est ea, quae in Belgii campis colitur. In hoc enim conveniunt nostri aevi doctiores, quod spelta nostra sit fere frumentum aut triticum, etsi qualitatis inferioris. Proprie vocatur *zea, arinea.*

[2] De hostiae amplitudine videsis in *Rev. théol.*, ann. 1870., pag. 157., ubi cujusdam neoterici errores, praesertim historici, erudite refelluntur.

6. Si hostia consecrata dispareat, vel casu aliquo, ut vento, aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, et nequeat reperiri; tunc altera consecretur, ab eo loco incipiendo, *Qui pridie quam pateretur,* facta ejus prius oblatione ut supra (R.).

7. Requiritur etiam vinum de vite (R.). Si vinum sit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis, seu non maturis expressum, vel ei admixtum tantum aquae, ut vinum sit corruptum, non conficitur Sacramentum (R.).

8. Si vinum coeperit acessere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantulum acre, vel mustum de uvis tunc expressum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua rosacea, seu alterius distillationis, conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat (R.), nisi necessitate excusetur (AA.).

9. Si Celebrans ante consecrationem Sanguinis, quamvis post consecrationem Corporis, advertat aut vinum, aut aquam, aut utrumque non esse in calice, debet statim apponere vinum cum aqua, et facta oblatione ut supra, consecrare, incipiendo ab illis verbis *Simili modo* etc. (R.).

10. Si post verba consecrationis advertat, vinum non fuisse positum, sed aquam, deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in calice, et consecret, resumendo a verbis praedictis *Simili modo* (R.). Si vas non adesset, vinum in majori quantitate infundendum est, et consecrandum (J.).

11. Si hoc advertat post sumptionem Corporis, vel hujusmodi aquae (R.), quam ex ore projicere non debet (AA.), apponat aliam hostiam iterum consecrandam, et vinum cum aqua in calice, offerat utrumque et consecret, et sumat, quamvis non sit jejunus (R.) repetitis a consecratione verbis et signis (J.). Vel, si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum, poterit apponere vinum cum aqua, et facta oblatione, ut supra, consecrare, ac statim sumere, et prosequi cetera (R.).

12. Si quis percipiat ante consecrationem, vel post consecrationem, totum vinum esse acetum, vel alias corruptum, idem servetur quod supra, ac si deprehenderet, non esse positum vinum, vel solam aquam fuisse appositam in calice (R.). Si autem Celebrans ante consecrationem calicis advertat, non

fuisse appositam aquam, statim ponat eam, et proferat verba consecrationis. Si id advertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti (R.).

13. Non licet consecrare in vino congelato (AA.), si autem Sacerdos consecret in vino congelato, valide[1] consecrat (s. Alph.).

14. Si calicis consecratio fuerit dubia, quia dubitatur, utrum in eo verum vinum adesset, adhibeatur alia materia certa, et consecretur (AA.) absolute seu sine conditione (J.), ac post Communionem, quae prius in calice aderat, sumatur (AA.).

15. Si materia, quae esset apponenda, ratione defectus vel panis, vel vini, non posset ullo modo haberi, si sit ante consecrationem Corporis, ulterius procedi non debet; si post consecrationem Corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei, altera jam consecrata; tunc, si nullo modo haberi possit, procedendum erit, et Missa absolvenda, ita tamen, ut praetermittantur verba et signa, quae pertinent ad speciem deficientem. Quod si exspectando aliquamdiu (R.), duabus horis (J.), haberi possit, exspectandum erit, ne sacrificium remaneat imperfectum (R.). Quo in casu adhiberi potest panis fermentatus, si panis azymus haberi nequeat (J.).

16. Si Celebrans ante consecrationem advertat, utramque materiam non esse aptam, curet afferri congruentem, et si inveniri nequeat, a Missa abstineat. Si etiam id adverterit post prolata consecrationis verba, similiter a Missa abstineat, quippe cum consecratio invalida fuerit. Si vero post sumptionem utriusque materiae invalide consecratae illud animadverteret, cum jam jejunus non sit, nec celebrandi necessitate cogatur, tantum recitet, ad evitandum scandalum, Orationes Communionem sequentes, et verbis, quae ad Sacramenti sumptionem pertinent, omissis, ac benedictione populo data, ultimum Evangelium legat (Bened. XIV.).

---

[1] Quod autem vinum congelatum sit materia apta ad validam consecrationem, nequit dubitari, dum dicitur in rubrica (de defectibus): si in hieme Sanguis congelatur in calice, involvatur calix pannis calefactis etc., donec liquefiat. Ergo per congelationem non corrumpuntur species vini, alias desineret esse ibi Sanguis Christi (Liguori.).

§. VIII. De forma sacrificii Missae.

1. Verba autem consecrationis, quae sunt forma hujus Sacramenti, sunt haec: *Hoc est enim Corpus meum,* et *Hic est enim calix Sanguinis mei, novi et aeterni testamenti: mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Si quis autem aliquid diminueret, vel immutaret de forma consecrationis Corporis et Sanguinis, et in ipsa verborum immutatione verba idem non significarent, non conficeret Sacramentum. Si vero aliquid adderet, quod significationem non mutaret, conficeret quidem, sed gravissime peccaret (R.).

2. Si loco *hoc* dicatur *istud,* consecratio quidem valida est, sed illicita; si dicatur *illud,* consecratio est invalida, item si dicatur: *Hic est corpus meum,* verbo *hic* adverbialiter sumpto. E contra consecratio valida est, si *hic* loco *hoc* errore pure grammaticali adhibeatur (Bened. XIV.). Consecratio insuper valida est, si dicatur *colpus, copus,* loco *corpus meum,* vel etiam *calis,* loco *calix, zanguinis* loco *sanguinis,* atque qui taliter pronuntiaret illa verba, nihil repetere deberet (AA.).

3. Si Celebrans non recordetur, se dixisse ea, quae in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certo ei constet, se omisisse aliquid eorum, quae sunt de necessitate Sacramenti, id est, formam consecrationis, seu partem, resumat ipsam formam, et cetera prosequatur per ordinem (R.).

4. Si advertat, solummodo post sumptionem materiae, se illam defectu formae essentialis invalide consecrasse, agat ut supra n° 5. dictum est (AA.). Si in utraque forma defecerit, idem est ac si duae materiae invalidae fuissent, n° 16 (AA.).

5. Si vero valde probabiliter dubitat, se aliquid essentiale omisisse, iteret formam, saltem sub tacita conditione. Si autem non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius (R.).

6. Super eodem pane vel eodem calice forma repetenda est, nam si alius substituatur, ambo, primus et ultimus tantum probabiliter consecrarentur (M. J.).

§. IX. De intentione ministri.

1. Celebrans non consecrat, si aliquae hostiae ex oblivione remaneant in Altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua hostia lateat, cum non intendat consecrare, nisi quas videt (R.). Si vero sacristae dixerit illas afferri, et postea non amplius advertens, easdem in cornu Epistolae, extra corporale reliquerit, dubitatur utrum consecratae sint, et ideirco consumantur (s. Lig.), vel conserventur, ut in alia Missa sub conditione consecrentur (Bened. XIV.). Parvae hostiae infra Canonem Missae jam incoeptum allatae, ob urgentem causam licite consecrantur (s. Alph.).[1]

2. Si quis habeat coram se undecim hostias, et intendat consecrare solum decem, non determinans, quas decem intendit, in hoc casu non consecrat, quia requiritur intentio. Secus si putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare, quas coram se habebat; nam tunc omnes erunt consecratae; atque ideo quilibet Sacerdos talem semper intentionem habere deberet, scilicet consecrandi eas omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet (R.).

3. Si Sacerdos post consecrationem majoris hostiae, ante autem calicis consecrationem, advertat collocatas fuisse ad consecrandum parvas hostias, quas numquam consecrare intendit, super iisdem hostiis formam repetere nequit, quia duo sacrificia essent, easque in alia Missa consecret (J.)

4. Si Sacerdos putans, se tenere unam hostiam, post consecrationem invenerit, fuisse duas simul junctas, in sumptione sumat simul utramque. Quod si deprehendat post sumptionem Corporis et Sanguinis, aut etiam post ablutionem, reliquias aliquas relictas consecratas, eas sumat, sive parvae sint, sive

---

[1] En ipsa s. Alphonsi verba: „Si offerantur hostiae parvae paulo post oblationem, licite consecrantur, mentaliter oblatione suppleta.-. idque probabiliter fieri potest etiam post canonem incoeptum, ut ajunt Gobat., Quarti, Burghaber, Possev. Diana, Tamb et Bened. XIV. de *Sacrif. Miss.*, lib. 3. cap. 18. n. 5., saltem si aliter plures Communione carerent: aut etiam (censeo), si communicaturus non posset exspectare, vel si persona gravis aut nobilis Communionem petat....“ *Examen ordinand.* n. 99.

magnae, quia ad idem sacrificium spectant (R.), et quidem reversus in sacristiam, dummodo paramenta sacra nondum exuerit, posset sumere fragmenta reperta super patena vel corporali, ac ex sacrificio provenientia (AA.).

5. Si vero relicta sit hostia integra consecrata, eam in tabernaculo cum aliis reponat; si hoc fieri nequit, sequenti Sacerdoti ibi celebraturo in Altari supra corporale decenter opertam, sumendam una cum altera, quam est consecraturus relinquat; vel si neutrum horum fieri possit, in ipso calice seu patena decenter conservet, quousque vel in tabernaculo reponatur, vel ab altero sumatur; quod si non habeat, quomodo honeste conservetur, potest eam ipsemet sumere (R.).

6. Si intentio non sit actualis in ipsa consecratione propter evagationem mentis, sed virtualis, cum accedens ad Altare intendat facere, quod facit Ecclesia, conficitur Sacramentum, etsi curare debeat Sacerdos, ut etiam actualem intentionem adhibeat (R.).

7. Guttulae, quae exstant extra calicem non consecrantur; quoad autem guttulas, quae exstant intra eumdem, dubitatur, utrum consecrentur; ideoque Sacerdos calicem purificando illas sumat (AA.).

§. X. De dispositionibus ministri.

1. Si quis suspensus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel alias canonice impeditus celebret, conficit quidem Sacramentum, sed gravissime peccat, tam propter Communionem, quam indigne sumit, quam propter executionem Ordinum, quae sibi erat interdicta (R.), nisi tamen agat ad evitandum majus malum (AA.).

2. Si quis habens copiam confessoris celebret in peccato mortali, graviter peccat. Si quis autem in casu necessitatis non habens copiam confessoris, in peccato mortali absque contritione celebret, graviter peccat. Secus, si conteratur: debet tamen cum primum poterit confiteri (R.).

3. Si in ipsa celebratione Missae Sacerdos recordetur, se esse in peccato mortali, conteratur cum proposito confitendi et

satisfaciendi. Si recordetur, se esse excommunicatum, similiter conteratur cum proposito petendi absolutionem. Ante consecrationem autem in supra dictis casibus, si non timetur scandalum, debet Missam incoeptam deserere (R.).

4. Si quis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquae, vel alterius potus aut cibi, per modum etiam medicinae, et in quantacunque parva quantitate, non potest communicare, nec celebrare (R.).

5. Si autem ante mediam noctem cibum aut potum sumpserit, etiam si postmodum non dormierit, nec sit digestus, non peccat; sed ob perturbationem mentis, ex qua devotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum (R.). Si reliquiae cibi remanentes in ore transglutiantur, saltem absque voluntate (AA.) non impediunt Communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivae. Idem dicendum, si lavando os deglutiatur stilla aquae praeter intentionem (R.).

6. Si plures Missas in una die celebret, ut in Nativitate Domini (R.), adhibito uno tantum calice (S. C.), in unaquaque Missa abluat digitos in aliquo vase mundo (R.), simul eodem tempore dicens: *Corpus tuum* etc. (AA.). Calicem vero non purificat (S. C.), quia in ultima tantum Missa percipit purificationem (R.).

7. Si praecesserit pollutio nocturna, quae causata fuerit ex praecedenti cogitatione, quae sit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est a Communione et Celebratione, nisi aliud confessario videatur. Si dubium est, an in praecedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum, extra tamen casum necessitatis. Si autem certum est, non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed evenisse ex naturali causa, aut ex diabolica illusione, potest communicare et celebrare, nisi ex illa corporis commotione tanta evenerit perturbatio mentis, ut abstinendum videatur (R.).

§. XI. De sacrificio interrumpendo et complendo.

1. Si Sacerdote celebrante violetur ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa: si post Canonem, non dimittatur. Si timeatur incursus hostium vel alluvionis, vel ruina loci, ubi celebratur, ante consecrationem dimittatur Missa, post consecrationem vero Sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti, omissis omnibus aliis (R.), vel transferre in aliam ecclesiam ss. Eucharistiam corporali involutam, ibique Missam absolvere (Conf. d'Angers). Et quidem ad evitandam mortem hostiam solam consecratam sumere posset, dummodo in eo scandalum non timeatur (Ben. XIV.).

2. Si incoepta Missa, intret excommunicatus denunciatus, vel publice quis notus clerici percussor, statim expellendus est. Si expelli nequeat, ante consecrationem, Sacerdos Missam dimittat, si autem post consecrationem, Missam usque ad Communionem inclusive prosequatur, ceteraque in sacristia aut alio decenti loco absolvat (Ben. XIV.).

3. Licet interrumpere Missam ad concionem habendam post Evangelium (R.), aut ad Sacramenta moribundo administranda (AA.). Si autem interruptio sat longa, ac ante consecrationem facta fuerit, Sacerdos totam Missam denuo resumat: si vero post consecrationem, includat ss. Sacramentum in tabernaculo, vel servari curet, ac reversus Missam a loco, ubi illam reliquit, resumat.

Controvertitur inter theologos, utrum liceat resumi initium Missae, ut Princeps Episcopusve integram Missam audiat (Ben. XIV.).

4. Si Sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopem inciderit, aut moriatur, praetermittitur Missa: si post consecrationem Corporis tantum, ante consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato id accidit, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi iste desiit: et in casu necessitatis etiam per non jejunum (R.); Sacerdos autem, qui hanc Missam explet, celebrare amplius nequit, etiamsi ablutionem non sumpsisset (S. C.). Si vero id accidit feria sexta

in Parasceve, alius Sacerdos jejunus prosequitur; alias ss. Eucharista reponenda est (S. C.); similiterque reponenda est quandocumque Sacerdos non adest, qui Missam expleat (AA.).

5. Si autem Sacerdos non obierit, sed fuerit infirmus, adeo tamen, ut possit communicare, et non adsit alia hostia consecrata (R.), sive a se, sive ab alio (Q. J. Coll.), Sacerdos, qui Missam supplet, dividat hostiam, et unam partem praebeat infirmo, aliam ipse sumat (R.).

6. Si autem semiprolata forma Corporis obiit Sacerdos, quia non est facta consecratio, non est necesse, ut Missa per alium suppleatur. Si vero obierit semiprolata forma sanguinis tunc alter prosequatur Missam, et super eumdem calicem repetat integram formam, ab eo loco: *Simili modo postquam coenatum est.* Vel posset super alium calicem praeparatum integram formam proferre, et hostiam primi Sacerdotis, et Sanguinem a se consecratum sumere, ac deinde calicem relictum semiconsecratum (R.).

7. Si dubitatur, utrum panis vel vinum ab infirmo consecratum fuerit, Sacerdos, qui supplet Missam, proferat formam sub conditione super materia dubie consecrata, aut absolute super nova materia, atque post Communionem sumat materiam dubie consecratam (AA.).

8. Si quis extra hujusmodi casus necessitatis, integre Sacramenta non sumpserit, gravissime peccat (R.).

§. XII. De nonnullis accidentibus particularibus.

1. Si hostia ante consecrationem inveniatur fracta, nisi populo evidenter appareat, talis hostia consecretur: si autem scandalum populo esse possit, alia accipiatur, et offeratur: quod si illius hostiae jam erat facta oblatio, eam post ablutionem sumat. Quod si ante oblationem hostiae appareat confracta, accipiatur altera integra, si citra scandalum, aut longam moram fieri poterit (R.).

2. Si propter frigus, vel negligentiam hostia consecrata dilabatur in calicem, propterea nihil est reiterandum, sed Sacerdos Missam prosequatur, faciendo caeremonias et signa

consueta cum residua parte hostiae, quae non est madefacta Sanguine, si commode potest. Si vero tota fuerit madefacta, non extrahat eam, sed omnia dicat omittendo signa, et sumat pariter Corpus et Sanguinem, et signans se cum calice, et dicens: *Corpus et Sanguis Domini nostri,* etc. (R.).

3. Si sumendo Sanguinem, particula remanserit in calice, digito ad labium calicis eam adducat, et sumat ante purificationem, vel infundat vinum, et sumat (R.).

4. Si hostia consecrata, vel aliqua ejus particula dilabatur in terram, reverenter accipiatur, et locus ubi cecidit, mundetur, et aliquantulum abradatur, et pulvis seu abrasio hujusmodi in sacrarium immittatur (R.). Ad quod tamen sub gravi non obligatur (S. Lig.). Si ceciderit extra corporale in mappam, seu alio quovis modo in aliquod linteum, mappa, vel linteum hujusmodi diligenter lavetur, et lotio ipsa in sacrarium effundatur (R.).

5. Si aliquid venenatum contigerit hostiam consecratam, tunc alteram consecret, et sumat modo quo dictum est, et illa servetur, in tabernaculo, loco separato, donec species corrumpantur, et corruptae deinde mittantur in sacrarium (R.).

6. Si in hieme Sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis calefactis: si id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope Altare, dummodo in calicem non intret, donec liquefiat (R.). Si vero hoc modo Sanguis liquefieri nequit, digitis frangatur fragmentisque sumatur (Suar. Gav.).

7. Si musca, vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in calicem ante consecrationem, projiciat vinum in locum decentem, et aliud ponat in calice, misceat parum aquae, offerat ut supra et prosequatur Missam: si post consecrationem ceciderit musca, aut aliquid ejusmodi, et fiat nausea Sacerdoti, extrahat eam, et lavet cum vino; finita Missa comburat, et combustio ac lotio hujusmodi in sacrarium projiciatur. Si autem non fuerit ei nausea, nec ullum periculum timeat, sumat cum Sanguine (R.).

8. Si aliquid venenosum ceciderit in calicem, vel quod provocaret vomitum, vinum consecratum reponendum est in alio calice (R.), seu in alio vase benedicto (AA.) et aliud

vinum cum aqua apponendum denuo consecrandum: et finita Missa Sanguis repositus in panno lineo, vel stuppa tamdiu servetur, donec species vini fuerint desiccatae, et tunc stuppa comburatur, et combustio in sacrarium projiciatur (R.). Si autem Celebrans tantum post Communionem advertit, aliquid venenosum in calicem cecidisse, vomitum oleo lampadis seu alia re excitet, agatque ut infra dicetur (Collet.).

9. Si per negligentiam aliquid de Sanguine Christi ceciderit, si quidem super terram, seu super tabulam, lingua lambatur, et locus ipse radatur, quantum satis est, et abrasio comburatur, cinis vero in sacrarium recondatur. Si vero super lapidem Altaris ceciderit, sorbeat Sacerdos stillam, et locus bene abluatur, et ablutio in sacrarium projiciatur (R.). Qui in hoc deficeret, mortaliter peccaret (G. Collet.).

10. Si super linteum Altaris, et ad aliud linteum stilla pervenerit; si usque ad tertium, linteamina ter abluantur, ubi stilla ceciderit, calice supposito, et aqua ablutionis in sacrarium projiciatur. Quod si in ipso solum corporali, aut si in vestibus ipsis sacerdotalibus ceciderit, debet similiter ablui, et ablutio in sacrarium projici. Si in substrato pedibus panno, vel tapete, bene abluatur, ut supra (R.). Si de vino purificationis aliquid ceciderit, cum in eo adsint particulae ss. Sanguinis, lintea lavanda non secus ac si de ipso Sanguine cecidisset. Cum vero cadat de ablutione, nihil agendum, quia propter quantitatem aquae in calicem infusae, nihil remanet de ss. Sanguine. Ita *Rev. théol.*

11. At si contigat, totum Sanguinem, post consecrationem effundi, si quidem aliquid vel parum remansit, illud sumatur et de effuso reliquo Sanguine fiat ut dictum est. Si vero nihil omnino (R.) vel non satis (AA.) remanserit, ponat iterum vinum et aquam, et consecret ab eo loco; *Simili modo postquam coenatum est,* facta tamen prius (R.), saltem mente, calicis oblatione, ut supra (AA.).

12. Si Sacerdos evomat Eucharistiam, si species integrae appareant, reverenter sumantur, nisi nausea fiat: tunc enim species consecratae caute separentur, et in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur, et postea in sacrarium pro-

jiciantur. Quod si species non apparcant, comburatur vomitus (R.), cum stuppa imbuenda liquido vomito (AA.), et cineres in sacrarium mittantur (R.). Sacerdos, cui id accidit, non amplius consecrare potest in hac eadem Missa (Lugo. Cast.).

§. XIII. De bina Missa ab eodem Sacerdote celebrata.

1. Ex hoc quidem, quod quis constitutus sit parochus duarum parochiarum diversarum adeo sejunctarum, ut altera ipsarum parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo possit ob locorum maximam distantiam, binandi jus habet diebus Dominicis et festivis de praecepto, similiterque omnis Sacerdos jus habet dicendi tres Missas die Nativitatis Domini. Extra hos casus, requiritur licentia Episcopi, cujus solius est de necessitate judicare. Imo ad binandum in eadem ecclesia, requiritur licentia s. Pontificis (Ben. XIV. Constit. *Declarasti* de die 16. Mart. 1746.)

2. Binatio seu facultas dicendi duas Missas in eadem die tantum conceditur in Dominicis et Festis de praecepto, non autem in festis ex devotione (S. C. C.). Non ita pridem in Belgio indultum est Episcopis, concedere licentiam binandi in iis festis, quibus populus et assistit divinis et a laborando abstinet. In hoc sensu recte intelligi tum decretum suppressionis festorum, tum declarationes S. C. C., jam contenderat laudatum Menaeum.

3. Parochus celebrans binam Missam propter duplicem paroeciam, cui praeest, utramque Missam pro utriusque paroeciae populo applicare tenetur. Si autem unam paroeciam habeat, unam tantum Missam applicare tenetur. Viceparochus caeterique Sacerdotes curam animarum stricte non habentes non tenentur, licet duas Missas eadem die dicant, pro populo Missam applicare (S. C. C.).

4. Licetne accipere stipendium pro secunda Missa eodem die celebrata?

Pluries interrogata S. C. C. constanter respondit negative. Item Congr. de Propaganda fide in instructione ad Missionarios Hollandiae directa affirmat hanc regulam in praxi

ecclesiae fundari. Non dubitandum, in dioecesibus, ubi hae declarationes promulgatae fuerunt, illis Sacerdotes ligari, proindeque ipsis illicitum esse stipendium pro secunda Missa accipere. Alibi vero nonnulli contendunt, tales declarationes utpote extensivas non obligare quoadusque rite promulgentur. De his cfr. *Rev. théol.* ann. 1871. pag. 108.

5. Quoad binationem in duabus ecclesiis, sacrorum rituum Congregatio prius reprobaverat usum alterius calicis tanquam in ecclesia novum, et senserat unum dumtaxat esse adhibendum, ut in more est apud Missionarios, ita scilicet, ut in prima Missa calicem impurificatum relinquat, prout fit in duabus prioribus Missis Nativitatis Domini: calici autem statim imponat patenam et pallam, prout in iisdem Missis; dein calicem cooperiat velo, quod (post Missam) etiam circumligabit calici. Atque hunc calicem sic coopertum et circumligatum suo tempore decenter deferat ad aliud oratorium, ut ibi celebret secundam Missam, quam peraget eodem ritu, quo celebratur tertia Missa in Nativitate Domini. Ablutio digitorum primae Missae reservatur in vase, ut sequenti die, aut in alia Missa cum ablutione sumatur, vel sumitur ab alio, qui est jejunus, vel in sacrarium effunditur. Sed eadem rituum Congregatio nuper usum alterius calicis approbavit, ac sequentem modum praescripsit die 12. Semptembris 1857.

6. Quando Sacerdos eadem die duas Missas dissitis in locis celebrare debet, in prima dum divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super corporale ponat Calicem et palla tegat, ac junctis manibus in medio Altaris dicat: *Quod ore sumpsimus etc.* et subinde admoto aquae vasculo digitos lavet dicens: *Corpus tuum* etc. et abstergat. Hisce peractis Calicem super Corporale manentem adhuc, deducta palla cooperiat ceu mos est, scilicet primum purificatorio linteo, deinde patena ac palla, et demum velo. Post haec Missam prosequatur, et completo ultimo Evangelio rursus stet in medio Altaris, et detecto Calice, inspiciat an aliquid divini Sanguinis nec ne ad imum se receperit, quod plerumque continget. Quamvis enim sacrae species primum sedulo carptae sint, tamen dum sumuntur, cum particulae, quae circum sunt, unde-

quaque sursum deserantur, non nisi deposito Calice ad imum redeant. Si itaque divini Sanguinis gutta quaedam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur, et quidem ex eadem parte, qua ille primum sumptus est. Quod nullimode omittendum est, quia Sacrificium moraliter durat, et superextantibus adhuc vini speciebus ex divino praecepto compleri debet.

Postmodum Sacerdos in ipsum Calicem tantum saltem aquae fundat, quantum prius vini posuerat, eamque circumactam ex eadem parte, qua s. Sanguinem biberat, in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum purificatorio linteo abstergat, ac demum cooperiat, uti alias fit atque ab Altari discedat. Depositis vestibus sacris, et gratiarum actione completa, aqua e Calice demissa pro rerum adjunctis vel ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus Sacerdos redeat Missam habiturus) et in secunda purificatione in Calicem demittatur, vel grossypio aut stuppa absorta comburatur, vel in sacrario, si sit exsiccanda, relinquatur, vel demittatur in piscinam.

Cum autem Calix, quo Sacerdos primum est usus, purificatus jam sit, si illo ipso pro Missa altera indigeat, cum secum deferat: secus vero in altera Missa diverso Calice uti poterit.

7. *Cum superior S. R. C. Instructio nonnisi casum respiciat, quo Sacerdos duas Missas dissistis in locis eadem die sit celebraturus; operae pretium visum est, ex Commentariis Bartholomaei Gavanti et Cajetani Mariae Merati hic ritus adjungere a Sacerdote servandos cum utramque Missam in eadem ecclesia offerre debet.*

Hoc itaque in casu Sacerdos post haustum in prima Missa diligenter Sanguinem Domini, omissa consueta purificatione, patena calicem et palla patenam tegens, ac super corporale relinquens, dicet junctis manibus: *Quod ore sumpsimus, Domine etc.* Deinde digitos, quibus ss. Sacramentum tetigit, in aliquo vase mundo ad hoc in Altari praeparato abluet, interim dicens *Corpus tuum, Domine, etc.*, abstersisque purificatorio digitis calicem velo cooperiet, velatumque ponet super corporale extensum. Absoluta Missa, si nulla in ecclesia sit sacristia, calicem eodem modo super Altare relinquet; secus

vero in sacristiam deferet, ibique super corporale vel pallam in aliquo loco decenti et clauso collocabit usque ad secundam Missam, in qua, cum eodem calice uti debeat, illum rursus secum deferet ad Altare, ac super corporale extensum reponet. Cum autem in secunda Missa Sacerdos ad Offertorium devenerit, ablato velo de calice hunc parumper versus cornu Epistolae collocabit, sed non extra corporale, factaque hostiae oblatione cavebit, ne purificatorio extergat calicem, sed eum intra corporale relinquens leviter elevabit, vinumque et aquam eidem caute imponet, ne guttae aliquae ad labia ipsius calicis resiliant, quem deinde nullatenus ab intus abstersum more solito offeret. (Append. ad Rit. Rom.).

8. Et ut omnia diligenter praecaveantur, optimum erit ad Offertorium totum vinum ampullae infundi, ut minister sciat, se post Communionem non amplius reversurum, ipseque Celebrans certior sit, quod recordabitur, ablutiones non esse sumendas. Notandum insuper majoris prudentiae causa digitos tantum abluendos esse in vase aquae, prout fit post distributionem Communionis,[1] sicque Celebrans multo minus periculo frangendi jejunium obnoxius est. Quod si forte jejunium frangatur, observentur sanae theologiae praescripta. In tali casu circumstantiae prudenter ponderandae sunt.

[1] Auctores generaliter praescribunt, infundendum esse aquam et vinum in digitos super aliquo vase; hanc praxim non approbamus, cum videatur esse contraria textui Missalis. Vide dicta sectione 4. ad diem 25. Decembris.

Sectio tertia.

Rubricae generales Breviarii.

Caput primum.

De diversis officiis.

1. In kalendario romano, dies dividuntur in dies Dominicos, et dies hebdomadae, quae vocantur feriae; ideoque in hebdomada sex feriae habentur, dies lunae est feria secunda; dies martis feria tertia; sicque successive usque ad sabbatum, quod proprium nomen retinuit.

2. Aliquoties isti dies omnino liberi sunt, tumque fit officium, sive de Dominica, sive de feria secundum Breviarii ordinem: saepius autem, praesertim pro ordinibus religiosis ac nonnullis dioecesibus, in illis diebus occurrunt festa Sanctorum, tumque officium fit non de Dominica aut de feria, sed de festo, quod celebratur. Atqui festa, prout eorum dignitas fert, tripliciter ordinantur, in duplicia, semiduplicia et simplicia. Horum festorum, alia universalia sunt ac de praecepto pro omnibus Sacerdotibus Breviario Romano utentibus; alia autem localia sunt, quae quandoque obligant, et quandoque ad libitum vocantur et sunt.

3. Notandum, quaedam festa solemnius celebrari et eorum commemorationem per octo dies continuos fieri ad instar festorum Judaeorum: quod octava vocatur. Vigilia vocatur dies praecedens festum ac hujus proxima praeparatio est.

4. Hinc, officium divinum dicitur quandoque de Domi-

nica, vel de feria, ordinarie de festo duplici, aut semiduplici, aut de simplici, et etiam de octava aut de vigilia festi.

5. Nunc de divisione illorum officiorum.

Licet Dominicae per se ritum semiduplicem[1] habeant, dividuntur in privilegiatas et communes. Dominicae privilegiatae gaudent privilegio excludendi festa etiam solemnia; quales sunt Dominicae Adventus, et Dominicae omnes a Dominica Septuagesimae usque ad Dominicam in Albis.

6. Dominicae primae classis, quorum officium numquam omittitur, sunt primae Dominicae Adventus et Quadragesimae, Dominicae Passionis, Palmarum, Paschae, Quasimodo, Pentecostes et ss. Trinitatis.

7. Dominicae secundae classis, scilicet quorum officium semper fit, nisi inciderint in festo solemni primae classis, sunt: secunda, tertia, et quarta Dominicae Adventus et Quadragesimae, quibus addi debent Dominicae Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae.

8. Feriae quoque dividuntur in majores et minores. Feriae majores sunt, de quibus commemoratio fit, quocumque festo occurrente. Hae sunt: feriae Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum, et feria secunda Rogationum. Notandum, quasdam ferias majori adhuc privilegio gaudere, nullumque festum, quantumcumque sit, admittere: feriam quartam Cinerum atque totam hebdomadam sanctam.

9. Non tantum festa tripliciter dividuntur, ut supra dictum est, sed et ipsa festa duplicia in quatuor classes, secundum ipsorum majorem minoremve solemnitatem aut dignitatem, subdividuntur.

10. Festa duplicia primae classis sunt, Nativitas Domini, Epiphania, Pascha cum duobus diebus sequentibus, Ascensio, Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, Festum Corporis Christi, Nativitas s. Joannis Baptistae, festum ss. Apostolorum

---

[1] Ut intelligantur haec verba, ritus duplex, ritus semiduplex, sciendum est, Antiphonas, quae ante et post Psalmos recitantur, non semper integras dici ante Psalmum. Si Antiphonae integrae dicantur, ritus est duplex, si autem tantum prima verba, ritus est semiduplex. In parvis Horis et ad Completorium, Antiphonae numquam integrae dicuntur ante Psalmos.

Petri et Pauli, s. Josephi, Assumptio Beatae Mariae, festum Omnium Sanctorum, Dedicatio ecclesiae, festum Patroni aut Titularis ecclesiae.

11. Festa duplicia secundae classis sunt: festa Circumcisionis, Nominis Jesu, ss. Trinitatis, Conceptionis, Purificationis, Annunciationis, Visitationis et Nativitatis Beatae Mariae Virginis, item festa principalia Apostolorum, festa Evangelistarum, sancti Stephani, ss. Innocentium, Inventionis sanctae Crucis, sancti Laurentii, Dedicationis sancti Michaelis Archangeli, festum patrocinii sancti Joseph et festum pretiosissimi Sanguinis. Quibus permultis locis addi debet festum ss. Angelorum Custodum.

12. Festa duplicia tertiae classis, vocata duplicia majora sunt: Transfiguratio, Exaltatio sanctae Crucis, festa septem Dolorum, beatae Mariae de monte Carmelo, beatae Mariae ad Nives, festa Nominis beatae Mariae, beatae Mariae de Mercede, festa sancti Rosarii, Praesentationis beatae Mariae, Conversio sancti Pauli, utraque Cathedra sancti Petri, festum sancti Joannis ante portam latinam, Apparitio sancti Michaelis, festa sancti Barnabae, sanctae Annae, sancti Joachim, sancti Petri ad Vincula et festum Patroni secundarii. Quibus adduntur festa sacratissimi Cordis et beatae Mariae sub titulo Auxilium Christianorum, et pro locis, ubi sunt concessa, officia instrumentorum Passionis, sancti Gabrielis, et Patrocinii beatae Mariae Virginis.

13. Festa duplicia quartae classis, vocata duplicia minora seu simpliciter duplicia, sine addito, sunt omnia alia festa, quibus hic titulus conceditur a Breviario Romano, aut concessione speciali facta, adeo ut, si nihil specificetur, duplex semper intelligatur de duplici minori, seu quartae classis, etiamsi de festo ipsiusmet beatae Mariae ageretur (S. C.).

14. Festa semiduplicia sunt ea, quibus in kalendario apponitur haec vox semiduplex; festa autem simplicia sunt, quibus nulla vox in eodem kalendario apponitur.

15. In octavis distinguendi sunt dies infra octavam, scilicet sex dies festum sequentes, et ultimus dies qui vocatur dies octavae seu octava. Priores habent ritum semiduplicem,

posterior autem ritum duplicem. Octavae etiam dividuntur in octavas privilegiatas et in octavas non privilegiatas. Octavae privilegiatae quinque numerantur sequentes: Octavae Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschae, Pentecostes et Corporis Christi.

16. Vigiliae dividuntur in Vigilias, quae jejunantur, et in Vigilias, quae non jejunantur. Notandum vero, licet jejunia Vigiliarum, praeter quinque, scilicet Vigilias Nativitatis Domini, Pentecostes, solemnitatis ss. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis B. M. V. et Omnium Sanctorum, suppressa sint, officia tamen omnium Vigiliarum, quae in Breviario praescribuntur, fieri debere etiam in toto territorio reipublicae Gallicanae, ac si adhuc esset jejunium; imo in Vigilia ss. Apostolorum Petri et Pauli, seu 28. Junii, non omittitur, etsi jejunium observari debeat in sabbato ante Dominicam sequentem.

17. Infra trademus tabellas cujusque generis officiorum supra distinctorum.

18. Contingit, et saepe contingit, festum, vel ejus octavam aut Vigiliam incidere in Dominica aut in feria, et etiam cum alio festo aut octava. Quae, in eodem die incidentia, vocatur *Occurrentia*. Si unum ex officiis cum alio sit incompatibile remittitur infra, transferturque in alium diem; si vero duo illa officia non se excludant, fit officium unius cum commemoratione alterius. Insuper, cum pleraque officia incipiant a primis Vesperis, saepe habetur concursus secundarum Vesperarum unius officii cum primis Vesperis officii sequentis. Qui concursus *Concurrentia* vocatur, ordinaturque juxta officiorum dignitatem.

19. Cum ante omnia determinandum sit, quale officium recitandum sit, si qua difficultas in ordine Breviarii exoriatur, prius loquemur de officiorum inter se relatione, et statuemus regulas occurrentiae, commemorationis, concurrentiae et translationis. Deinde regulas in recitando Breviario observandas pro quovis officiorum genere, juxta ordinem horarum canonicarum breviter exponemus.

Caput secundum.

De relatione officiorum inter se.

§. I. Regulae occurrentiae festorum.

In hoc paragrapho res tantum erit de festis uno eodemque die occurrentibus, quorum officia simul fieri nequeunt, sed unum fieri et aliud vel alia transferri debent; tantumque statuetur, quod festum celebrandum sit, quod autem transferendum sit. Ad repetitiones vitandas utimur unico verbo, *festum*, quod nihilominus Dominicas simul ac ferias comprehendit, licet ipsae non transferantur.

1. Quodcunque festum duplex, et a fortiori semiduplex, transferendum est, si occurrat in aliquo ex sequentibus diebus aut feriis, quae quodcumque aliud festum etiam primae classis excludunt. Sunt vero: Dominica prima Adventus, Vigilia et festum Nativitatis Domini, Circumcisio Domini, dies Epiphaniae et ejus dies octava, feria quarta Cinerum, Dominica prima Quadragesimae, Dominica Passionis, omnes dies a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis utrimque inclusive, Ascensio Domini, omnes dies a Vigilia Pentecostes usque ad festum ss. Trinitatis utrimque inclusive, festum Corporis Christi, Assumptio B. M. V., festum Nativitatis s. Joannis Baptistae, festum ss. Apostolorum Petri et Pauli, et festum Omnium Sanctorum (Rubr. Brev.). Sicque festum Dedicationis cedit festo ss. Apostolorum Petri et Pauli (S. C.).

2. Quodcumque festum etiam duplex secundae classis transfertur, si occurrat in Dominicis secundae classis superius n° 7. relatis, scilicet in Dominicis secunda, tertia et quarta Adventus et Quadragesimae, in Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae, et in diebus infra octavam Epiphaniae, ac in die octava Corporis Christi (R.).

3. Quodcunque festum duplex minus et majus (et a fortiori semiduplex) transfertur, si occurrat in die aliqua octava (R.), quia cum haec dies octava transferri nequeat, tali pri-

vilegio jure gaudet (S. C.); exceptis tamen quibusdam festis B. M. V., occurrentibus in die octava alterius ex ejus festis, prout alibi dicetur (S. C.).

4. Transfertur festum semiduplex in die infra octavam Corporis Christi, aut in una ex Dominicis per annum incidens (R.).

5. Si duo aut plura festa duplicia aut semiduplicia eodem die occurrant, officium fit de festo ritus altioris, scilicet de festo duplici, et festum semiduplex transfertur. Si duo ista festa sint sive duplicia, sive semiduplicia, officium fit de digniori, et aliud vel alia transferuntur (R.). Quae tamen regula, licet simplicior videatur, in praxi multis obnoxia est difficultatibus, quas sacrorum rituum Congregatio pro maxima parte explanari curavit, ut numero sequenti dicitur.

6. Si duo festa duplicia (et idem a fortiori esto judicium de festis semiduplicibus) eodem die occurrant, prius animadvertendum est, utrum sint ejusdem classis. Si duo illa festa sint diversae classis, [A] officium semper fit de illo, quod est superioris classis, et aliud, quod est minoris classis transfertur. Quod sat clare a rubrica praescribitur. Hinc festum primae classis ut festum Patroni principalis, vel Dedicatio alicujus ecclesiae praefertur cuicumque festo secundae classis; hinc etiam festum secundae classis praefertur festis duplicibus majoribus, prout festa duplicia majora praeferuntur festis duplicibus minoribus, prout quoque festa duplicia minora praeferuntur festis semiduplicibus.

[B] In paritate ritus seu classis duorum festorum occurrentium, qualitas festi attendenda est, et faciendum est officium de festo principali, et minus principale seu secundarium est transferendum. Quae autem sint festa secundaria non semper facilius determinari potest. Pluribus tamen consideratis id inveniri potest, v. g. si festum aliquibus dioecesibus aut ordinibus religiosis tantum concessum sit; si non sit festum de praecepto; si hoc festum considerari possit ut appendix alterius festi de praecepto in Ecclesia universali, exempli gratia, festa ss. Cordis Jesu, sancti Salvatoris, Patrocinii beatae Mariae, quae juxta decisiones sacrorum rituum Congregationis, festa secundaria sunt.

Unde fit, quod si praedicta festa occurrant cum festis principalibus ejusdem classis, eis cedere debent, atque ultra transferri, modo eorum translatio permittatur (S. C.).

[C] Post festi qualitatem, ejusdem dignitas attendenda est. In paritate classis et qualitatis duorum festorum occurrentium, faciendum est officium de digniori, et minus dignum est transferendum; sicque festa Domini praeferuntur omnibus aliis festis, festa beatae Mariae festis Sanctorum, atque festa Angelorum et Apostolorum caeteris festis. Ad dignoscendam dignitatem Sanctorum, eorum ordo in Litaniis Sanctorum attendatur.

Post Angelos praefertur s. Joannes Baptista, deinde s. Joseph, postea Apostoli, et tandem Sancti de Communi (S. C.). Inter Martyres, Confessores, Virgines et Viduas, ordo dignitatis non habetur (S. C.). Festum Dedicationis praefertur festo Patroni (S. C.); festum autem Dedicationis non propriae ecclesiae, cedit, in paritate ritus, quibuscumque Domini festis, atque primariis festis beatae Mariae et Sanctorum (S. C.).

[D] In aequalitate classis, qualitatis ac dignitatis duorum festorum occurrentium, praeferri debet officium, quod cum majori solemnitate celebratur, alterum autem est transferendum (S. C.).[1] Per solemnitatem hic intelligi potest, vel solemnitas exterior et pompa, cum quibus festum celebratur, item concursus populi extraordinarius, processio, vel ecclesiae altarisve extraordinarius ornatus, habita ratione temporis, loci, atque morum populi. Per solemnitatem etiam intelligi potest quidquam intrinsecum, videlicet, si fuerit locus Sancti natalis, civitas, ubi miraculis claruit; similiterque si festum voto celebretur, vel si populus erga Sanctum peculiari devotione afficiatur (Cav. Pav.).

[E] In paritate classis, qualitatis, dignitatis ac solemnitatis duorum festorum occurrentium, animadvertendum est, utrum alterutro praeceptum audiendi Missam adjungatur.

Si unum festum feriationem habeat, praefertur alteri, atque

---

[1] Luculenter probarunt *Miscellanea theologica*, quod decretum infra adductum in *Brixien.* (pag. 466), praecise intelligendum sit de casu proposito, scilicet intra plura festa transferenda, non esse attendendam solemnitatem, quam in ipsa die habuissent. Sed nullatenus declarat in casu occurrentiae, praelationem non esse dandam festo, quod solemnius celebratur, juxta decreta 20. Mart. 1863 et 11. Jan. 1749.

non habens feriationem transfertur (S. C.). Notandum est, festa suppressa per Concordatum adhuc gaudere omnibus privilegiis feriationis, licet populus Missae interesse non teneatur, quia juxta decretum a Cardinale Caprara, die 9. Aprilis 1802. latum, nihil immutatur in ritibus et caeremoniis festorum suppressorum, atque ex multis decisionibus sacrae Congregationis Concilii, parochi, iisdem diebus, populo Missae sacrificium applicari tenentur (S. R. C. *Decreta,* v. Missa §. 8.).

[F] Caeteris omnibus paribus praeferri debet festum magis speciale celebrati. Sic festum in una tantum ecclesia celebratum praeferri debet festo ordinis religiosi; festum ordinis religiosi festo dioecesis; festum dioecesis festo regionis, atque festum regionis festo ecclesiae universalis. Particularitas igitur festorum sic ordinatur: 1° ecclesia particularis; 2° ordo religiosus; 3° dioecesis; 4° regio; 5° ecclesia universalis (S. C.).

[G] Dum eadem die occurrunt duo officia ejusdem Sancti v. g. beatae Mariae Virginis ejusdem ritus, alterum alicui diei fixe assignatum, alterum mobile utpote alicui Dominicae affixum, praeferendum est officium diei mensis assignatum (S. C.). Quidam tamen auctores censent, festum, quod transferri nequit, esse praeferendum (Cav. P.)

7. Si duae aut plures octavae simul occurrant, eaedem regulae observari debent ad statuendum, de qua octava faciendum sit officium. Exinde dies octava semper praefertur diei infra octavam, cum dies octava ritum duplicem habeat (R.); octava etiam festi primae classis praefertur octavae festi secundae classis, sicque successive. Dici potest generaliter: praefertur illa octava, cujus festum praelationem habet.

8. Si officium in ecclesia de praecepto non sit, sed votivum, aut *ad libitum* concessum, etiam si sit duplex, cedere debet caeteris omnibus festis, etiam semiduplicibus ac diebus infra octavam (S. C.). De omnibus ad hujusmodi officia pertinentibus dicetur infra.

9. Eaedem regulae, quae supra servari debent quoad novum officium a ss. Sede concessum, in die, in quo jam festum reperitur assignatum (S. C.). Casu tamen, quo neutro officio, novo scilicet et antiquo, sit dies natalitia, praeferendum erit

officium antiquius in possessione, et novo assignandum erit prima dies non impedita (S. C.). Si utriusque e contra sit dies natalitia, praeferendum novum, quod sit magis particulare seu proprium (S. C.).

10. Ut paucis, quaecunque in hoc paragrapho explicata fuerunt, comprehendantur et facilius intelligi possint, tabella occurrentiae synoptica describitur. Ex numero inscripto in quadratura, cui duo officia occurrentia correspondent, omnes difficultates solventur.

SI OCCURRANT EODEM DIE.

OFFICIA INCOMPATIBILIA,

	Officium votivum vel ad libitum.	Dies infra octavam.	Dies octava.	Semiduplex.	Duplex minus.	Duplex majus.	Festum duplex 2. classis.	Festum duplex 1. classis.
Dominica 1. classis	4		1	1	1	1	1	1
Dominica 2. classis	4		1	1	1	1	1	
Dominica per annum	4		1					
Feria IV. Cinerum	4	4	4	1	1	1	1	1
Quindena Paschatis	4	4	4	4	1	1	1	1
A Vigilia Pentecostes ad Dom. ss. Trinitatis	4	4	4	1	1	1	1	1
Festum duplex 1. classis — Circumcis. Domini	4	4		1	1	1	1	3
Festum duplex 2. classis	4	4		1	1	1	3	2
Duplex majus	4		2	1	1	3	2	2
Duplex minus	4		2	1	3	2	2	2
Semiduplex	4		2	3	2	2	2	2
Dies octava communis	4			1	1	1		
Dies octava Epiphaniae	4			1	1	1	1	1
Dies octava Corporis Christi	4			1	1	1	1	
Dies infra octavam communem	4							
Infra octavam Epiphaniae	4			1	1	1	1	
Infra octavam Corporis Christi	4			1				

1. Officium de primo, translatio de secundo.
2. Officium de secundo, translatio de primo.
3. Officium de digniore, alterius translatio.
4. Officium de primo, nihil de secundo.

N.B. Ex nullo numero inscripto indicatur, officia non esse incompatibilia, ac in tabella sequenti inveniri solutionem.

§. II. Regulae de commemoratione festorum.

In hoc paragrapho agitur de officiis eodem die occurrentibus, de quibus simul fieri potest, seu unum officium fieri cum unius aut plurium commemorationibus. Si hujusmodi officia eodem die occurrant, faciendum est officium integrum de eo, quod praeferri debet, simul cum commemoratione alterius vel aliorum in Laudibus, Vesperis et quandoque in Matutino. Modus autem commemorationis faciendae dicetur, ubi de horis, in quibus hujusmodi commemoratio fieri debet. Solum hic traduntur regulae, quibus indicantur officia, de quibus commemorationes fieri debent, ac horae, in quibus addi debent.

1. Quotiescumque in Dominicis sive privilegiatis sive communibus fit festum duplex, tunc officio de duplici additur commemoratio Dominicae in utrisque Vesperis et Laudibus: et ad Matutinum legitur nona Lectio de homilia Dominicae (R.).

2. De feriis majoribus semper fit commemoratio, etiam in festis primae classis; de feriis Adventus fit commemoratio in Laudibus et Vesperis, de feriis Quadragesimae fit commemoratio in Laudibus et Vesperis, et ad Matutinum legitur nona Lectio homilia feriae; de feriis Quatuor Temporum (extra Quadragesimam et Adventum), de feria secunda Rogationum non fit commemoratio in Vesperis, sed tantum in Laudibus, et ad Matutinum legitur nona Lectio homiliae feriae. De feriis minoribus numquam fit commemoratio.

3. Quia festum simplex cum plerisque officiis compatibile est, de eo fere ubique fit commemoratio; numquam tamen in Vesperis[1], quia festum simplex secundas Vesperas non habet. Sic fit commemoratio simplicis occurrentis in omnibus festis non primae classis in Laudibus, atque etiam ad Matutinum legitur nona Lectio simplicis, si Lectionem propriam habeat. Similiter fit commemoratio festi simplicis, quando in ejus die occurrit Dominica, feria major, octava aut Vigilia, cum de festo simplici officium non fiat nisi in feria communi. Notandum est autem, commemorationem simplicis fieri tantum in Laudibus, et sine nona ejus Lectione in casibus sequentibus:

[1] Secundis nempe. Cfr. §. III. n. 11.

[A] si *Te Deum* non dicatur; [B] si sit officium trium tantum Lectionum; [C] si alia Lectio praeferatur; [D] infra octavam Corporis Christi (R.), dum de octava officium lectum est (S. C.). Verum officia duplicia aut semiduplicia, ad ritum simplicem reducta, majoribus privilegiis gaudent (vide §. IV., n° 6.).

4. Quamvis octava transferri nequeat, et de illa simul fieri possit cum aliquibus officiis, de ea tamen non semper fit commemoratio. De die octava, quando in ea occurrit festum etiam primae classis, semper fit commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus. Pariter fit commemoratio ubique de die infra octavam Nativitatis Domini, Epiphaniae et ss. Corporis Christi. De die infra octavam festi non privilegiati non fit commemoratio in festis primae aut secundae classis, in aliis autem, nec non in Dominica privilegiata, semper commemoratio de eo fieri debet (R.). In officiis Passionis votivis fiunt commemorationes de octavis tam aliorum officiorum Passionis, quam de octavis Transfigurationis, Ascensionis etc. (S. G.).

N. B. — Octavae, quae non sunt in kalendario romano, prohibentur a feria quarta Cinerum, usque ad Dominicam in Albis, a Vigilia Pentecostes usque ad festum ss. Trinitatis, et a die decima septima Decembris (seu a die, qua incipiunt Antiphonae majores) usque ad diem festum Epiphaniae, ubique inclusive (R.). Octavae pariter prohibentur infra octavam ss. Corporis Christi, quando haec octava privilegiata est ad instar Epiphaniae (S. C.).

5. De Vigilia fit commemoratio in Laudibus cujuscunque officii, exceptis Vigiliis 1° quae occurrunt in Adventu, Quadragesima, et Quatuor Temporibus, in quibus nihil fit de Vigilia in officio; 2° Vigiliis, quae occurrunt in festis primae classis, in quibus nihil fit de Vigilia praeter Vigiliam Epiphaniae; 3° Vigiliis, quae occurrunt in Dominica, quia tunc Vigilia anticipatur et de ea fit officium sabbato praecedente (R.).

6. Si plures commemorationes sint faciendae, ordinentur juxta praescriptum Breviarii. Commemoratio de duplici fit ante commemorationem de Dominica; commemoratio de Dominica ante commemorationem de semiduplici. Deinde fiunt commemorationes de die infra octavam, de feria majori, de

Vigilia, et demum de simplici. De suffragiis ultimo loco fiunt commemorationes. Notandum etiam, pluribus octavis concurrentibus, praeferendam esse octavam festi dignioris, secundum regulas supra praescriptas; generaliterque dicendum, commemorationem prius faciendam esse de officio quod, secluso impedimento, celebratum fuisset (S. C.).

7. Hujusce paragraphi doctrina continetur in hac tabella, quae praecedentem tabulam complet.

SI OCCURRANT EODEM DIE

OFFICIA COMPATIBILIA.	Simplex.	Dies infra octavam.	Dies octava.	Feria major.	Semiduplex.	Duplex.	Festum 2 classis.	Festum 1 classis.	Dominica communis.	Dominica privilegiata.
Dominica	1	1	2			2	2	2		
Feria major	1	2	2		2	2	2	2		
Vigilia	1	2	2	4	2	2	2			
Dies octava	1	1	3	1			2	2	1	2
Dies infra octavam	1	3	2	1	2	2	3	4	2	2
Infra octavam privilegiatam	1	3	2		2	2	2	2	2	
Simplex	3	2	2	2	2	2	2	4	2	2

1. Officium de primo, commemoratio de secundo.
2. Officium de secundo, commemoratio de primo.
3. Officium de digniori, alterius commemoratio.
4. Non fit commemoratio.

NB. Ubi nullus est numerus, est casus non occurrentiae, aut absque commemoratione.

§. III. Regulae concurrentiae festorum.

1. Concurrentia officii attendenda est semper in secundis Vesperis, quomodo sit ordinandum officium cum sequentis diei officio. Itaque cum dicitur officium aliquod cum alio concurrere; intelligitur de praecedenti in secundis Vesperis cum sequenti in primis Vesperis (R.).

2. In paritate ritus et dignitatis duorum officiorum concurrentium, regulariter a Capitulo fit de sequenti cum comme-

moratione praecedentis (R.); ita ut Psalmi Vesperarum cum Antiphonis dicantur de officio diei, Capitulum autem, Hymnus, Versus, Antiphona ad *Magnificat* dicantur de primis Vesperis festi sequentis. Notari potest, dum a Capitulo fit, officium, de quo in principio Vesperarum factum fuerit, semper jus habere ad commemorationem, et regulariter *primo loco* faciendam.

3. Notari etiam potest, primas Vesperas festi esse nobiliores, atque plura privilegia habere quam secundae Vesperae, ita ut concludi nequeat a primis Vesperis ad secundas aut a secundis ad primas.

4. Festum simplex non habet concurrentiam in secundis Vesperis, nec feria in primis; Vigilia autem in utrisque Vesperis nullam concurrentiam habet. Dies infra octavam habet concurrentiam in secundis Vesperis, itaque aliquando fit a Capitulo de die infra octavam, sed omnia dicuntur ut in secundis Vesperis festi.

5. In concurrentia proprie dicta, Dominicae, feriae et octavae festorum Sanctorum, nullo privilegio gaudent, hocque excepto, dici potest regulariter officium, quod praefertur in occurrentia, etiam praeferri in concurrentia.

Quoad commemorationes nonnullae habentur differentiae.

6. Sequentes speciales regulae in concurrentibus officiis observandae sunt:

[A] Si unum festum sit duplex, alterum autem semiduplex, vel si alterutrum sit duplex altioris ritus, Vesperae integrae fieri debent de eo, quod est majoris ritus, regulariter cum commemoratione illius, quod est ritus inferioris (R.).

[B] Si duo festa concurrentia sint ejusdem classis et ritus saltem duplicis majoris, Vesperae integrae fieri debent de festo digniori (R.), juxta ordinem supra indicatum.[1] Dedicatio ecclesiae festis Domini tantum cedere debet (S. C.).

---

[1] Quousque in concurrentia attendatur ad qualitatem festi, nempe, an sit festum primarium aut secundarium? Ex diversis sententiis, quarum singulae S. R. Congregationis patrocinium invocant, ea videtur tum probabilior, tum menti S. C. conformior, juxta quam praelatio datur festo primario ejusdem classis. Sic enim sonat decretum generale de die 31. Martii 1821., et si aliter in casibus particularibus decretum videatur, hoc pendet ex adjunctis *(Rev. theol.)*.

[C] Si duo festa sint ejusdem ritus et dignitatis, Vesperae integrae fieri debent de eo, quod cum majori solemnitate, seu cum solemniori pompa celebratur. [1]

[D] Si duo festa sint ejusdem ritus, dignitatis et solemnitatis, Vesperae dimidiantur, et fit a Capitulo de sequenti cum commemoratione praecedentis (S. C.).

7. Si agatur de duobus festis duplicibus minoribus, Vesperae dimidientur (R.), nulla habita ratione dignitatis aut qualitatis festi (S. C.).

8. Dies octava regulariter gaudet iisdem privilegiis, quibus festa. Octavae festorum Domini, vel beatae Mariae concurrentes cum festis ejusdem classis, habent Vesperas integras, sicque secundae Vesperae conceduntur octavis festorum Paschatis, Epiphaniae, atque primae et secundae Vesperae octavis Ascensionis, Corporis Christi et ss. Trinitatis (si habeatur octava), concurrentibus cum festo duplici majori; similiterque octavis principalium festorum beatae Mariae concurrentibus cum duplici (R.), ac octavis officiorum Passionis (S. C.). Octavae autem aliorum festorum tali privilegio non gaudent, Vesperasque cum duplicibus concurrentibus dimidiant (S. C.). De Dominica, quocunque festo duplici praecedente, in primis Vesperis semper commemoratio fit; de Dominica autem in secundis Vesperis commemoratio non fit, si die sequente festum primae vel secundae classis celebretur, nisi sit Dominica privilegiata. Si festum semiduplex Dominicam praecedat, Vesperae dimidiantur; si vero eamdem sequatur, Vesperae integrae de Dominica fiunt cum commemoratione tantum semiduplicis sequentis. Idem servetur, Dominica cum die infra octavam concurrente.

9. Semiduplici cum die infra octavam concurrente, Vesperae dimidiantur. De primis Vesperis semiduplicis concurrentibus cum secundis festi duplicis, etiam primae classis,

---

[1] Posse recitari Vesperas integras illorum Sanctorum, quorum festa celebrantur cum solemnitate et populi concursu, facta commemoratione tantum alterius officii concurrentis ejusdem ritus, declaravit S. R. C. 22. Aug. 1744. 11. April. 1840. 26. Jan. 1793. in *Santanderien.*

semper fit commemoratio; si vero sequenti die festi semiduplicis occurrat festum primae aut secundae classis, de festo semiduplicis in Vesperis commemoratio non fit.

10. Eodem modo de die infra octavam, uno excepto, quod si dies infra octavam sequatur festum primae classis, tunc de praedicta die infra octavam commemoratio fieri non debet. Notandum est, hoc intelligi debere de octavis non privilegiatis. (Vide supra, §. II., n° 4.).

11. Festum simplex non habet concurrentiam in secundis sed tantum in primis Vesperis. De festo simplici semper fit commemoratio, modo festum primae classis non praecedat.

12. De feriis numquam fit in primis Vesperis, et de feriis minoribus in secundis Vesperis fit tantum, cum nullum habetur officium neque hoc die, neque die sequenti. De feriis Adventus et Quadragesimae fit in secundis Vesperis, et si sequenti die officium habeatur, habent commemorationem.

13. En difficultas: si feria quarta Cinerum simplex occurrat, et si die praecedente de feria officium factum fuerit, quaenam Vesperae dicendae? An primae Vesperae simplicis, aut Vesperae tertiae feriae? Breviarium respondet: Vesperas feriae cum commemoratione simplicis dicendas esse, quia simplex jus non habet ad officium feria quarta Cinerum, nec consequenter ad primas Vesperas.

14. Eodem principio et altera difficultas solvitur. Si festi dies octava incidat in Dominicam privilegiatam, pridie dicantur Vesperae de sabbato, a Capitulo de Dominica, fiatque commemoratio de primis Vesperis octavae (S. C.).

15. Si duo officia beatae Mariae Virginis, Passionis, vel alia de eodem objecto simul concurrant, Vesperae integrae fieri debent de illo, quod est majoris ritus, vel si sint ejusdem ritus de praecedente, de quo factum est officium, et nihil de sequente (S. C.).

Officium, quod prius resumitur in lineis longitrorsum ductis supponitur una die praecedere officia, quae in lineis rectis reperiuntur.

SI CONCURRAT CUM

	1. Vesperae de sequenti, nihil de praecedenti.	2. Vesperae de praecedenti, nihil de sequenti.	3. Vesperae de sequenti, commemoratio praecedentis.	4. Vesperae de praecedenti, commemoratio sequentis.	5. A Capitulo de sequenti, commemoratio praecedentis.	6. Vesperae de digniori, commemoratio alterius.	Die infra octavam privilegiatam.	Die infra octavam.	Die octavae festi B. Mariae Virginis.	Die octavae festi Domini.	Die octavae.	Simplici.	Semiduplici.	Duplici minore.	Duplici majore.	Duplici (2 classis).	Duplici (1. classis).	Dominica quacunque.
Dominica privilegiata . .		4	3	3	3	4	4	3	3	3	3							
Dominica communis . . .	4	4	3	3	3	4	4	3	3	1	1	-						
Duplex (1. classis)	4	2	4	4	4	2	4	4	4	4	6	4						
Duplex (2. classis). . . .	4	4	4	4	4	4	4	4	4	6	3	4						
Duplex majus	4	4	4	3	4	4	4	4	6	3	1	4						
Duplex minus	4	4	3	3	5	4	4	5	3	3	1	4						
Semiduplex		5	3	3	3	4	5	3	3	1	1	5						
Dies octavae	4	4	3	3	5	4	4	5	3	3	1	4						
Dies oct. festorum Domini	4	4	4		4	4	4	4	4	3	3	4						
Dies infra octavam . . .			3	3	3	4	5	3	3	1	1	5						
Dies infra octavam privil.			3		3			3	3	3	3	5						

N.B. — Ordinem indicatum §. II nº 6., serva (pag. 460), quando plures commemorationes fieri debent.

§. IV. Regulae translationis festorum.

1. Juxta sacrorum rituum Congregationem, in repositione festorum attendi debet, quod praescribitur a rubrica 16. Breviarii Romani, sub numero 7. *de translatione festorum,* ut scilicet prius agatur de duplici, postea de semiduplici, et inter

plura duplicia, quod est majus solemne, prius semper celebretur, sive ex ritu sive ex dignitate majoritas ista solemnitatis proveniat; alioquin si sint omnino aequalia, unum ante aliud reponatur, eo ordine, quo erant celebranda in propriis diebus; ita ut prius transferatur, quod prius celebrandum erat. *(Decreta,* v. Translatio §. 1.)

2. Ex regula supra tradita pro translatione festorum, si plura festa translata reponi debeant, praeferatur 1° festum altioris ritus; 2° si plura festa sint ejusdem ritus, praeferatur festum dignitatis intrinsecae majoris; 3° alioquin si sint aequalia, prius celebretur festum antea translatum, et postea fiat de alio secundo loco translato.

Nota, festorum qualitatem, solemnitatem, specialitatem aut feriationem, quae praelationem dant in occurrentia, non esse attendendas in ordine repositionis festorum translatorum (S. C.).

3. Excipi debent a regula praecedenti: [A] festum cum octava, si ante finem istius octavae adsit dies libera, nam hac die reponi debet, licet festa majora digniorave transferenda sint; [B] festum semiduplex, si occurrat cum festo octavam habente, vel cum Dominica (R.), aut cum festo duplici infra octavam: nam transferri debet in diem sequentem, si non sit impedita, licet festum, etiam primae classis transferendum sit (S. C.); [C] festa privilegiis specialibus gaudentia, uti sunt festa Purificationis, Annunciationis, Imm. Conceptionis, et septem Dolorum B. M. V., festum Nativitatis s. Joannis Baptistae atque alia festa, ut in ipsorum diebus explicabitur (S. C.).

4. Dies, ad quem amandatur festum translatum debet esse liber. Porro non est liber: 1° Dies Dominica, etiamsi agatur de festo a Dominica praecedenti translato, quod non potuerit reponi in una ex hebdomadae diebus (S. C.). 2° Dies, in quo fit de duplici aut semiduplici occurrente. 3° Dies infra octavam privilegiatam, nempe Natalis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes et ss. Sacramenti. 4° Feriae aut Vigiliae, quae aliquod festum occurrens excludunt, ut dictum est supra §. 1. 5° Tandem duplicia aliqua die [1]

[1] 20. Sept. 1806. in *Brixien.* ad 15.

infra octavam etiam non privilegiatam pro semiduplici translato (R.).

5. Officia votiva, aut *ad libitum*, vel concessa, et quibusdam Dominicis aut feriis affixa, transferri nequeunt, sine speciali indulto. Tale indultum pro officiis concessis nunc saepius datur.

6. Festa translata anticipari non possunt, et si in anni decursu dies liberi desint, festis simplicibus assimilari debent, atque in proprio die de illis commemoratio facienda est. Quae commemoratio fit omnibus anni diebus (exceptis triduo sacro majoris hebdomadae, et triduo Paschatis ac Pentecostes, in utrisque Vesperis, et in Laudibus, cum nona Lectione in Matutino, si sit historica (S. C.). Dies Ascensionis non excipitur (S. C.). Si autem festa primae vel secundae classis sunt, de illis officium fiat loco primi semiduplicis, aut si non habeatur, loco primi duplicis sequentis, et tunc duplex istud fit simplex (S. C.).

7. Festum gaudens octava, si transfertur, amittit tot dies, quot sunt a propria die transactae: ita ut si post octo dies transferatur, tota pereat octava. Dies octava vero non transfertur, et duplex est, etiamsi periissent tres vel quatuor dies octavae (R.).

8. Solemnitas festi cum officio non transfertur, sed die designata, facienda est. Idem est de feriatione[1] (excepto uno alterove festo) et de Litaniis; indulgentiae autem festo annexae cum solemnitate transferuntur, juxta recens decretum Pii IX., anni 1852. (S. C. Indulg.)

9. Si festum, occurrente alio festo superiore, semper impediatur, ad perpetuum transferatur, ipsique alia dies assignetur, quae dies vocatur dies fixa, necessarioque prima dies libera post festum esse debet (S. C.).

Notandum vero, hanc diem mutati officii fixam, ab Episcopo approbandam esse. Regulae supra relatae hic applicantur, excepto 1° quod semiduplex, ad perpetuum, infra octavam communem collocari possit; 2° quod nonnulli dies,

[1] Etiam ut feriatio, liturgice loquendo, habetur solemnitas celebrata in festis suppressis aut translatis a decreto 1802. per cantum Missae, Vesperarum et applicationem Missae pro populo. Quae feriatio non transfertur, sed ipsa die fit, licet officium longius transferatur. Hinc si Patroni festum in feria quarta Cinerum inciderit, officium transferatur, sed Missa pro populo, Vesperae etc., in praedicta Cinerum feria cantentur.

nempe 28. Januarii, 3. Februarii,[1] pro translationibus ad perpetuum liberi non sint; 3° quod simplicia, semper impedita, non transferantur, bene vero officia *ad libitum;* 4° quod si festa ut in die fixa, ad 25. et 26. etc. Februarii collocentur, in anno bissextili uno die postponantur (S. C.).

10. Dies fixa in perpetuum pro impedito festo, fit dies ita propria festi, ut primum locum resumere non debeat, etsi semel impedimentum tollceretur (S. C.), iisdemque privilegiis gaudet, praeter feriationem et octavam, ac si festum translatum non fuerit. Feriatio autem et octava fiant die ab Ordinario loci designata pro festo Titularis, si hoc festum antea locum certum non habuerit (S. C.).

11. Dum sedes Apostolica assignat pro novo officio diem, in qua festum jam celebrandum erat, si antiquum officium die propria fiat, cedere non debet novo officio, nisi novum officium majoris ritus sit, et in die propria fiat. Si vero antiquum officium in vera die non celebrabatur, adhuc longius transfertur: 1° si novum officium majoris ritus sit; 2° si die propria fiat (S. C.). Quae regulae servantur etiamsi unum ex istis officiis universale non sit, sed proprium (S. C.).

Caput tertium.

Regulae in recitatione officii servandae.

§. I. Ordo Breviarii Romani.

1. Breviarium Romanum dividitur in quatuor partes, vernam, aestivam, autumnalem et hiemalem, quarum unaquaeque comprehendit festa in suo ambitu celebranda. Pars verna complectitur tempus a Dominica I. Quadragesimae usque ad ss. Trinitatem; pars aestiva inde usque ad primam Dominicam Septembris; pars autumnalis inde usque ad primam Dominicam Adventus; pars hiemalis inde usque ad Dominicam I. Quadragesimae. Ex quo ordine evenit, quod quaedam festa in duabus Breviarii partibus inveniantur.

---

[1] Dies festi *ad libitum* merito etiam addi possunt (S. C.).

2. Festum Paschae totius calendarii cardo est. Quod festum incidere potest in die 22. Martii, aut sequentibus diebus usque ad 25. Aprilis inclusive. Unde prout festum Paschae citius tardiusve venerit, major numerus Dominicarum post vel ante praedictum festum computandus erit. Enimvero, ex Dominica Paschae directe non computantur aliae Dominicae praecedentes vel sequentes, sed ex duabus Dominicis, quae semper a Pascha aequaliter distant, scilicet: Septuagesima ac Pentecoste.

3. Septuagesima incidit novem hebdomadis ante Pascha et Pentecostes septem hebdomadis post Pascha. Si festum Paschae venerit in die 22. Martii, una tantum Dominica superest inter Epiphaniam et Septuagesimam, et viginti octo Dominicae supersunt inter Pentecosten et primam Dominicam Adventus, quae semper est proximior festo s. Andreae. Si autem festum Paschae venerit in die 25. Aprilis, sex Dominicae supersunt post Epiphaniam, scilicet usque ad Septuagesimam, et tantum viginti tres Dominicae supersunt post Pentecosten, scilicet usque ad Adventum. Inter duo illa extrema, omnia supposita possibilia habentur, et quo plures Dominicae supersunt post Epiphaniam, eo pauciores Dominicae supersunt post Pentecosten.

4. Positum est autem officium sex Dominicarum post Epiphaniam, et viginti quatuor post Pentecosten, ut compleatur numerus triginta Dominicarum, quae esse possunt ab Epiphania usque ad Septuagesimam, et a Pentecoste usque ad Adventum, ne ulla ex Dominicis vacet, quin saltem de ea fiat commemoratio (R.).

5. Si Dominicae post Pentecosten fuerint viginti quinque, Dominica vigesima quarta post Pentecosten erit, quae est sexta post Epiphaniam. Si fuerint viginti octo, Dominica vigesima quarta erit tertia post Epiphaniam; et vigesima quinta erit quarta; et vigesima sexta erit quinta; et vigesima septima erit sexta; et ultimo loco semper ponitur, quae in ordine est vigesima quarta post Pentecosten, etiamsi post Pentecosten aliquando non sint nisi viginti tres Dominicae (R.).

6. Cum vero interdum contingat, ut Dominica tertia,

vel quarta, vel quinta, vel sexta post Epiphaniam supersit, nec possit poni etiam post vigesimam tertiam a Pentecoste, tunc de ea fit officium in sabbato ante Dominicam Septuagesimae. Si autem non sint nisi viginti tres Dominicae post Pentecosten, tunc vigesima quarta ponitur loco vigesimae tertiae, et officium vigesimae tertiae ponitur in praecedenti sabbato, quod non sit impeditum festo novem Lectionum; alioquin in alia praecedenti die similiter non impedita, in qua fiat officium de feria, cum commemoratione festi simplicis, si occurrat; et in ea leguntur tres Lectiones de homilia Dominicae, omissis Lectionibus illius feriae; et in Laudibus dicatur Antiphona ad *Benedictus*, et Oratio de Dominica vigesima tertia. Quod si tota hebdomada impedita sit festis novem Lectionum, etiam translatis, vel aliqua octava, tunc in sabbato legatur nona Lectio de homilia Dominicae vigesimae tertiae, et de ea fiat commemoratio in Laudibus tantum, cum Antiphona et Oratione propria (R.).

7. Notandum tamen, omnia eadem non esse in Dominicis post Epiphaniam, quando suo tempore celebrantur et cum de illis officium fit post Pentecosten, ideoque in parte autumnali repetuntur aliquae Dominicae post Epiphaniam, quae interdum in hac parte celebrantur.

8. Mense Augusti, officium de Dominica aliter dispositum invenitur. Altera pars Lectionum ponitur in rubrica hebdomadum mensis, altera autem in ordine Dominicarum post Pentecosten. Cum autem in Proprio de tempore dicitur aliqua Dominica esse prima mensis, in qua primo ponitur initium libri de Scriptura cum sua historia, et cum Responsoriis, animadvertendum est, eam dici primam Dominicam mensis, quae venit in kalendis illius mensis, vel est proximior kalendis, hoc modo: si kalendae venerint in secunda, et tertia et quarta feria, Dominica prima mensis erit, quae praecedit kalendas, licet veniat in praecedenti mense: si autem kalendae venerint in quinta et sexta feria, et in sabbato; prima Dominica erit, quae sequitur post ipsas kalendas. Dominica autem prima Adventus non sumitur ea, quae est proximior kalendis Decembris, sed festo s. Andreae, vel quae venerit in ipso festo (R.).

9. Quomodo ordinandum sit officium ad Matutinum et alias horas, item de Lectionibus et Responsoriis, habentur inferius de singulis propriae rubricae (R.).

10. Majores anni solemnitates habent officia propria et in extenso. Quoad vero festa beatae Mariae Virginis, saepe recurrendum est ad ejus parvum officium versus finem Breviarii positum (R.).

11. Festa Sanctorum die fixa celebranda, nec non quaedam festa mobilia in secunda parte Breviarii, post officia de tempore reperiuntur. Si nihil proprii haberent, recurreretur ad Commune, quod tertiam Breviarii partem format.

12. Indicatur infra modus recitandi unamquamque horam canonicam, secundum ordinem officiorum, et cujuscumque partis horarum, pro diversis anni temporibus, incipiendo a Dominicis Adventus.

§. II. De recitatione Matutini.

1. Matutinum aliud nomen sortitur *horae nocturnae,* per oppositionem ad alias horas, quae *diurnae* vocantur. Nemo nescit, apud veteres noctem in quatuor vigilias fuisse distinctam; porro unicuique priorum vigiliarum respondebant tria Nocturna, et quartae Laudes, in Dominicis et festis diebus. Decursu temporis tria Nocturna in unum conjuncta fuerunt, imo iis additae Laudes matutinae: hinc nomen Matutini, quo officium nocturnum insignitum fuit. (Vide Cavalieri, II, 34, 1.)

2. Usus in Ecclesia introductus ac hodiedum generaliter probatus permittit, ut privatim die praecedenti Matutinum dicatur, dummodo sol ad tres cursus quadrantes pervenerit. Quod ex meridie horologiorum, aut solis, computari potest. (Misc. theol.)

3. Etiamsi in Dominicis ac festis novem Lectionum in Matutino tria Nocturna dicantur, eadem non dividuntur, ut hodie usu receptum est. Nocturna tamen ex levi causa ab invicem separari possunt, arbitramurque eadem, quantocunque temporis intervallo et absque etiam causa, interrumpere, non esse peccatum mortale (S. Lig.).

4. Oratio *Aperi, Domine,* etc., ante officium recitanda, non videtur esse de praecepto, cum de illa in Breviario mentio non fiat.

5. In principio Matutini, dicitur secreto *Pater, Ave, Credo,* nisi in Breviario contrarium expresse annotetur. Si autem post Completorium immediate sequatur Matutinum, tunc bis dicatur *Pater, Ave, Credo,* quia Completorium, quod est finis officii, sic terminari debet, et ante Matutinum iterum repetitur pro principio officii sequentis diei (R.). Postea si officium in choro fiat, hebdomadarius dicit: *Domine, labia mea aperies,* signum crucis parvum cum pollice supra os formans; deinde se ipsum signo crucis signat, dicens: *Deus, in adjutorium,* quod in initio omnium horarum observatur (R.), et si privatim officium dicatur, haec rigorose non secus servari debent (S. C.).

Articulus I. — De Invitatorio et Hymno.

1. Invitatorium dicitur in omnibus officiis,[1] exceptis triduo hebdomadae sanctae, et die Epiphaniae (R.). Modus dicendi Invitatorium in initio Breviarii in Matutino Dominicae reperitur.

In die Epiphaniae non dicitur, ut notant G. M., ne bis idem Psalmus recitetur, et revera Benedictini, qui ad tertium Nocturnum Cantica habent, sicut etiam Carthusiani, qui Psalmos Epiphaniae proprios recitant, inter quos Psalmus *Venite* non habetur, eum ab officii initio cum Invitatorio in Epiphaniae festo decantant.

2. Cuique Dominicae in Breviario annotatur, quale Invitatorium dicendum sit, et si nullum sit, sumatur Invitatorium pro Dominica generaliter annotatum, sicque fit omnibus Dominicis post Epiphaniam et post Pentecosten. Omnes aliae Dominicae a Septuagesima usque ad Pentecosten et ab Adventu usque ad Epiphaniam Invitatoria propria habent. Notandum autem, si verba, quibus incipit aut terminatur aliquis Versiculus Psalmi *Venite,* eadem sint ac Invitatorii verba, v. g. tempore Passionis, aut in Septuagesima, loco verborum Psalmi, ipsum Invitatorium legendum vel cantandum esse (R.).

---

[1] Pro Invitatorio tempore Passionis, vide infra sect. IV, cap. 2.

3. Quaeque feria etiam proprium Invitatorium habet. In Adventu et tempore Passionis omnes feriae habent Invitatorium Dominicae praecedentis. In Quadragesima vero et tempore paschali, Invitatoria cuique feriae adnotantur.

4. In festis duplicibus et semiduplicibus et etiam in simplicibus, Invitatorium, si proprium non habeatur, de Communi sumatur. Invitatorium in festo Apostoli est *Regem Apostolorum Dominum;* in festo Confessoris *Regem Confessorum Dominum, Venite adoremus.* Notandum, tempore paschali addendum esse *Alleluia*, ita ut secunda Invitatorii pars sit *Venite adoremus Alleluia,* atque eodem tempore paschali unum vel plures Martyres proprium Invitatorium habere.

5. Dies infra octavam retinent Invitatorium festi. Si officium fieret de Dominica infra octavam, diceretur Invitatorium Dominicae, exceptis Dominicis infra octavas Epiphaniae Ascensionis, et Corporis Christi, quae festi Invitatorium habent (R.).

6. In Vigiliis, si nullum Invitatorium praescribatur, Invitatorium feriae dicitur (R.).

7. Idem regulariter dicendum est de Hymno, quod de Invitatorio, sicque si Dominicae, feriae, ac etiam festa habeant proprium Invitatorium, Hymnus etiam proprius est.

8. Si de festo Invitatorium dicatur, Hymnus de festo etiam dicitur, si Invitatorium sit de feria vel Dominica, similiter Hymnus de feria aut Dominica.

9. Contingit interdum in Hymnis nonnulla mutanda esse, ex. gr. in Hymno *Iste Confessor,* tertio Versiculo primae strophae *Meruit beatas scandere sedes*, substituenda esse hac verba *Meruit supremos laudis honores*, si festum Sancti in ejus anniversario non celebretur (R.). Quod similiter observari debet, si festum transferatur, licet in sequentem tantum diem, nisi a capitulo de sancto Confessore officium festum fuerit, vel nisi festum Sancti translatum fuerit infra ejus octavam (S. C.). Excipitur tantum Hymnus stigmatum sancti Francisci, in quo nihil immutari debet, si festum transferatur (S. C.).

10. In Nativitate Domini usque ad Epiphaniam, in festo Corporis Christi, et per octavam, et quandocumque fit officium Beatae Mariae tam novem quam trium Lectionum, etiam

tempore paschali (R.) et in Adventu, atque infra octavas ejusdem beatae Mariae, etiamsi de octava commemoratio facta non fuerit (S. C.), in fine omnium Hymnorum (praeterquam in fine Hymni, *Ave maris stella,* et Hymni ad Laudes, in festo Corporis Christi, *Verbum supernum,* qui habet ultimum versum proprium,) dicitur, *Jesu, tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine,* ut in ejus officio parvo, etiam si dicantur Hymni de Sanctis, qui infra octavas praedictas celebrantur, dummodo Hymni illi sint ejusdem metri, nec habeant ultimum versum proprium, ut Hymnus sanctae Crucis ad Vesperas, et plurimorum Martyrum ad Matutinum (R.).

11. In Epiphania Domini, et per octavam, in fine omnium Hymnorum, dicitur, *Jesu, tibi sit gloria, Qui apparuisti gentibus.* A Dominica in Albis usque ad Ascensionem, in Pentecoste, et per octavam, in fine omnium Hymnorum dicitur *Deo Patri sit gloria, Et Filio qui a mortuis;* etiam in festis Sanctorum eodem tempore paschali occurrentium, dummodo Hymni sint ejusdem metri, nec habeant ultimum versum proprium, qui non mutatur, ut supra (R.). Extra tempus paschale, in fine Hymni *Veni Creator* dicitur, *Deo Patri... ejusque soli Filio,* ut in fine Primae (S. C.).

12. In Ascensione autem usque ad Pentecosten (praeterquam in Hymno, *Salutis humanae sator)* dicitur: *Jesu, tibi sit gloria, Qui victor in coelum redis;* similiter etiam in festis tunc occurrentibus. In Transfiguratione Domini dicitur: *Jesu, tibi sit gloria, Qui te revelas parvulis.* Aliis temporibus terminantur Hymni, ut suis locis ponitur (R.).

13. Notandum, ultimam strophan Hymnorum Passionis et Angelorum non dici in festis infra eorum octavas celebratis, Hymnosque in festo Exspectationis Partus B. M. V. debere terminari non cum versibus: *Jesu, tibi sit gloria,* sed cum versibus: *Virtus, honor, laus, gloria,* uti in Hymnis de Adventu (S. C.).

14. Quando in officio Sanctorum adsunt Hymni proprii et particulares, illi et Responsoria, Antiphonae etc., dicenda sunt de praecepto, ita ut minime liceat ea desumere e Communi. Si quis Hymnus neque in Vesperis neque in Laudibus possit recitari, potest et debet uniri Hymno Nocturni, si

Hymnus sit historicus (S. C.), et curandum est, ut omnes Hymni proprii recitentur (S. C.).

Articulus II. – De primo Nocturno in festis novem Lectionum.

1. Ad omnes horas nocturnas et diurnas semper cum Psalmis dicuntur Antiphonae, vel una, vel plures, pro diversitate officii et horarum. In duplicibus ad Vesperas, Matutinum, et Laudes tantum, Antiphonae dicuntur ante Psalmos, vel Cantica integrae, et post Psalmos vel Cantica integrae repetuntur; in aliis horis et in officio non duplici, in principio Psalmi vel Cantici, inchoatur tantum Antiphona, deinde in fine integra dicitur. Nota bene, asteriscum in Antiphonis designare ibi frangendas esse Antiphonas in officio semiduplici et ritus inferioris (R.).

2. Tempore paschali, in officio tam novem, quam trium Lectionum, Psalmi cujuslibet Nocturni dicuntur sub una Antiphona, quae officio convenit, ut suis locis ponitur; et in fine omnium Antiphonarum additur *Alleluia,* quando in illis non habetur (R.). Itaque si festum mensis Martii, v. gr. festum s. Gabrielis, proprias habens Antiphonas, in tempus paschale transferatur, pro unica Antiphona dicenda sumatur prima Antiphona ex tribus; similiterque agatur in officiis Confessorum, Virginum, etc. (S. C.), si autem aliquod festum, ut ss. Philippi et Jacobi, extra tempus paschale transferatur, in quolibet Nocturno tres Antiphonae dicantur, omnibus *Alleluja* demptis (S. C.). A Septuagesima usque ad Pascha, ubi habetur *Alleluia,* tacetur, neque aliud ejus loco dicitur (R.).

3. Quando Antiphona sumitur ex principio Psalmi vel Cantici, et incipit sicut Psalmus vel Canticum, post Antiphonam non repetitur principium Psalmi vel Cantici, sed incipit ab eo loco, ubi secundum ritum diei desinit Antiphona, nisi discontinuetur per *Alleluia* (R.). Applicatio hujus rubricae reperitur in tertio Psalmo secundi Nocturni Dominicae, et in primo Psalmo tertii Nocturni Dedicationis ecclesiarum. Si tota Antiphona omnino non incipiat sicut Psalmus, ut v. gr. prima Antiphona primi Nocturni Confessoris, post Antiphonam non repetitur principium in Antiphona jam dictum, in semiduplici-

bus, quia principium Antiphonae idem est ac principium Psalmi (Cav.).

4. In Dominicis in primo Nocturno dicuntur duodecim Psalmi cum tribus Antiphonis, prout in Psalterio annotatur. Tempore Adventus ad Vesperas et Nocturnos Dominicae ponuntur Antiphonae propriae, et tempore paschali dicitur una tantum Antiphona (R.).

5. In festis dicuntur tres Antiphonae et tres Psalmi in quolibet Nocturno, ut in propriis locis signatur: alioquin, ut in Communi Sanctorum, excepto tempore paschali, ut supra dictum est (R.).

6. In fine Psalmorum semper dicitur *Gloria Patri* etc., praeterquam in triduo majoris hebdomadae ante Pascha; nec non in officio defunctorum, cujus loco pro defunctis dicitur *Requiem aeternam dona eis, Domine,* etiam si fiat officium pro uno tantum. Ut sacrae vulgatae editionis puritas inconfusa et illibata servetur, etiam quoad interpunctiones, et distinctiones in sacris Bibliis appositas, additus est Asteriscus, ut sit nota musicae partitionis in medio versu (R.).

7. Versus semper dicuntur ad Matutinum, post ultimum Psalmum et Antiphonam Nocturnorum, sive in officio dicantur tres Nocturni, sive unus. Versibus praedictis tempore paschali semper additur *Alleluia.* Post Versiculum cujuslibet Nocturni dicitur clara voce *Pater noster,* et in fine. *V. Et ne nos inducas in tentationem. R. Sed libera nos a malo.* Reliqua secreto dicuntur (R.).

8. Absolutiones et Benedictiones dicuntur per ordinem in officio novem Lectionum ante Lectiones, ut in prima Dominica de Adventu ponuntur; scilicet post Versum, dicto *Pater noster, Et ne nos,* dicitur Absolutio et Benedictiones, ut ibi: praeterquam in Matutino tenebrarum majoris hebdomadae, et in officio defunctorum, in quibus Absolutio et Benedictiones non dicuntur (R.).

9. Lectiones primi Nocturni leguntur cum titulo libri, ex quo sumuntur, nisi aliter in propriis locis notetur. In fine cujusque Lectionis dicitur: *Tu autem, Domine, miserere nobis,* et respondetur: *Deo gratias* (R.).

10. In officio novem Lectionum dicuntur hoc modo: In primo Nocturno semper leguntur tres Lectiones de Scriptura: quae, quando suis locis propriae aut de Communi Sanctorum non assignantur, semper leguntur ut in officio de tempore, quae sua quaque die occurrunt legendae (R.). In officio duplici primae et secundae classis, et in duplici majori, non leguntur lectiones de tempore, sed de Proprio aut de Communi Sanctorum. Idem est de festis in primo Nocturno propria habentibus Responsoria (S. C.). In duplici minori et semiduplici, nisi aliter notetur, leguntur Lectiones de tempore, exceptis feriis Quadragesimae aut Quatuor Temporum, et aliquibus Vigiliis, in quibus leguntur Lectiones, ut in festis ritus superioris (R.).

11. Initia librorum sacrae Scripturae (quae fere semper in Dominicis inchoantur) eo die ponuntur, quo notata sunt, etiamsi fiat officium de Sancto; nisi in festo aliae propriae Lectiones Scripturae, vel de Communi assignentur; tunc enim initium Lectionis de Scriptura transfertur in sequentem diem similiter non impeditam; et Lectiones illi diei de eadem Scriptura assignatae vel cum superioribus Lectionibus legantur, vel omittantur; ita ut non oporteat, eas amplius in alio sequenti die resumere, sed illae legantur, quae sua quaque die occurrunt, aut cum iisdem jungantur. Quod semper servetur, quando Lectiones occurrentes de Scriptura aliquo die omittuntur (R.). Quae autem rubrica tam de secundo libro Machabaeorum, de secunda epistola s. Pauli, quam de primo libro ac epistola prima intelligatur (S. C.).

12. Cum autem initium alicujus epistolae catholicae tempore paschali, aut alicujus Prophetae minoris mense Novembri, infra hebdomadam illorum temporum impeditur aliquo festo novem Lectionum habente proprias Lectiones de Scriptura; dictum initium epistolae et Prophetae, quoad commode fieri poterit, ponatur in sequenti feria, alio simili initio Scripturae ponendo, vel festo non impedita, alioquin in praecedenti similiter non impedita, ita ut aliquo modo ponatur, etiam si plura initia eodem die poni oporteat (R.). Initia nunquam reponuntur in Dominica (S. C.), nec in alia hebdomada (R.). Si tria initia eodem die legenda sint, una tantum Lectio illorum initiorum

legenda est (S. C.), cum titulo libri, ex quo sumuntur. Si quarta Quadragesimae Dominica aliquo festo primae classis impediatur, Lectiones primi Nocturni leguntur primo festo sequenti, Lectiones proprias primi Nocturni non habente (S. C.).

13. Ubi vero contingit, minui numerum Dominicarum et hebdomadarum post Epiphaniam, adveniente Dominica Septuagesimae, quod superest de epistolis beati Pauli, quae distributae sunt pro numero dictarum Dominicarum et hebdomadarum, eo anno omittitur, quamvis de aliquibus epistolis nihil sit lectum.[1] Quod etiam fit de Scriptura ex libris Regum, (de quibus legitur ab octava Pentecostes usque ad Dominicam primam Augusti), cum non expletur numerus Dominicarum post Pentecosten de eis libris annotatus usque ad mensem Augusti; quia tunc Lectionibus de his libris omissis, legitur de Scriptura, quae ponitur mense Augusti (R.). Caeterum quando October tantum habet quatuor Dominicas, Lectiones Dominicae quintae Octobris, in aliqua die hebdomadae, praecedentis Dominicae viciniori sunt ponendae, ita ut in feria quinta et sexta et sabbato hebdomadae quartae Octobris, legantur Lectiones de Dominica quinta continentes historiam martyrii sanctorum Machabaeorum (S. C.). Similiter quando in mense Novembris sunt eadem die ponenda plura initia Prophetarum minorum, tantum unica Lectio dicenda est, et non possunt poni plura tribus initiis unica die. In pluribus locis, per hebdomadam quintam Novembris, ob multitudinem officiorum habentium Lectiones primi Nocturni proprias, vel de Communi, saepe non remanent dies pro recitandis omnibus initiis Prophetarum minorum, quamvis tria initia uno die recitentur. Quo in casu non sunt omittenda initia, quae locum habere non possunt, sed dicenda sunt in officio semiduplici, et duplici majori vel minori, licet habeant Lectiones primi Nocturni proprias, vel de Communi (S. C.).

14. Quod si fiat de aliqua Dominica post Epiphaniam anticipate in feria eo modo, quo dictum est supra (pag. 470.),

[1] Attamen cum de aliqua Dominica, quae eo anno omittitur, fit commemoratio in sabbato, ejusdem leguntur Lectiones primi Nocturni, nisi tunc legi deberet aliquod initium epistolarum (S. C.).

tunc post officium Dominicae anticipatae, in sequentibus diebus, legatur de epistolis sancti Pauli assignatis Dominicae anticipatae, et sequentibus feriis, omissis aliis, quae sunt assignatae praecedenti hebdomadae. Quid autem observandum sit, cum mensis, cui quinque Dominicae assignantur, non habuerit nisi quatuor, in propriis locis notatur (R.).

15. Si contingat legendas esse Lectiones de Communi Martyrum, Confessorum etc., nihilque in Breviario annotetur, regula sumenda est ex Evangelio, et Lectionibus tertii Nocturni, vel Oratione, si sit de Communi, quae indicant, utrum sumpta sint ex *primo* aut *secundo* loco (S. C.).

16. Post quamlibet Lectionem dicitur unum Responsorium eo modo, quo in prima Dominica Adventus annotatur. In fine tertii, sexti et octavi dicitur *Gloria Patri,* cum repetitione partis Responsorii; quod regulare est in fine ultimi Responsorii cujuslibet Nocturni, tam in officio novem, quam trium Lectionum. In Responsoriis post Lectiones, quando duplex apponitur asteriscus, prima repetitio post Versum prosequi debet a primo ad secundum astericum, servatis verbis a secundo asterisco ad versum usque pro secunda repetitione, veluti rubrica ad praxim redacta praescribit, in Responsoriis Dominicae primae Adventus, et in Responsorio *Libera me, Domine,* officii defunctorum, ac uti fieri solet in ecclesiis Urbis (S. C.).

17. Qui versus, *Gloria Patri,* quibusdam diebus dicitur in primo Responsorio, ut in propriis locis annotatur; omittitur autem tempore Passionis, quo tempore loco *Gloria Patri,* repetitur Responsorium a principio; et etiam in officio defunctorum, in quo in illius loco dicitur *Requiem aeternam* etc. (R.).

18. Sumuntur autem Responsoria ex eo loco, ubi primo sunt posita, in principio mensis, vel libri, et repetuntur in aliis sequentibus Dominicis illius mensis, in quibus alia non assignantur (R.). Si Responsoria primi Nocturni ejus Dominicae, in qua primo ponuntur, propter festum duplex in ea occurrens, in ipsa Dominica poni non possint, ponantur prima die ejus hebdomadae, in qua occurrit fieri de feria, et omittantur alia, quae forte in illa feria propria haberentur. Si vero in tota hebdomada non occurrat dies, in quo fiat de feria, illa Respon-

soria ponantur in sequenti hebdomada vel Dominica similiter non impedita, et dummodo in ea alia Responsoria non sint primo ponenda, alioquin eo anno omittantur. Responsoria etiam, quae in aliquibus feriis per hebdomadam habentur, si eo die, quo posita sunt, non possunt dici propter festum occurrens, non sunt transferenda in aliam diem, sed omittuntur (R.).

19. Tempore paschali in fine Responsorii ante Versum additur *Alleluia* (R.), nisi jam in Breviario annotetur.

Articulus III. — De secundo Nocturno.

1. Observata in praecedenti articulo circa Antiphonas, Psalmos, Versum, Benedictiones et Responsoria, secundo Nocturno Matutini applicari possunt.

2. In secundo Nocturno, si fit de Dominica, vel de alio officio novem Lectionum per annum, etiam de octava, leguntur tres Lectiones de sermone, aut tractatu, qui in illis ponitur cum titulo et nomine auctoris: alias minime (R.).

3. In secundo Nocturno, si fit de Sancto, tres Lectiones leguntur de vita Sancti, vel de aliquo sermone aut tractatu, qui ei convenit; quae si non adsint propriae, leguntur ex Communi Sanctorum. Ex quo etiam Communi completur numerus trium Lectionum, quando officium fit novem Lectionum de aliquo Sancto, qui habet tantum unam vel duas Lectiones proprias (R.).

4. Lectiones secundi Nocturni positae in Communi Sanctorum leguntur, quando in proprio Sanctorum assignantur, et quando in aliqua ecclesia aliquod festum celebratur cum novem Lectionibus (quia in ea est solemne, aut consuetum in ea celebrari) quod proprias et approbatas de festo Lectiones non habuerit (R.). Annotare omitto, hoc locum habere, quando officium fit de festo aut die infra octavam Legi etiam possunt Lectiones ex Octavario Romano a sacrorum rituum Congregatione approbato. Si Octavarium illud non habeatur, atque in Communi de Sancto Lectiones *primo et secundo* loco habeantur, Lectiones istae infra octavam alternatim leguntur (AA.). In die octava, si Lectiones propriae non sint, ut in die festi leguntur (Oct. Rom.)

5. Dum separatim fit officium de Sancto, qui in Breviario associatur uni vel pluribus aliis Sanctis, leguntur tantum de Breviario Lectiones Sancti, de quo officium fit. Sexta autem, imo quinta Lectio, si necesse sit, de Communi leguntur. Dum vero difficulter vita Sancti ab aliis separari potest, Lectiones prout in Breviario sunt, legantur (S. C.).

6. Demum si ignoretur, quaenam Lectiones de Communi praeferendae sint, regula ex Lectionibus tertii Nocturni, aut ex Oratione, sumenda est (S. C.).

Articulus IV. — De tertio Nocturno.

1. Quae fuerunt observata circa Responsoria non universe tertio Nocturno applicanda sunt, sed sat notabiles differentiae habentur. Cum post ultimam Lectionem dicitur Hymnus *Te Deum,* post octavam Lectionem dicitur versus *Gloria Patri* in omnibus festis per annum, tam trium quam novem Lectionum, et per eorum octavas, excepto festo sanctorum Innocentium, nisi venerit in Dominica; dicitur tamen in ejus octava. Dicitur etiam in omnibus Dominicis, a Pascha Resurrectionis inclusive usque ad Adventum exclusive, et a Nativitate Domini inclusive, usque ad Septuagesimam exclusive: et in omnibus feriis temporis paschalis, scilicet a Dominica in Albis usque ad Ascensionem, excepta feria secunda Rogationum, in qua non dicitur. Non dicitur autem in Dominicis Adventus, et a Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusive, neque in feriis extra tempus paschale. In omnibus officiis exceptis, id est in quibus Hymnus *Te Deum* non dicitur, versus *Gloria Patri* post nonum Matutini Responsorium dicitur (R.).

2. Responsorium *Haec est vera fraternitas* in Communi plurimorum Martyrum, quod extra tempus paschale (R.) recitatur post octavam Lectionem in officio novem Lectionum, et post secundam in officio simplici, dicitur, dum fit officium de fratribus secundum carnem, non autem dum fit de fratribus secundum institutum ordinis regularis, nisi speciale privilegium habeatur (S. C.). Si cum fratribus carnalibus de aliis non fratribus festum fiat, tunc dicitur Responsorium *Haec est vera fraternitas,* si fratres sint plures quam non fratres (Cav.).

Responsorium *Domine praevenisti* in Communi Martyris, dicendum est in quocunque officio Martyrum, qui obierunt non effuso Sanguine, scilicet in officio novem Lectionum post octavam Lectionem, et in officio simplici post secundam, quacunque feria celebretur (S. C.). In festis Doctorum, octavum Responsorium *In medio* dicitur (R.).

3. In tertio Nocturno semper leguntur tres Lectiones de homilia in Evangelium, positae in Proprio, aut ex Communi assignatae: et primae Lectioni de homilia semper praeponitur principium Evangelii, de quo est homilia, etiam infra octavas. Excipiuntur ab hoc ordinario Lectionum, Matutina tenebrarum ante Pascha, et defunctorum, ut in suis officiis ponitur (R.).

4. Si in officio novem Lectionum, in quo non dicitur nonum Responsorium,[1] contingat fieri commemorationem de aliquo Sancto, qui propriam habet Lectionem, nona Lectio legitur de Sancto: si habuerit duas Lectiones, ex duabus fiat una Lectio, omissa nona Lectione in dicto officio novem Lectionum, vel octavae Lectioni adjuncta (R.). Nona autem Lectio octavae Lectioni de praecepto adjungi debet, si Lectiones sint historicae (R.).

5. Quae in festis, quae non sunt primae classis, servantur. Si tamen eodem die occurrat Dominica, vel feria, quae habet homiliam, nona Lectio Sancti omittitur, et ejus loco legitur homilia Dominicae, vel feriae; scilicet vel prima Lectio de homilia, vel tres simul in unam Lectionem conjunctae. In officio trium Lectionum, si fit de feria, tres Lectiones leguntur de Scriptura; nisi tres sint de homilia, quia tunc, omissis Lectionibus de Scriptura, leguntur de homilia (R.). Notandum, numquam legi nonam Lectionem de die infra octavam, neque de feria habente idem Evangelium quam festum; ac infra octavam ss. Corporis Christi, quando contingit, in ejus officio fieri debere commemorationem festi simplicis, de isto non recitandam esse nonam Lectionem (S. C.).

6. Quamvis in die octava Lectiones tertii Nocturni assignentur ut in die festo; id tamen intelligendum est de casu, quo omnes Lectiones homiliae per octavam lectae fuerunt;

[1] Hoc idem habet locum, si agatur de duplici ad ritum simplicem redacto (S. C.).

quando vero aliquae Lectiones homiliae infra octavam ob occurrentia festa non sunt lectae, in die octava legi possunt illae Lectiones homiliae, quae primo post diem festum infra octavam impeditae et omissae fuerunt (S. C.).

7. Si officium fit de Dominica aut de festo Domini, octava Benedictio erit; *Divinum auxilium maneat semper nobiscum;* si officium fit de Sancto novem Lectionum, octava Benedictio erit: *Cujus festum colimus, ipse (vel ipsa) intercedat pro nobis ad Dominum;* quando sunt plures, dicitur, *Quorum (vel quarum) festum colimus, ipsi (vel ipsae), intercedant pro nobis ad Dominum;* si officium sit de sancta Maria, octava Benedictio erit: *Cujus festum colimus, ipsa Virgo virginum intercedat pro nobis ad Dominum.* Si in ultima Lectione legendum sit aliud Evangelium cum homilia, loco *Ad societatem civium supernorum perducat nos rex Angelorum,* nona Benedictio erit: *Per evangelica dicta deleantur nostra delicta* (R.).

Articulus V. — De officio trium Lectionum.

1. De officio trium Lectionum ad Matutinum fit in feriis, Vigiliis, simplicibus, ac etiam in festis Paschae et Pentecostes et infra eorum octavas (R.).

2. In officio trium Lectionum ad Matutinum Invitatorium et Hymnus, in feriali officio de feria, si non sint in proprio de tempore, dicuntur ut in Psalterio (R.): in festis, de festo, ut in Communi Sanctorum (R.).

3. Deinde dicitur Nocturnum feriae, ut in Psalterio, id est, duodecim Psalmi cum sex Antiphonis, et tempore paschali cum una Antiphona *Alleluia:* qui dicuntur tam in officio feriali, quam in festis simplicibus (R.).

4. Post Psalmos et Antiphonas dicitur Versus, in feriali officio, ut in Psalterio: in festis ut in Communi Sanctorum: qui in festis sumitur secundum ferias ex Nocturno Communis, hoc ordine: feria secunda et quinta Versus primi Nocturni: feria tertia et sexta Versus secundi Nocturni: feria quarta et sabbato Versus tertii Nocturni (R.). Caeterum in Psalterio in quacunque ex istis feriis resumuntur.

5. Absolutio et Benedictiones in officio trium Lectionum, si

fit de feria, in qua tres Lectiones sunt de Scriptura, sumuntur ex prima Dominica de Adventu, hoc ordine: feria secunda et quinta dicuntur Absolutio et Benedictiones primi Nocturni: feria tertia et sexta, secundi Nocturni; quarta et sabbato, tertii Nocturni (R.).

6. Si autem singulae tres Lectiones sint de homilia super Evangelium, Absolutio dicitur secundum ferias, ut supra, Benedictiones vero semper dicuntur ut in tertio Nocturno, scilicet, prima Benedictio erit, *Evangelica lectio;* secunda, *Divinum auxilium;* tertia: *Ad societatem.* Si fit de Sancto trium Lectionum, Absolutio dicitur secundum ferias, ut supra: Benedictiones vero semper dicuntur ut in tertio Nocturno, hoc modo: prima, *Ille nos benedicat:* secunda, *Cujus* vel *Quorum,* vel *Quarum festum colimus:* tertia, *Ad societatem* (R.).

7. In officio trium Lectionum, si fit de feria, tres Lectiones leguntur de Scriptura; nisi tres sint de homilia, quia tunc, omissis Lectionibus de Scriptura, leguntur de homilia. Si fit de Vigilia, leguntur Lectiones de homilia feriae; si fit de Sancto, qui habeat duas Lectiones, prima tantum erit de Scriptura, ut vel legatur una, vel ex tribus simul junctis fiat una: secunda et tertia de Sancto. Si unam tantum habuerit, vel propriam, vel ex Communi assignatam, prima et secunda erunt de Scriptura, tertia de Sancto: quod etiam servatur in officio beatae Mariae in sabbato (R.).

8. In officio trium Lectionum, quando fit de festo, et in feriis temporis paschalis, quod est inter Dominicam in Albis, et Ascensionem (excepta feria secunda Rogationum, in qua ponitur tertium Responsorium), dicuntur duo Responsoria, quia post tertiam Lectionem dicitur *Te Deum.* Quae Responsoria in festis sumuntur de Communi: et in dictis feriis temporis paschalis, quando alia propria non assignantur, sumuntur de Dominica, in qua primo sunt posita, hoc ordine: secunda et quinta feria primum et secundum Responsorium primi Nocturni; feria tertia et sexta, primum et secundum Responsorium secundi Nocturni; feria quarta et sabbato primum et secundum Responsorium tertii Nocturni.

9. In aliis feriis extra tempus paschale dicuntur tria Responsoria (quia in illis non dicitur *Te Deum)* hoc ordine:

feria secunda et quinta, tria Responsoria primi Nocturni; feria tertia et sexta, tria Responsoria secundi Nocturni; feria quarta et sabbato, quando in eo fit de feria, tria Responsoria tertii Nocturni Dominicae praecedentis, in qua primo sunt posita. Verum quia in tertio Nocturno Dominicarum a tertia post Pentecosten inclusive, usque ad Adventum exclusive, non habetur nisi unum Responsorium dicendum infra hebdomadam, quod est septimum in Dominica, propterea quod Responsorium; *Duo Seraphim*, non dicitur nisi in praedictis Dominicis; ideo feria quarta et sabbato, quando Responsoria sumenda erunt ex tertio Nocturno, primum Responsorium erit, quod est septimum Dominicae; *secundo* et *tertio loco* dicitur secundum et tertium sequentis feriae; id est, post secundam et tertiam Lectionem dicitur secundum et tertium Responsorium, quod est secundum et tertium secundae sequentis feriae, si propria Responsoria habuerit; alioquin si non habuerit propria, dicitur secundum et tertium Responsorium, primi Nocturni ejusdem Dominicae. Ab octava Epiphaniae usque ad Septuagesimam habentur Responsoria propria in singulis feriis, excepto sabbato; in quo, quando fit de feria, dicuntur Responsoria feriae quartae (R.).

§. III. De Laudibus.

Dicto Hymno *Te Deum*, vel ultimo Responsorio, immediate Laudes incipiunt. Quidquid rubricae olim praescripserint circa Laudes, sat erit, scire, hodiedum Matutinum a Laudibus licite separari posse, laudabiliterque, juxta quosdam auctores, Laudes mane recitari, Matutino die praecedenti dicto. Quando Matutinum a Laudibus separatur, plures dicunt Matutinum esse concludendum, ut concluduntur parvae horae, scilicet post finitum Hymnum *Te Deum*, vel post ultimum Responsorium, addendo *Dominus vobiscum*, Orationem ex Laudibus, sed sine aliis commemorationibus, deinde *Dominus vobiscum, Benedicamus, Fidelium* et *Pater noster*. Huic opinioni multum favet dispositio rubricarum in festo Nativitatis Domini post Matutinum, nuncque ut norma habenda est (S. C.).

Hic paragraphus dividitur in tres articulos, quorum pri-

mus agit de Laudibus proprie dictis; secundus de Commemorationibus, et tertius de Suffragiis. Omissis nunc observationibus generalibus supra factis circa Antiphonas, Psalmos, Hymnos, Versus, tantum agemus de iis, quae ad Laudes specialiter pertinent.

Articulus I. — De Laudibus proprie dictis.

1. Psalmi dominicales Laudum dicuntur non tantum in Dominicis, sed etiam in omnibus anni festis vel simplicibus, atque in feriali officio temporis paschalis. In omnibus tamen Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusive, duo Psalmi *Miserere* et *Confitemini* primo loco dicuntur. Annotandum est, post tertium Psalmum *Deus, Deus meus,* non dici *Gloria Patri,* quia videtur idem Psalmus esse cum sequenti Psalmo *Deus misereatur,* cui conjugitur; idem servandum est post Psalmum *Laudate Dominum de coelis,* ex tribus Psalmis distinctis compositum; itemque post Canticum Laudum *Benedicite,* Versum *Gloria Patri* non dici.

In feriali officio per annum, extra tempus paschale, dicuntur ut in Psalterio (R.).

2. Antiphonae in festis novem et trium Lectionum, si non adsint propriae, dicuntur de Communi. In Dominicis, quando propriae non assignantur, dicuntur ut in Psalterio, exceptis Dominicis Adventus, et Dominicis a Septuagesima usque ad Pascha, in quibus dicuntur, ut suis locis ponuntur. In feriali officio dicuntur Antiphonae feriales, exceptis feriis Adventus, quae incipiunt a 17. Decembris. Observandum est etiam in Dominicis, quibus Antiphonae propriae non assignantur, atque in feriis paschalibus, tres tantum Antiphonas in Laudibus dicendas esse (R.).

3. Repetita Antiphona post quintum Psalmum Laudum, Capitulum semper dicitur (praeterquam a feria quinta in Coena Domini, usque ad Vesperas sabbati in Albis exclusive, et praeterquam in officio defunctorum). Post Capitulum semper respondetur *Deo gratias* (R.).

4. In Dominicis ab Adventu usque ad octavam Epiphaniae, et a Septuagesima usque ad tertiam post Pentecosten, et in feriis temporis paschalis, et in omnibus festis regulariter

Capitulum positum in primis Vesperis dicitur in Laudibus, quibusdam exceptis, quae suis locis assignantur. Capitula dominicalia posita in Psalterio, in primis et secundis Vesperis, in Laudibus et Horis, dicuntur a tertia Dominica post Pentecosten usque ad Ad ventum, et a secunda post Epiphaniam usque ad Septuagesimam. Capitula autem ferialia dicuntur post octavam Pentecostes usque ad Adventum, et ab octava Epiphaniae usque ad Dominicam primam Quadragesimae. Aliis temporibus dicuntur, ut in Proprio de Tempore; si fit de Sanctis, ut in Proprio de Sanctis, cum propria adsunt, alioquin de Communi Sanctorum (R.).

5. Hymni semper dicuntur, praeterquam a triduo ante Pascha, usque ad Vesperas sabbati in Albis exclusive, et praeterquam in officio defunctorum. In officio de Sanctis dicuntur ut in Communi Sanctorum, nisi proprii in Proprio Sanctorum habeantur. Observandum est, mutationes, quas habendas notavimus in Hymnis ad Matutinum, etiam faciendas esse in Hymnis tam in Laudibus, quam in aliis Horis. Versus dicitur post Hymnum et ex iisdem locis sumitur.

6. Antiphona ad *Benedictus* cum eodem Cantico dicitur pro qualitate offici', de tempore, vel de festo, omnesque Antiphonae Adventus, Quadragesimae ac Quatuor Temporum propriae sunt. Repetita Antiphona ad *Benedictus*, ante Orationem dicitur *Dominus vobiscum* (cujus loco dicitur *Domine, exaudi orationem meam*, pro subdiaconatus ordine tantum insignitis [R.]), et praedicta Oratio conveniens.

7. Festa, etiam simplicia, Dominicae, ac Vigiliae propriam Orationem habent. Infra octavas Oratio festi repetitur, et in feriis Oratio Dominicae praecedentis, exceptis feriis Quadragesimae et Quatuor Temporum propriam Orationem habentibus (R.).

8. Ante Orationem, etiam in officio ab uno tantum recitato, dicitur *Dominus vobiscum* et *Oremus;* et in fine Orationis respondetur *Amen* (R.). Quoad modum concludendi Orationem, recurrendum est ad supra scripta circa rubricas Missalis (pag. 408.). Post ultimam Orationem repetitur *Dominus vobiscum,* deinde *Benedicamus Domino* cum *Deo gratias,* et Versus *Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace, Amen,*

Pater noster, Dominus det nobis suam pacem, Amen; et Antiphona beatae Mariae, ut habetur in fine Completorii, si tunc discedendum sit a choro; alioquin in fine ultimae horae (R.).

9. Preces, quando dicendae sunt, dicuntur ante primam Orationem. Preces feriales ad Laudes et per Horas distinctae, ut in Psalterio, dicuntur tantum in feriis Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum et Vigiliarum, quae jejunantur (R.), jure communi, etiamsi jejunium postea sublatum fuerit (S. C.), exceptis Vigilia Nativitatis Domini ac Vigilia et Quatuor Temporibus Pentecostes: quae Preces dicuntur flexis genibus (R.), in choro (S. C.).

Articulus II. — De commemorationibus.

1. Commemorationes fiunt hoc modo: post Orationem diei, in primis Vesperis dicitur Antiphona, quae posita est ad *Magnificat,* et in Laudibus, quae posita est ad *Benedictus* in Communi (si propriam non habuerit convenientem) ejus officii, cujus fit commemoratio. Post Antiphonam dicitur Versus, unde sumpta est Antiphona, scilicet post Hymnum Vesperarum et Laudum; deinde dicitur Oratio. Post ultimam Orationem repetitur *Dominus vobiscum,* deinde *Benedicamus Domino* etc. ut supra.

Quando contingit fieri plures commemorationes, servetur hic ordo: de duplici fiat ante Dominicam, de Dominica ante festum semiduplex, de semiduplici ante diem infra octavam, de die infra octavam ante ferias Adventus, Quatuor Temporum, Vigiliarum et Rogationum, et de dictis feriis ante festum simplex. De sancta Maria (quando in secundis Vesperis festi novem Lectionum, quod feria sexta celebratum sit, de ea fieri debeat commemoratio pro officio sequentis sabbati) fiat ante festum simplex in sabbato occurrens. De festo simplici fit commemoratio ante suffragia, seu communes commemorationes de cruce, sancta Maria, s. Joseph, ss. Apostolorum, et de Pace, et ante commemorationem cujuscumque Tituli, vel Patroni ecclesiae, quae etiam pro sua dignitate aliis suffragiis praedictis praeponeretur (R.).

2. Si Antiphona et Versus festi, de quo fit commemoratio, sumenda essent ex eodem Communi, unde sumpta sunt in

officio diei, istae commemorationes variantur, ita ut in Vesperis sumantur ex Laudibus, et in Laudibus ex primis Vesperis ejusdem Communis, nisi aliter signetur. Si facienda sit commemoratio de die infra octavam, loco Antiphonae cum Versu Laudum, sumatur Antiphona ex secundis Vesperis cum Versu primarum Vesperarum (S. C.). Si tamen Versus secundarum Vesperarum differat a Versu Laudum, sumatur pro commemoratione facienda.

Quando Antiphonae et Versus in Vesperis variandi sunt pro alicujus simplicis facienda commemoratione, prima commemoratio cum Versu erit propria ex primis Vesperis. Secunda commemoratio fiet cum prima Antiphona tertii Nocturni et Versu istius Nocturni; tertia autem commemoratio fiet desumendo Antiphonam secundarum Vesperarum et Versum secundi Nocturni (S. C.). Quae differentia provenit ex eo, quod festa simplicia non habeant secundas Vesperas, et dies infra octavam non habeant primas Vesperas.

3. Mutatio praedicta fieri debet pro sola Antiphona, aut pro solo Versu, cum eadem est Antiphona, aut idem Versus jam dictus. Idem est, si Versus sit eisdem verbis conceptus ac Antiphona, prout fit in octava Epiphaniae. Attamen plura vel pauciora verba ad differentiam constituendam sufficiunt (AA.). Non omittendum, regulam n° 2. supra traditam applicandam esse casibus, in quibus plures commemorationes easdem Antiphonas vel Versus habere deberent.

4. Antiphona Laudum ea est, quae in Breviario ad *Benedictus* ponitur, Versus autem Laudum post Hymnum earumdem reperitur.

Articulus III. — De commemorationibus communibus seu suffragiis Sanctorum.

1. Commemorationes communes, seu suffragia de Sanctis, quae habentur in Psalterio post Vesperas sabbati (R.), dicuntur in fine Vesperarum et Laudum (R.).

2. Ab octava Epiphaniae usque ad Dominicam Passionis exclusive, et ab octava Pentecostes usque ad Adventum exclusive, dicuntur in Dominicis, feriis et festis (nisi officium sit

duplex, vel infra octavas, etiamsi de Dominica, vel semiduplici infra eas fiat). Et ante illas, in feriali officio, fit commemoratio de cruce, quae habetur in Psalterio post Laudes feriae secundae (R.). Tempore paschali fit alia commemoratio de cruce, ut ibi ponitur in Laudibus feriae secundae post Dominicam in *Albis*, et ea solum tunc dicitur, non tamen in duplicibus, neque infra octavas (R.).

3. Quibus commemorationibus adjungitur commemoratio de Patrono vel Titulo ecclesiae, ante vel post commemorationem de sancta Maria, de sancto Joseph et de Apostolis, pro dignitate illius, ita tamen, ut semper *ultimo loco* ponatur commemoratio de pace (R.). Commemoratio fit de sancto Salvatore, de sancto Redemptore (si alteruter sit Titularis) ante commemorationem de sancta Maria, sed post commemorationem de cruce (S. C.). Commemoratio de Angelis, de sancto Joanne Baptista, de sancto Joseph fit ante commemorationem de Apostolis, si autem Patronus vel Titularis ecclesiae sit aliquis Apostolus, commemoratio de illo facienda est tantum post commemorationem de principe Apostolorum, sancto Petro (S. C.).

4. Notandum, ubi s. Maria est Titularis sub quocumque mysterio aut titulo, v. g. Assumptionis, Nativitatis etc., non licere in suffragiis ejus commemorationem facere cum Antiphona, Versu et Oratione propriae festivitatis, sed sufficere communem Antiphonam cum Versu et Oratione inter suffragia positam, aliamque commemorationem non esse faciendam. Notandum etiam, ubi ss. Apostoli Petrus et Paulus sint ecclesiae Titulares, non esse faciendam de iis specialem commemorationem, sed sufficere commemorationem ordinariam, ut modo dictum est de B. M. V. (S. C.). In ecclesiis, quae titulum habent ss. Salvatoris, non omittendae sunt commemorationes ss. Salvatoris, nec s. crucis (S. C.). Commemoratio de s. Maria non fit cum aliis, quando dicitur ejus officium parvum, nec quandocumque fit officium de ipsa (R.), excepto quando est Titularis (S. C.).

5. Patronus, de quo facienda est commemoratio ab adscriptis ecclesiae, est Titularis, nec fieri debet commemoratio de Patrono loci, nisi sit simul Titularis ecclesiae (S. C.). Professores igitur ac alumni seminariorum facere debent comme-

morationem de Sancto vel Mysterio, cui dedicata est ecclesia seminario annexa (S. C.).[1] Nulli autem ecclesiae adscriptus non debet facere commemorationem de Titulari ecclesiae habitationis suae, sed de Patrono urbis vel loci (S. C.). Quoad Patronum dioecesis, regni, ordinis, de illis non fit commemoratio, nisi ab Ordinario sit praecepta (S. C.). Redemptoristae faciunt commemorationem de s. Alphonso, non autem de ss. Redemptore (S. C.).

6. Nota, Versum et Orationem commemorationis de Beata Maria variari ab Epiphania usque ad Purificationem (R.).

7. Si Oratio Patroni contineret verba ipsi tantum festo convenientia, ista verba mutarentur; hinc verbis *natalitia, festivitas,* substituerentur verba *commemoratio, memoria* etc. (AA.).

§. IV. De Prima.

1. Ad Primam *Pater noster, Ave Maria, Credo,* secreto: *Deus in adjutorium* etc., Hymnus *Jam lucis orto sidere;* deinde inchoatur Antiphona, quae convenit. Ultimus versus Hymni *Jam lucis orto sidere* variatur eo modo, quo supra dictum est; Antiphonae ritu semiduplici semper dicuntur (R.).

2. Antiphona in festis, nisi propria habeatur, ex Laudibus sumitur et prima est in ordine. In Dominicis Adventus, Quadragesimae incipiendo a Septuagesima, habetur Antiphona propria, vel sumitur ex Laudibus. In aliis Dominicis, Antiphona conficitur ex tribus *Alleluia,* et quatuor *Alleluja* tempore paschali. In feriis Adventus ad Primam sumitur Antiphona Dominicae praecedentis, vel prima Antiphona propria ex Laudibus. In feriis vero temporis Quadragesimae et Passionis, habetur Antiphona ad Primam propria. In caeteris feriis sumitur Antiphona communis *Beati, qui ambulant,* excepto tempore paschali, quod non habet Primam ferialem.

3. In feriis vero temporis paschalis, in festis per annum, et in sabbato, sive de sancta Maria, sive de feria fiat officium,

[1] Notandum, in casu duplicis suffragii Titulo super Patrono dioecesis praelationem esse dandam. Objicitur equidem decretum de anno 1847; sed in eo non solvitur quaestio de illius commemorationis ordine, quae tunc nullatenus proposita fuerat.

dicuntur tantum tres Psalmi, scilicet *Deus, in nomine tuo, Beati immaculati* et *Retribue;* itemque si festum duplex celebretur in Dominica. In Dominicis temporis paschalis, a Dominica in Albis inclusive, usque ad Ascensionem exclusive, dicuntur tantum tres Psalmi praedicti sicut in festis, addito Symbolo sancti Athanasii; quod Symbolum etiam dicitur in festo ss. Trinitatis. Psalmus *Confitemini* dicitur ad Primam cum aliis Psalmis in Psalterio assignatis, in omnibus Dominicis (quando officium fit de Dominica ut in Psalterio; etiam in Dominicis, quae occurrunt infra octavas Sanctorum) a tertia Dominica post Pentecosten inclusive, usque ad Nativitatem Domini exclusive; et a secunda Dominica post Epiphaniam inclusive, usque ad Septuagesimam exclusive; a Septuagesima autem usque ad Pascha, ejus loco dicitur Psalmus *Dominus regnavit,* quia Psalmus *Confitemini* tunc dicitur ad Laudes post Psalmum *Miserere,* ut suo loco ponitur (R.). Alii Psalmi per singulas ferias distributi ad Primam, dicuntur singuli loco Psalmi *Confitemini*, in feriali tantum officio, quando de feria agitur extra tempus paschale (R.).

4. Post Antiphonam, in feriis tempore paschali ad Primam, dicitur Capitulum *Regi saeculorum,* sicut in Dominicis et festis. In feriali officio extra tempus paschale dicitur Capitulum *Pacem et veritatem.* Post Capitulum semper respondetur *Deo gratias* (R.).

5. Deinde Responsorium breve *Christe, Fili Dei, vivi* etc. ut in Breviario. Tempore Passionis non dicitur *Gloria Patri,* in officio de tempore, sed solum repetitur Responsorium breve a principio. Tempore vero paschali, id est, a Dominica in Albis, usque ad sabbatum post Pentecosten, tam in Dominicis, quam in feriis, ac etiam in festis eo tempore occurrentibus, additur duplex *Alleluia,* ut pars Responsorii, juxta dispositionem Breviarii (R.).

Extra tempus paschale, huic Responsorio nunquam additur *Alleluia* (R.).

6. In Responsorio brevi ad Primam, loco Versus, *Qui sedes* etc. in Adventu dicitur, *Qui venturus es in mundum,* tam in Dominicis et feriis, quam in festis: excepto festo Conceptionis immaculatae beatae Mariae, et per octavam. In Nativitate

Domini usque ad Epiphaniam, etiam in festis occurrentibus, in festo Corporis Christi, et per octavam, et in omni officio beatae Mariae, tam novem quam trium Lectionum, etiam si infra ejusdem octavas fiat de festo vel de Dominica, dicitur, *Qui natus es de Maria Virgine.* In Epiphania et per octavam, et in festo Transfigurationis, dicitur, *Qui apparuisti hodie.* A Dominica in Albis inclusive, usque ad Ascensionem exclusive, tam in officio de tempore, quam de Sanctis (excepto officio s. Mariae) semper dicitur, *Qui surrexisti a mortuis.* In Ascensione usque ad Pentecosten exclusive dicitur, *Qui scandis super sidera.* In Pentecoste, et reliquo anni tempore, tam in officio de tempore, quam de Sanctis, dicitur: *Qui sedes ad dexteram Patris,* ut in Psalterio (R.). Habentur insuper aliae variationes in suis locis assignandae. Responsorium breve non mutatur in officio sanctae Sindonis (S. C.).

7. Tempore paschali a Dominica in octava Paschae usque ad sabbatum post Pentecosten inclusive, in fine secundi Versus, *Exsurge*, unum tantum *Alleluia* dicitur, tam in officio de Tempore, quam de Sanctis, ut dicitur in rubrica, quae est in sabbato in Albis. Extra tempus paschale, quamvis in aliquibus festis ad Tertiam, Sextam, et Nonam Responsoriis brevibus addantur *Alleluia*, non ideo adduntur ad Primam et Completorium (R.).

8. Post Responsorium breve in officio duplici et infra octavas, statim dicitur Oratio *Domine Deus omnipotens.* In alio officio dicitur *Kyrie eleison,* cum reliquis precibus, omnia ut in Psalterio. Quando ad Laudes non sunt dictae preces feriales, statim dicitur *Adjutorium,* et *Confiteor Deo* etc. ut infra. Quando autem ad Laudes dictae sunt preces feriales positae post Laudes feriae secundae, tunc ad Primam praedictae preces et sequentes: *Eripe me, Domine, ab homine malo* etc. dicuntur flexis genibus (R.).

9. Quando aliquis solus recitat officium, semel tantum dicit, *Confiteor*, omissis illis verbis: *Tibi Pater,* vel *Vobis fratres,* et, *Te Pater,* vel *vos fratres,* et similiter dicit, *Misereatur nostri, peccatis nostris, perducat nos,* quod etiam servatur ad Completorium (R.). Quando autem duo aut plures officium

divinum privatim recitant, possunt, sed non debent ad *Confiteor* omittere verba illa: *vobis fratres,* et *vos fratres; Misereatur tui,* et *Misereatur vestri,* sicut quando unus tantum illud recitat (S. C.).

10. Post Orationem Primae, vel, si dicatur officium beatae Mariae, post illius Orationem, dicto, *Benedicamus Domino,* dicitur *Pretiosa,* cum reliquis: quae etiam dicuntur ab iis, qui extra chorum non legerint Martyrologium. In fine ad Absolutionem Capituli, in festis et aliquibus diebus, pro Lectione brevi dicitur Capitulum Nonae, si adsit proprium, alioquin de Communi: alio tempore tam in Dominicis, quam feriis, Lectio brevis officio illius temporis in Psalterio est assignata (R.).

11. Lectio Martyrologii recitatur quotidie in choro ad Primam ante Versum *Pretiosa,* excepto triduo ante Pascha, quibus diebus omittitur. Legitur autem semper praecedenti die Lectio illa, quae memorias Sanctorum sequentis diei continet, praeponendo kalendas, nonas, vel idus, et quantitatem lunae ejusdem sequentis diei. Lector non petit Benedictionem, sed absolute incipit a kalendis: qui etiam in fine leget Lectionem brevem ad Absolutionem Capituli. In fine cujuslibet diei semper additur: *Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum, et Confessorum atque sanctarum Virginum.* Et respondetur a choro, *Deo gratias.* Festa, de quibus eo die fit officium, semper primo loco ponuntur; quod etiam servandum erit in festis mobilibus, quae pronuntianda sunt, ut infra dicetur; et in Sanctis propriis particularium ecclesiarum in Martyrologio non appositis, qui in iis tantum ecclesiis et locis, ubi praecipue memoria eorum celebris habetur, legi poterunt etiam primo loco, si de illis ibidem agatur officium: si vero non agatur, post Sanctos in hoc Martyrologio descriptos, ordine suo, videlicet Martyres post Martyres, Confessores post Confessores, Virgines post Virgines (Rubr. martyr.). Si festa transferantur, in Martyrologio annuntianda sunt iisdem diebus et verbis, quibus sunt in Martyrologio descripta, ita ut suis diebus notatis omittenda non sint, quamvis quoad officium transferantur: iterumque pronuntianda sunt pridie quam celebrentur, sive perpetuo, sive accidentaliter pro hac aut altera

vice transferantur. Officia votiva (S. C.) atque dies octavae etiam annuntianda sunt (Cav.). Translata Vigilia in sabbatum, non anticipatur Lectio Vigiliae in Martyrologio, licet anticipetur officium cum jejunio (Cav.). In pronuntiatione Lectionis Martyrologii Romani, elogium, verbi gratia, sancti Cypriani patroni principalis, separari debet ab elogio s. Cornelii, quia officium unius separatur ab alio, et s. Cyprianus nominandus est primo loco (S. C.).

§. V. De horis Tertia, Sexta et Nona.

1. Ad Tertiam, Sextam et Nonam, ante singulas horas dicitur, *Pater noster, Ave Maria, Deus in adjutorium,* Hymnus et Psalmi, ut in Psalterio. Notandum, in festo Pentecostes et per octavam, Hymnum *Veni creator* dici ad Tertiam loco Hymni *Nunc sancte.*

2. Antiphonae ut ad Primam, sumuntur vel ex Psalterio, vel ex ipso officio. Si sumantur ex Laudibus, sumendae sunt, quarta praetermissa, hoc ordine: ad Primam prima; ad Tertiam secunda; ad Sextam tertia: ad Nonam quinta. Psalmi horarum, scilicet ad Tertiam, Sextam, et Nonam, et ad Completorium, numquam mutantur, ut in Psalterio, sive de Sanctis, sive de Tempore fiat officium. In istis parvis horis in principio Psalmi inchoatur tantum Antiphona, deinde in fine integra dicitur (R.).

3. Dictis Psalmis et Antiphona, dicitur Capitulum et Responsorium breve pro qualitate officii. Capitulum ad Tertiam est semper Capitulum Laudum, quando non habetur proprium. Capitula autem ad Sextam et Nonam in Breviario ponuntur (R.).

4. Responsoria brevia in festis sunt propria. Quando fit officium de Dominica, vel feria per annum, dicuntur ut habentur in Psalterio. In Adventu autem, Quadragesima, tempore Passionis et paschali, ut suis locis habentur propria. In festis similiter, quando non habentur propria, dicuntur ut in Communi Sanctorum.

Quae vero ponuntur in aliquo festo habente octavam, dicuntur per totam octavam, quando fit de octava. In officio

autem beatae Mariae, tam novem quam trium Lectionum (excepto festo Assumptionis ejusdem), dicuntur semper Responsoria brevia, ut in festis B. M. V. per annum, quae sunt eadem ac in Communi Virginum.

Tempore paschali, a Dominica in octava Paschae usque ad sabbatum post Pentecosten inclusive, in fine Responsorii brevis ante primum Versum dicuntur duo *Alleluia,* quae etiam post dictum primum Versum repetuntur pro parte Responsorii, et in fine secundi Versus unum tantum *Alleluia,* tam in officio de Tempore quam de Sanctis, ut dicitur in rubrica, quae est in sabbato in Albis. Extra tempus paschale, quamvis in aliquibus festis ad Tertiam, Sextam et Nonam Responsoriis brevibus adduntur *Alleluia,* non ideo adduntur ad Primam et Completorium (R.).

5. Quando in feriali officio per annum ad Matutinum dictae sunt Preces, ad Tertiam, Sextam et Nonam, flexis genibus dicitur: *Kyrie eleison* etc. Post Responsorium vel preces dicitur Oratio, quae habetur in Proprio de Tempore: si autem fit de Sancto, ut in Proprio Sanctorum, alioquin ut in Communi. Post Orationem repetitur, *Dominus vobiscum,* et dicitur, *Benedicamus Domino, Fidelium animae,* et *Pater noster,* secreto: ut in rubrica de Oratione Dominica explicatur (R.).

§. VI. De Vesperis.

1. Vesperae Laudibus sunt simillimae. Primo recitantur *Pater noster* et *Ave Maria.* Deinde dicuntur quinque Psalmi, cum quinque Antiphonis, ut in Proprio aut Communi Sanctorum assignantur. In Dominicis autem et feriis, Antiphonae et Psalmi semper dicuntur ut in Psalterio (uti etiam tempore paschali dicuntur sub una Antiphona *Alleluia)* nisi aliae propriae Antiphonae vel Psalmi (ut in Dominicis Adventus et triduo ante Pascha) assignentur (R.). In festis novem Lectionum ad Vesperas dicuntur Antiphonae de Laudibus, nisi propriae in Vesperis assignentur (R.).

2. Quando in Vesperis fit a Capitulo de sequenti, dictis Antiphonis et Psalmis officio diei convenientibus, dicitur Capi-

tulum, Hymnus etc. de officio diei sequentis. Commemoratio autem primo loco semper facienda est de officio priorum Vesperarum, sumendo earumdem Antiphonam ad *Magnificat,* Versum ac Orationem, nisi tamen commemoratio privilegiata esset facienda, v. gr. commemoratio de s. Paulo, in festis s. Petri, tunc enim commemoratio de s. Paulo semper *primo loco* facienda esset (R.).

3. Si Antiphonae et Versus adhibendi in commemoratione facienda essent iidem ac Antiphonae et Versus officii, ipsis substitueretur, pro die infra octavam, Antiphona Laudum cum Versu primarum Vesperarum; pro festis simplicibus, in primis Vesperis, 1° Antiphona cum Versu Laudum, 2° Antiphona ex secundis Vesperis cum Versu secundi Nocturni; 3° prima Antiphona cum Versu tertii Nocturni (S. C.). De Vigilia non fit commemoratio in Vesperis; de festo autem simplici tantum commemoratio fit in primis Vesperis (R.).

4. Commemorationes communes, seu suffragia de Sanctis fiunt ut ad Laudes. Suffragia autem non fierent, si Vesperae essent de sequenti duplici. Similiter non fit commemoratio de cruce in Vesperis ferialibus de sabbato, quia fiunt a Capitulo de Dominica (R.).

§. VII. De Completorio et fine officii.

1. Ad Completorium absolute dicitur Lectio brevis, ut in Psalterio: deinde *Pater noster* totum secreto, *Confiteor, Misereatur, Indulgentiam, Converte nos, Deus in adjutorium,* Antiphona, Psalmi, Hymnus, Capitulum, Responsorium breve, Canticum cum Antiphona; omnia ut in Psalterio; et post Antiphonam in duplicibus et infra octavas dicitur Oratio; in alio autem officio ante Orationem dicitur *Kyrie eleison,* cum reliquis Precibus, ut ibidem in Psalterio. Notandum, Antiphonam Psalmi *Cum invocarem* esse semper *Miserere,* cujus loco tempore paschali dicitur *Alleluia.*

2. Tempore tantum paschali adduntur duo *Alleluia* Responsorio brevi *In manus tuas,* ut ad Primam, unum *Alleluia* Versiculo, et unum *Alleluia* Antiphonae *Salva nos.* In fine

Hymni variantur verba prout dictum est in rubrica ad Matutinum, dummodo in Vesperis officium aut commemoratio facta fuerit de festo variationem exigente, vel fuerit infra octavam ejusdem festi.

3. Preces ad Completorium dicuntur, quando commemorationes communes factae sunt in Vesperis, praeterea in Adventu et tempore Passionis, in semiduplicibus ac extra octavas (R.).

4. Post Versum *Benedicat et custodiat nos* etc., dicitur una ex Antiphonis beatae Mariae, cum Versiculo et Oratione, ut ibidem: et dicto Versu, *Divinum auxilium*, dicitur secreto *Pater noster, Ave Maria* et *Credo*. Antiphonae autem beatae Mariae positae in fine Psalterii post Completorium, singulae dicuntur pro temporis diversitate hoc ordine: Antiphona *Alma Redemptoris* dicitur a Vesperis ante Dominicam primam Adventus usque ad Purificationem inclusive; Antiphona *Ave regina coelorum* dicitur a fine Completorii diei secundae Februarii inclusive, etiam quando transfertur festum Purificationis, aut cum octava celebratur, usque ad feriam quintam in Coena Domini; Antiphona *Regina coeli* dicitur a Completorio sabbati sancti usque ad Nonam sabbati post Pentecosten inclusive; Antiphona *Salve Regina* dicitur a primis Vesperis ss. Trinitatis usque ad Nonam sabbati ante Adventum (R.). Antiphona autem finalis beatae Mariae non est pars officii, sicque ejus Oratio non est mutanda, etiamsi in officio jam fuerit recitata.

5. Antiphonae beatae Mariae positae in fine Psalterii post Completorium, singulae dicuntur pro temporis diversitate, ut ibi annotatur, praeterquam in triduo majoris hebdomadae ante Pascha. Dicuntur autem extra chorum tantum in fine Completorii, et in fine Matutini, dictis Laudibus, si tunc terminandum sit officium; alioquin, si alia subsequatur Hora, in fine ultimae Horae (R.). In choro autem semper dicuntur, quandocunque terminata aliqua Hora discedendum est a choro, numquam vero dicuntur post aliquam Horam, quando subsequitur cum officio dici officium defunctorum, vel septem Psalmi poenitentiales, aut Litaniae, nec quando post aliquam Horam immediate subsequitur Missa conventualis (R.) vel so-

lemnis, cui chorus interesse debet (S. C.). Dicto *Benedicamus,* et *Fidelium animae,* absolute inchoatur Missa (S. C.). In fine autem Completorii, praedictae Antiphonae semper dicuntur (R.).

Post Horas, quando terminatur officium, dicitur tantum *Pater noster* secreto V. *Dominus det nobis suam pacem,* R. *Et vitam aeternam. Amen.* Deinde una ex praedictis Antiphonis: et in fine, *Divinum auxilium maneat semper nobiscum.* R. *Amen.* Si post Completorium immediate sequatur Matutinum, tunc bis dicatur *Pater noster, Ave Maria,* et *Credo,* quia Completorium, quod est finis officii, sic terminari debet: et ante Matutinum iterum repetitur pro principio officii sequentis. *Pater noster* autem non dicitur post alias Horas, si alia Hora immediate subsequatur; tunc sufficit dicere *Pater noster* et *Ave Maria,* quae in principio cujuslibet parvae Horae dicuntur, et insuper *Credo,* si de Prima agatur (R.).

Oratio *Sacrosanctae* rigorose dici non debet, sed utilissima est ex eo, quod defectus et culpas in officio persolvendo ex humana fragilitate contractas, indulgeat (Cav.). Ad quem vero finem obtinendum, praedicta oratio devote ac flexis genibus recitari debet (S. C. Indulg.).

Sectio quarta.

Rubricae Missalis et Breviarii kalendario universali applicatae.

Caput primum.

Diarium liturgicum

Continens omnia kalendarii officia cujuslibet diei per annum, cum annotationibus ac variarum difficultatum quandoque occurrentium solutione.

§. I. De festis mensis Januarii.

1. Jan. — Circumcisio Domini et octava Nativitatis, duplex secundae classis, sine ulla commemoratione, privilegiata, in qua de quocumque alio officio etiam primae classis non fit. Officium et Missa propria, absque commemoratione octavarum. In Missa, Praefatio et *Communicantes* de Nativitate.

Ad Vesperas omnia ut in primis Vesperis praeter V. *Notum fecit Dominus, Alleluia.* R. *Salutare suum, Alleluia,* et Antiphonam ad *Magnificat: Magnum haereditatis* etc. Oratio propria. Commemoratio sequentis tantum, Oratio propria.

De simplici hodie occurrente, in Laudibus ac Missa privata, commemoratio fieri potest (Tet.).

In fine Hymnorum dicitur *Jesu... Qui natus es de Virgine,* et in Responsorio brevi ad Primam: *Qui natus es de Maria Virgine,* usque ad Vigiliam Epiphaniae inclusive. Idem fit aliis quibusdam diebus per annum.

2. *Jan.* — Octava s. Stephani Protomartyris, duplex, ut in ejus festo et proprio loco; commemoratio octavarum s. Joannis, et ss. Innocentium in Laudibus ac Missa. Missa propria, in qua *Credo* et Praefatio de Nativitate, sed non amplius dicitur *Communicantes* proprium. Nominibus s. Stephani ac s. Joannis caput inclinandum est.

In Vesperis (in quibus Antiphona *Lapidaverunt* ex Laudibus festi, Psalmi de Dominica, et loco ultimi Psalmi *Credidi*) a Capitulo de sequenti, commemoratio praecedentis, et octavae ss. Innocentium.

Si Dominica hodie venerit, de illa nihil fit.

3. *Jan.* — Octava s. Joannis Apostoli et Evangelistae, duplex, omnes Lectiones propriae. Commemoratio octavae ss. Innocentium in Laudibus ac Missa. *Credo* et Praefatio Apostolorum.

In secundis Vesperis (Antiphona *Valde honorandus* ex Laudibus, Psalmi ut in secundis Vesperis de Communi Apostolorum, Capitulum et alia ut in festo) commemoratio sequentis ut pridie festi.

Si praedicta octava s. Joannis venerit in Dominica, de ipsa Dominica nihil fit.

4. *Jan.* — Octava ss. Innocentium Martyrum, duplex, ut in eorum festo et proprio loco. Non dicitur nonum Responsorium, sed in octavo Responsorio dicitur *Gloria Patri*, et post nonam Lectionem *Te Deum*. In Missa, *Gloria* et *Alleluia* cum Versu sequenti, loco Tractus. Non dicitur *Credo* (nisi octava praedicta venerit in Dominica; quo autem casu de Dominica nihil fit), sed sola Praefatio de Nativitate, ac *Ite missa est.*

In Vesperis (Antiphona *Herodes* ex Laudibus festi, Psalmi de Dominica, et loco ultimi *Credidi*, reliqua ut in die), commemoratio sequentis (Antiphona *Puer Jesus*, Versus *Notum fecit)* et s. Telesphori Papae et Martyris.

5. *Jan.* — Vigilia Epiphaniae, semiduplex. Omnia ut in Circumcisione praeter propria. Commemoratio s. Telesphori in Laudibus (non dicuntur suffragia, nec Preces ad Primam), ac Missa, in qua dicitur *Gloria* sine *Credo*, tertia Oratio *Deus, qui salutis,* Praefatio sola de Nativitate. Vesperae de sequenti.

Concluduntur Hymni: *Jesu... Qui apparuisti gentibus,* per totam octavam sequentem.

In hac Vigilia nihil fit de semiduplici occurrente, nec de duplici translato (Cav. M. G. Guy. P. Tet.). Sed occurrente festo duplici, legitur nona Lectio homiliae et commemoratio Vigiliae (Cav. Tet.).

De Dominica occurrente nihil fit.

In ecclesiis cathedralibus duae Missae cantari non debent (Cav. adversus Guy.). Cantari potest anniversarium die fixa fundatum, atque a fortiori Missa exequialis, non vero Missa simpliciter pro defunctis (S. C.). Similiter Missa votiva simplex prohibetur (S. C.).

6. Jan. — Epiphania Domini. Duplex primae classis cum octava, pro Gallia et aliquibus aliis territoriis ex devotione a Concordato. Hodie ad Matutinum, dictis *Pater, Ave* et *Credo,* aliis omissis, statim inchoatur ab Antiphona *Afferte Domino* (R.); et formatur sub primis verbis ejusdem Antiphonae signum crucis, ut fit alias ad Versum *Deus in adjutorium* (Tet.). Ad Matutinum in tertio Nocturno non dicitur Psalmus *Fundamenta.* In fine Hymnorum dicitur *Jesu tibi... qui apparuisti gentibus,* et ad Primam in Responsorio brevi, dicitur *Qui apparuisti hodie,* per totam octavam. In Responsoriis brevibus Horarum, exceptis Prima et Completorio, adduntur duo *Alleluia* etiam per totam octavam.

In Missa, *Credo,* Praefatio, *Communicantes* propria per totam octavam. Vesperae de eodem festo.

In Missa solemni ad Evangelii verba *Et procidentes adoraverunt eum,* omnes genuflectunt versus crucem Altaris; Diaconus vero versus librum, manentibus erectis Subdiacono et ceroferariis, quod in hujusmodi casibus observandum est.

1. Si Epiphania non venerit in Dominica, in Dominica infra octavam cantari debet in ecclesiis, in quibus Missa cantari solet, Missa solemnis ut in die festi, cum commemoratione Dominicae et alterius festi novem Lectionum in illa Dominica forte occurrente, ac ultimo Evangelio Dominicae (S. C.). Vesperae quoque tunc cum aliqua exteriori solemnitate cantari possunt, imo ritu duplici (S. R. C.).

2. Si Epiphania autem venerit in Dominica, Dominica vacat, et sabbato sequenti officium fit de Dominica infra octavam, et leguntur Lectiones primi Nocturni de epistola s. Pauli ad Romanos, quae post hanc diem cessat.

3. Si Epiphania venerit in sabbato, in secundis Vesperis fit commemoratio Dominicae (Antiphona *Remansit* cum Versu *Omnes de Saba).*

4. Infra octavam Epiphaniae privilegiatam, fieri nequit officium de quolibet duplici occurrente non primae classis, fieri autem potest de octavis primae classis infra octavam Epiphaniae occurrentibus (Cav. Tet.), et etiam ante Epiphaniam inceptis (Misc. theol.). De illis tamen octavis Sanctorum fit tantum commemoratio, etiam in earum octava die (Cav.).

5. Si festum infra octavam Epiphaniae celebratum propriam habeat Praefationem, nihilominus *Communicantes* de Epiphania dicitur.

6. Dominica infra octavam Epiphaniae habet officium et Missam propriam. In Lectionibus primi Nocturni incipit epistola prima ad Corinthios. Omnes dies infra octavam habent Antiphonas proprias ad *Magnificat* et *Benedictus,* istique dies post Dominicam ita computandi sunt, ac si Dominica non venisset, videlicet, si Dominica venerit tertia die octavae, feria secunda fit officium de hac tertia die, postridie quartae dici etc.

10. Jan. — De 5. die octavae Epiphaniae, semiduplex. Si non sit Dominica, Lectiones primi Nocturni sumuntur ex epistola ad Corinthios vel Romanos, prout Dominica jam venerit vel non. In Vesperis (Antiphona *Omnes de Saba* cum Versu *Adorate),* commemoratio s. Hygini Martyris.

11. Jan. — De 6. die infra octavam vel de 5. die, si Dominica jam venerit, semiduplex. Commemoratio s. Hygini Martyris in Laudibus ac Missa.

12. Jan. — Si sit in Sabbato, et festum primae classis celebretur, fit commemoratio Dominicae anticipatae, nona Lectio homilia ac commemoratio octavae. In Vesperis, post commemorationem octavae, fieret commemoratio Dominicae (Pis. Mer. Tet.).

Si sit Dominica, fit officium de Dominica. Vesperae ut pridie festi, excepta Oratione, cum commemoratione Dominicae.

13. Jan. — Octava Epiphaniae, duplex, excludens quodcumque festum etiam primae classis (R.), etsi ritum duplicem minorem tantum habeat (M. Cav. Tet.). De octava tamen Epiphaniae Vesperae integrae fiunt concurrente cum sequenti duplici etiam majori (R.). Officium ut infra octavam praeter propria. In Vesperis commemoratio sequentis et s. Felicis Presbyteri et Martyris.

Si crastina die sit secunda Dominica post Epiphaniam, Vesperae de festo ss. Nominis Jesu, cum commemoratione Dominicae, sine commemoratione s. Felicis.[1]

14. Jan. — S. Hilarii, Episcopi, Confessoris et Doctoris, duplex ex decreto Pii IX. die 10. Januarii 1852, Antiphona et Oratio de Doctoribus. In secundo et tertio Nocturno Lectiones propriae. Nona Lectio et commemoratio s. Felicis in Laudibus ac Missa *In medio,* ut in Missali, et dicitur *Credo.* Vesperae a Capitulo de sequenti. In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius versus. Commemoratio praecedentis et simplicis ut in Breviario.

Sextae Lectioni addi debent sequentia:

„Eum a multis Patribus et conciliis insignem Ecclesiae Doctorem nuncupatum, atque uti talem in aliquot dioecesibus cultum, tandem instante synodo Burdigalensi, Pius IX. Pontifex Maximus ex sacrorum Rituum Congregationis consulto universae Ecclesiae Doctorem declaravit, ac ipsius festo die Missam et officium de Doctoribus ab omnibus recitari jussit."

Si hodie sit secunda Dominica post Epiphaniam, festum s. Hilarii transfertur, et fit festum ss. Nominis Jesu, nona Lectio homilia, et commemoratio Dominicae ac s. Mauri abbatis in Laudibus, ac Missa privata tantum quoad s. Maurum.

Si festum s. Hilarii transferatur, nec habeatur nona Lectio simplicis, tunc ex octava seu ultima Lectione fiunt duae, uti in festo s. Anselmi die 21. Aprilis habetur.

15. Jan. — S. Pauli, primi Eremitae, duplex (ex decreto Benedicti XIII. anni 1722.), Lectiones secundi et tertii Nocturni

---

[1] Prima die non impedita post quartam Januarii, festum s. Titi, Episcopi et Confessoris, duplex ex decreto Pii IX. 18. Maii 1854, Lectiones secundi Nocturni ac Oratio propriae. Missa *Statuit,* et Evangelium *Designavit.*

propriae, nona Lectio et commemoratio simplicis. In Vesperis commemoratio sequentis.

Idem observandum ac supra, si festum ss. Nominis Jesu hodie occurrat.

16. Jan. — S. Marcelli, Papae et Martyris, semiduplex, Lectiones secundi Nocturni et Oratio propriae, Responsorium octavum *Domine praevenisti.* Hodie resumuntur suffragia communia Sanctorum (pro s. Maria, Versus *Post partum,* et Oratio *Deus, qui salutis,* usque ad Purificationem) ad Laudes et Vesperas, ac dicuntur Preces ad Primam et Completorium, quando non est duplex, vel infra octavam. Vesperae de sequenti, commemoratio praecedentis.

17. Jan. — S. Antonii, Abbatis, duplex, Lectiones secundi Nocturni propriae. Vesperae de sequenti, commemoratio s. Pauli, praecedentis, et s. Priscae, Virginis et Martyris. Si festum s. Antonii esset duplex majus, Vesperae dimidiarentur inter festum s. Antonii et Cathedram s. Petri, ita ut Psalmi dicerentur de praecedente, et a Capitulo cum reliquis de sequente.

18. Jan. — Cathedra s. Petri Romae, duplex majus, officium proprium. Nona Lectio et commemoratio s. Priscae (post commemorationem s. Pauli) in Laudibus ac Missa; *Credo,* Praefatio Apostolorum, et inclinatio capitis nominibus ss. Apostolorum Petri et Pauli in Canone, Oratione (AA.) et ubique (Mer. Cav. Tet.).

In Vesperis commemoratio s. Pauli, sequentis et ss. Marii et sociorum Martyrum. Notari potest, tam in officio, quam in Missa commemorationem s. Pauli semper *primo loco* faciendam esse.

19. Jan. — S. Canuti, Martyris, semiduplex *ad libitum.* Lectiones secundi Nocturni propriae, nona Lectio ss. Marii et sociorum Martyrum. Vesperae de sequenti, commemoratio praecedentis. Secreta de Beata in Missa sumatur ex alia Missa votiva, et si Missa votiva B. M. V. celebretur, Secreta s. Canuti mutanda erit (R.).

20. Jan. — SS. Fabiani et Sebastiani, Martyrum, duplex. Lectiones secundi Nocturni et Missa propriae. In Vesperis a

Capitulo de sequenti. Si alteruter sit Patronus, vide infra, ubi de Patrono et Titulari.

Si in Vesperis fit de sequenti seu s. Agnete, ad Vesperas sumantur Antiphonae ex Laudibus, Psalmi de Dominica et loco ultimi, *Laudate* (R.).

21. Jan. — S. Agnetis, Virginis et Martyris, duplex. Officium et Missa propria. In Vesperis commemoratio sequentis.

22. Jan. — SS. Vincentii et Anastasii, Martyrum, semiduplex. Lectiones secundi Nocturni ac Oratio propriae. Vesperae a Capitulo de sequenti. In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius Versus. Commemoratio praecedentis et s. Emerentianae, Virginis et Martyris.

Multis in locis Vesperae dicuntur de sequenti cum commemoratione praecedentis.

23. Jan. — S. Raymundi (de Pennafort), Confessoris, semiduplex. Lectiones secundi Nocturni ac Oratio propriae, nona Lectio et commemoratio s. Emerentianae in Laudibus ac Missa. Vesperae de sequenti, commemoratio praecedentis.

Pluribus in locis celebratur hodie festum Desponsationis B. M. V. sub ritu duplici majori, officium proprium, nona Lectio et commemoratio s. Emerentianae in Laudibus ac Missa. In fine Hymnorum dicitur *Jesu, tibi... Qui natus es.* In Missa *Credo* et Praefatio de Beata: *Et te in desponsatione.* In Vesperis commemoratio sequentis. Festum s. Raymundi reponatur in diem fixam, non tamen in 28. Januarii, neque in tertiam Februarii (S. C.).

24. Jan. — S. Timothei, Episcopi et Martyris, duplex (ex decreto 18. Maii 1854.). Lectiones secundi Nocturni propriae. Vesperae de sequenti, commemoratio s. Petri et praecedentis.

25. Jan. — Conversio s. Pauli, Apostoli, duplex majus. Officium ac Missa propria. Commemoratio s. Petri in Laudibus ac Missa. *Credo,* Praefatio Apostolorum, ac inclinatio capitis ad nomina ss. Apostolorum Petri et Pauli. In Vesperis commemoratio s. Petri et sequentis.[1]

---

[1] In locis, ubi s. Pauli conversio est titulus ecclesiae, si infra octavam fiat officium de s. Petri cathedra romana translata, tunc pro commemoratione octavae sumendae sunt Antiphona et Oratio assignatae in die 25. Jan. (26. Mart. 1859, in *Mechlinien.* ad 4. V. *Commemoratio,* §. II.)

26. Jan. — S. Polycarpi, Episcopi et Martyris, duplex, ex decreto supra citato. Lectiones secundi et tertii Nocturni propriae. Vesperae a Capitulo de sequenti. In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius Versus. Commemoratio praecedentis.

27. Jan. — S. Joannis Chrysostomi, Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex. In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente (S. C.), caeterae Lectiones propriae; Antiphona *ad Magnificat* in utrisque Vesperis *O Doctor,* in qua Antiphona nec non in Oratione dicitur: *Chrysostome.* In Missa *Credo.* In Vesperis commemoratio sequentis.

In nonnullis locis fit commemoratio sequentis et simplicis.

28. Jan. — S. Agnetis *secundo,* simplex. Invitatorium et Hymnus, de Communi. Psalmi et Lectiones de feria praeter tertiam Lectionem propriam ac Orationem. Versus et duo Responsoria ex Nocturnis festi. Laudes et Horae dicuntur de Communi; et Antiphonae propriae ut 21. hujus. Vesperae de sequenti sine commemoratione. In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius Versus.

In quibusdam regionibus, festum s. Juliani, Episcopi et Confessoris, semiduplex, nona Lectio et commemoratio simplicis seu s. Agnetis in Laudibus (Antiphona *Ecce quod,* ut in ejus festo 21. hujus, Versus *Diffusa,* Oratio propria) ac Missa.

Si hodie fit officium ss. Nominis Jesu, nona Lectio et commemoratio s. Agnetis in Laudibus ac Missa privata tantum.

Festum s. Agnetis *secundo* celebratur, etiamsi festum 21, hujus quandoque ad mensem Februarii transferatur (S. C.).

Si festum s. Agnetis in 28. hujus transferatur, nihil fit de s. Agnete secundo (Cav. Mer. Tet.).

Festum translatum prohibetur reponi in perpetuum in die 28. Januarii, nam haec dies libera relinqui debet, ne festum ss. Nominis Jesu, quod celebratur Dominica secunda post Epiphaniam, aliquando occurrens in eadem Dominica, quae sit Dominica Septuagesimae, impediatur (S. C.).

29. Jan. — S. Francisci Salesii, Episcopi et Confessoris, duplex. Lectiones secundi Nocturni ac Oratio propriae. In Vesperis commemoratio sequentis.

30. Jan. — S. Martinae, Virginis et Martyris, semiduplex

Lectiones secundi Nocturni atque Hymni ad Matutinum et Laudes proprii. Vesperae de sequenti cum commemoratione praecedentis. In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius Versus, si hoc festum transferatur.

31. Jan. — S. Petri Nolasci, Confessoris, duplex. Lectiones secundi Nocturni ac Oratio propriae. Vesperae a Capitulo de sequenti cum commemoratione praecedentis.

§. II. De festis mensis Februarii.

1. Februarii. — Ignatii, Episcopi et Martyris, duplex (ex decreto 18. Maii 1854.). Lectiones secundi et tertii Nocturni propriae. In Canone inclinatur caput ad nomen *s. Ignatii.* Vesperae de sequenti cum commemoratione praecedentis. In fine Hymnorum dicitur: *Jesu, tibi... Qui natus es.* Post Dominicam Septuagesimae praetermittuntur *Alleluia.*

2. Febr. — Purificatio B. M. V. duplex secundae classis. Festum ex devotione a Concordato pro Gallia et quibusdam aliis regionibus. Officium proprium. In Missa *Credo,* et Praefatio de Nativitate (sine Communicantes proprium). In Vesperis commemoratio sequentis.

Post Completorium hujus diei, etamsi festum transferatur, dicitur Antiphona finalis, *Ave, regina coelorum* (S. C.).

Quando festum Purificationis B. M. V. occurrit in Dominica secundae classis, ejus officium transferendum est in feriam secundam immediate sequentem, quocumque festo autem aequalis, non tamen altioris ritus in eam incidente. Atque si transferatur in feriam secundam tanquam in sedem propriam, praeferri debet cuicumque festo primae classis translato (S. C.), etiam festis Domini (Cav. Tet.). Si feria tertia Februarii impediatur, cum iisdem privilegiis in feriam quartam transferri debet (S. C.).

In suffragiis communibus resumitur Oratio *Concede,* et in Missa Oratio *A cunctis,* et pro votiva de Beata, secunda Missa a Purificatione ad Pascha (S. C.).

3. Febr. — S. Blasii, Episcopi et Martyris, simplex. Tertia Lectio propria. Vesperae de sequenti. In Hymno *Iste Confessor*

mutatur tertius Versus. Hodie fit officium Purificationis B. M. V., dum festum transfertur, feriatio autem fit 2. hujus.

Prohibetur festum perpetuo impeditum transferri in 3. Februarii, quia haec dies libera relinqui debet pro festo Purificationis B. V. M. (S. C.).

4. Febr. — S. Andreae Corsini, Episcopi et Confessoris, duplex (ex decreto Clementis XII. anni 1731.). Lectiones secundi Nocturni ac Oratio propriae. In Oratione omittitur *Corsini*. Vesperae a Capitulo de sequenti, commemoratio praecedentis.

Si Vesperae sint de sequenti (scilicet de s. Agatha) sumuntur Antiphonae ex Laudibus, Psalmi Dominicae et loco ultimi, *Laudate* (R.).

5. Febr. — S. Agathae, Virginis et Martyris, duplex (ex decreto Clementis XI. anni 1713.). Officium et Missa propria. Inclinandum caput in Canone Missae. In Vesperis commemoratio sequentis.

6. Febr. — S. Dorotheae, Virginis et Martyris, simplex. Extra Quadragesimam, tertia Lectio propria. Vesperae de sequenti. In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius Versus.

7. Febr. — S. Romualdi, Abbatis, duplex. Lectiones secundi Nocturni propriae. Vesperae a Capitulo de sequenti cum mutatione tertii Versus in Hymno *Iste Confessor*. In Oratione omittitur *de Matha*.

8. Febr. — S. Joannis de Matha, Confessoris, duplex. Lectiones secundi Nocturni propriae. In Vesperis commemoratio sequentis.

9. Febr. — S. Apolloniae, Virginis et Martyris, simplex. Tertia Lectio propria, extra Quadragesimam. Vesperae de sequenti.

10. Febr. — S. Scholasticae, Virginis, duplex (ex decreto Benedicti XIII. anni 1729.). Lectiones secundi Nocturni et Oratio propriae.

14. Febr. — Valentini, Martyris, simplex. Tertia Lectio de Communi. Vesperae de feria, a Capitulo de sequenti (extra Quadragesimam).

15. Febr. — SS. Faustini et Jovitae, Martyrum, simplex, secundum Responsorium: *Haec est vera fraternitas*. Tertia Lectio propria.

18. Febr. — S. Simeonis, Episcopi et Martyris, simplex. Tertia Lectio propria.

22. Febr. — Cathedra s. Petri Antiochiae, duplex majus. Officium ac Missa propria. (Vide 18. Januarii.)

Si festum cathedrae s. Petri incidat in sabbato, vel transferatur in feriam secundam, extra Quadragesimam etsi annus non sit bissextilis, nona Lectio homilia Vigiliae s. Mathiae ac commemoratio in Laudibus; in Quadragesima autem nona Lectio feriae, et nihil fit de Vigilia, praeterquam in Missa. Cathedra s. Petri cum Dominica Sexagesimae occurrente, dicatur utraque Oratio s. Pauli, quia titulo speciali in officio Orationem suam habet (AA.).

Si Vigilia anticipetur, non ideo in Martyrologio annuntiatur (Cav. Tet.)

23. Febr. — S. Petri Damiani, Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex (ex decreto Leonis XII. 1. Octobris 1828.). Lectiones secundi Nocturni, ac Oratio propriae. Nona Lectio, commemoratio et ultimum Evangelium Vigiliae in Missa, in qua dicitur *Credo*. Vesperae de sequenti, commemoratio praecedentis.

In Quadragesima feria praefertur Vigiliae quoad officium et Missam.

Vigilia non transfertur, quamvis festum s. Mathiae translatum sit. In anno bissextili, fit de hac Vigilia die 24. hujus, et tunc in Martyrologio, hodie tantum annuntiatur Vigilia s. Matthiae, addito: Item commemoratio plurimorum ss. MM., etc. Sequenti vero die 24., leguntur omnia in Martyrologio ad 24. pertinentia, praeter Vigiliam. Die 25. demum omnes Sancti diei 25. (R. M.), sic protrahendo de uno die (S. C.).

Jejunium s. Mathiae (ubi adhuc viget) anticipari nequit, causa bacchanalium, absque indulto Sedis Apostolicae.

24. Febr. — S. Mathiae, Apostoli, duplex secundae classis. Officium et Missa propria. In Missa *Credo,* Praefatio Apostolorum, ac inclinatio capitis. In anno bissextili, hoc festum item et alia Martyrologii celebrentur in die 25. hujus, festa vero diei 25. celebrentur die 26. et sic successive (S. C.).

§. III De festis mensis Martii.

4. Martii. — S. Casimiri, Confessoris, semiduplex. Lectiones secundi Nocturni propriae. Commemoratio s. Lucii, Papae et Martyris, in Laudibus ac Missa. Postcommunio s. Lucii mutetur, si ejus festum celebretur feria secunda post Dominicam secundam Quadragesimae.

7. Martii. — S. Thomae de Aquino, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex. Lectiones secundi Nocturni ac Oratio propria. In utrisque Vesperis Antiphona ad *Magnificat: O Doctor.* Commemoratio ss. Perpetuae et Felicitatis, Martyrum in Laudibus ac Missa, in qua *Credo.* Vesperae a Capitulo de sequenti. Notandum, caput inclinandum esse ad nomina ss. *Perpetuae et Felicitatis*, earumque Postcommunionem mutandam esse, si hodie sit feria secunda tertiae hebdomadae quadragesimalis (Tet. G.).

8. Martii. — S. Joannis de Deo, Confessoris, duplex (ex decreto Innocentii XIII. anno 1722.). Lectiones secundi et tertii Nocturni ac Oratio propriae. Vesperae a Capitulo de sequenti.

9. Martii. — S. Franciscae, Viduae Romanae, duplex (ex decreto Innocentii X. anni 1722.). Lectiones secundi Nocturni ac Oratio propriae. In Vesperis commemoratio sequentis.

10. Martii. — SS. Quadraginta Martyrum, semiduplex. Lectiones secundi Nocturni ac Oratio propriae. Si hoc festum venerit feria quinta post Cineres, tunc in Missa pro Secreta feriae legitur Secreta feriae sextae sequentis, ne eadem bis dicatur (By. M. Ton. Tet.); et si venerit feria tertia post Dominicam primam Quadragesimae, tunc pro Postcommunione feriae legitur Postcommunio feriae quartae sequentis (AA.).

12. Martii. — S. Gregorii, Papae, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex. Lectiones primi Nocturni de Communi; caeterae ac Oratio propriae. Nona Lectio homilia et commemoratio feriae. In Missa *Credo*, et Antiphona ad *Magnificat* in utrisque Vesperis, *O Doctor.*

Prima Dominica Quadragesimae nunquam occurrit post hoc festum. In omnibus festis fit commemoratio ac homilia feriae.

17. Martii. — S. Patritii, Episcopi et Confessoris, duplex (ex decreto Pii IX. 12. Maii 1859.). Lectiones primi et tertii

Nocturni de Communi; caeterae Lectiones ac Oratio propriae. Nona Lectio homilia feriae.

Multis in locis, Vesperae de sequenti, commemoratio praecedentis et feriae.

18. Martii. — (In regnis Hispaniae) s. Gabrielis, Archangeli, duplex majus. Officium proprium. Nona Lectio feriae. In Missa *Credo.* Vesperae de sequenti, commemoratio praecedentis et feriae.

19. Martii. — S. Josephi, Confessoris, Sponsi B. M. V., olim duplex secundae classis. Officium ac Missa propria (ex decreto Clementis XI. anni 1714.). Nunc primae classis, ac Patronus Ecclesiae, ex decreto Pii IX. 8. Decemb. 1870. *Credo.* Nona Lectio homilia et commemoratio feriae in Laudibus ac Missa. In fine Evangelium feriae.

Ubi festum s. Josephi non habeat amplius feriationem,[1] si occurrat in majori hebdomada, absque ullo speciali privilegio transferendum est.

21. Martii. — S. Benedicti, Abbatis, duplex. In secundo Nocturno Lectiones propriae. Nona Lectio homilia et commemoratio feriae in Laudibus ac Missa. In fine Missae Evangelium feriae.

25. Martii. — Annuntiatio B. M. V., duplex secundae classis. In Gallia et Belgio a Concordato festum abrogatum. Officium proprium. Ultima Antiphona tertii Nocturni *Angelus Domini.* In fine Hymnorum dicitur: *Jesu tibi,* et ad Primam in Responsorio brevi: *Qui natus es.* Nona Lectio homilia et commemoratio feriae in Laudibus ac Missa, in qua *Credo,* Praefatio de Beata: *Et te in Annuntiatione.*

In Missa solemni dum cantatur: *Et incarnatus est,* ab omnibus genuflectitur, etiam a Celebrante et ministris, qui si sedeant, surgunt et flectunt in infimo Altaris gradu, vel in cornu Epistolae, vel in medio Altaris, prout usus habet; si non sedeant, flectunt, in supremo gradu in medio Altaris (R.), et ad haec verba: *Et homo factus est,* caput profunde inclinant, ut majore cum veneratione adorent mysterium huic festo maxime proprium (S. C.).

---

[1] In pluribus Germaniae dioecesibus habet feriationem. Hinc, si incidat in feria V. in Coena Domini, gaudet iisdem, quibus Annuntiatio B. M. V. privilegiis. Cfr. infra ad 25 Martii.

1. Si festum Annuntiationis B. M. V. occurrat in una ex Dominicis Quadragesimae, feriatio manet annexa diei 25. Martii, sed officium transferendum est in feriam secundam immediate sequentem, translato quocunque festo etiam aequalis, non tamen altioris ritus in eam incidente, et quocunque festo etiam duplici primae classis prius translato (S. C.).

2. Si occurrrat in hebdomada majori vel paschali, extra feriam sextam Parasceves vel sabbatum sanctum, transfertur in feriam secundam post Dominicam in Albis, sed quoad officium tantum, cum iisdem privilegiis (S. C.).

3. Cum incidat in feria V. Coenae Domini, officium, ut dictum est, transfertur; feriatio vero diei annexa remanet. Itaque „praeceptum audiendi Missam et vacandi ab operibus „servilibus non est transferendum, sed servandum in praedicta „feria V., adeoque per Ordinarios locorum accurate providen„dum, ut eo die aliquae quidem Missae privatae ante celebra„tionem solitae Missae conventualis celebrandae, pro praecepti „adimpletione non desint“; ut declaravit S. R. C. in decreto generali de die 13. Sept. 1692. Idem esto judicium de festo s. Josephi, ubi remanet de praecepto.

4. Si occurrat feria sexta Parasceves aut sabbato sancto, transferri debet una cum feriatione, ad feriam secundam post Dominicam in Albis, et eo casu praefertur cuicunque duplici, etiam primae classis eo die occurrenti, etiam si sit Patronus principalis loci vel Titularis ecclesiae. Festum Annuntiationis ita translatum in feriam secundam post Dominicam in Albis, casu, quo esset Titularis, celebratur cum octava integra, ac si feria illa secunda esset dies propria (S. C.).

5. Si festum Septem Dolorum et Annuntiationis simul concurrant, non fit commemoratio de festo Septem Dolorum (S. C.).

§. IV. De festis mensis Aprilis.

2. *Aprilis.* — S. Francisci de Paula, Confessoris, duplex. Lectiones secundi Nocturni ac Oratio propriae.

4. Aprilis. — S. Isidori, Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex (ex decreto Innocentii XIII. anni 1722.).

Lectiones primi Nocturni de Communi, caeterae autem propriae. In Vesperis, ad *Magnificat* Antiphona, *O Doctor.* In Missa *Credo.* Vesperae a Capitulo de sequenti.

5. Aprilis. — S. Vincentii Ferrerii, Confessoris, duplex (ex decreto Benedicti XIII. anni 1726.). Lectiones secundi Nocturni ac Oratio propriae.

11. Aprilis. — S. Leonis, Papae, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex ex decreto Benedicti XIV. anni 1754. Lectiones propriae. In Vesperis Antiphona ad *Magnificat, O Doctor.* Missa *In medio,* in qua Epistola *Justus, Credo,* ac Evangelium proprium etc. ut in antiquiori Missa.

13. Aprilis. — S. Hermenegildi, Martyris, semiduplex. Lectiones secundi Nocturni, Hymni ac Oratio propria. In Vesperis commemoratio sequentis.

Tempore paschali dicitur Missa *Protexisti,* et extra tempus paschale *In virtute,* sed cum Orationibus propriis, et semper cum Evangelio *Si quis venit ad me* ex Missa *Statuit,* sive tempore paschali, sive non paschali celebretur.

Quando in primis Vesperis s. Hermenegildi, Martyris, Hymnus proprius non fuerit recitatus, ponendus est in Matutino, et Hymnus Matutini substituendus est in Laudibus (S. C.).

14. Aprilis. — (S. Justini, Martyris,[1] duplex ex decreto S. R. C. d. d. 11. Junii 1874). SS. Tiburtii, Valeriani et Maximi, Martyrum, simplex. Tempore quadragesimali, de illis tantum fit commemoratio; tempore paschali secunda et tertia Lectio ac Oratio propriae. Officium fit de Communi plurimorum Martyrum, prout intra vel extra tempus paschale celebratur.

17. Aprilis. — S. Aniceti, Papae et Martyris, simplex. Tempore paschali, una Lectio propria; tempore quadragesimali de illo tantum fit commemoratio. Extra tempus paschale dicitur Evangelium *Si quis vult* (S. C.).

21. Aprilis. — S. Anselmi, Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex ex decreto Clementis XI., anni 1720. Lectiones primi Nocturni de Communi Doctorum, caeterae propriae. In Vesperis ad *Magnificat* Antiphona *O Doctor.* In Missa *Credo.*

[1] In Urbe, de praecepto: et postulantibus conceditur officium cum Missa.

22. *Aprilis.* — SS. Soteris et Caii, Martyrum, semiduplex. Prima et secunda Lectio secundi Nocturni propriae. Vesperae a Capitulo de sequenti. Extra tempus paschale, Missa *Intret* (S. C.).

23. *Aprilis.* — S. Georgii, Martyris, semiduplex. Tempore paschali, Lectiones secundi Nocturni de Communi Martyrum tempore paschali *secundo loco;* Lectiones autem tertii Nocturni de eodem Communi *primo loco;* Oratio propria. Extra tempus paschale, Lectiones secundi et tertii Nocturni, nec non Evangelium de Communi *primo loco;* Missa vero *In virtute.* Vesperae de sequenti cum commemoratione praecedentis.

24. *Aprilis.* — S. Fidelis a Sigmaringa, Martyris, duplex ex decreto Clementis XIV. anni 1771. Lectiones secundi Nocturni ac Oratio propriae. Lectiones tertii Nocturni de Communi *primo loco.* Vesperae de sequenti ac commemoratio praecedentis.

25. *Aprilis.* — S. Marci, Evangelistae, duplex secundae classis. Officium et Missa propria. In Missa *Credo* et Praefatio Apostolorum. In Vesperis commemoratio sequentis.

Festum s. Marci praefertur festo patrocinii s. Joseph occurrenti (S. C.). Extra tempus paschale dicitur Missa s. Lucae 18. Octobris, exceptis Orationibus et Epistola.

(Quoad processionem s. Marci, vide Rogationes, cap. sequenti.)

26. *Aprilis.* — SS. Cleti et Marcellini, Pontificum et Martyrum, semiduplex. Lectiones secundi Nocturni et Oratio propriae. Lectiones tertii Nocturni de Communi *secundo loco,* quae respondent Lectionibus *primo loco* de Communi plurimorum Martyrum, extra tempus paschale. In Canone caput inclinandum ad nomen *Cleti.*

28. *Aprilis.* — S. Pauli (a Cruce), Confessoris, duplex. Ex decreto Pii IX. de 14. Januarii 1869. Nona Lectio et commemoratio s. Vitalis, Martyris. Vesperae a capitulo de sequenti.

29. *Aprilis.* — S. Petri, Martyris, duplex. Lectiones secundi Nocturni ac Oratio propriae. Lectiones tertii Nocturni de Communi *primo loco.* Quod etiam fit extra tempus paschale (S. C.).

30. Aprilis. — S. Catharinae Senensis, Virginis, duplex. Lectiones secundi Nocturni ac Oratio propriae. Vesperae de sequenti, commemoratio praecedentis.

§. V. De festis mensis Maii.

1. Maii. — 1. SS. Philippi et Jacobi, Apostolorum, duplex secundae classis. Ad Matutinum omnia de Communi Apostolorum tempore paschali, exceptis propriis. In primo Nocturno, si tunc temporis non legitur de epistola B. Jacobi, ponitur initium ejus Epistolae, ut Dominica quarta post Pascha: *Incipit epistola catholica beati Jacobi Apostoli.* Si tunc ea legitur, ponatur de ea, quod illo die contigerit, imo ipsum initium, si aliqua ex causa non fuisset lectum.

In Vesperis, Antiphonae de Laudibus, Psalmi de Communi Apostolorum, Capitulum, Hymnus etc. de eodem Communi. In Vesperis commemoratio sequentis, Antiphona: *O Doctor* (R.).

2. Si hoc festum cum octava celebretur, ac occurrant infra octavam feria secunda et quarta Rogationum, Lectiones primi Nocturni leguntur de Communi Apostolorum (G. T.).

3. Hoc festum praefertur festo patrocinii s. Joseph tum occurrenti tum concurrenti (S. C.).

4. Si utrumque festum s. Marci Evangelistae et ss. Apostolorum Philippi et Jacobi sit transferendum, prius reponi debet officium s. Marci (S. C.).

5. Si festum ss. Apostolorum Philippi et Jacobi sit transferendum post tempus paschale, officium fit ut in Communi Apostolorum extra tempus paschale, retentis iis, quae sunt festo propria, et omissis omnibus *Alleluia* ratione temporis paschalis in officio appositis (S. C.).

6. Si s. Jacobus sit Patronus vel Titularis, de eo fit officium duplex primae classis cum octava. In ejus officio Lectiones primi Nocturni sunt de ejus Epistola ut in festo, secundi Nocturni prima et secunda propria; et tertia itemque Evangelium et homilia de Communi Apostolorum. Antiphonae etiam in Laudibus ac Vesperis de eodem Communi tempore paschali

sumantur. — Tunc festum s. Philippi transfertur ut duplex secundae classis, etiam in diem infra octavam s. Jacobi, si adsit quaedam libera.

7. Si vero s. Philippus sit Patronus vel Titularis, Lectiones primi Nocturni sunt de Communi Apostolorum; secundi Nocturni prima propria, secunda et tertia de Communi; tertii Nocturni ex festo; item Antiphonae ad *Magnificat,* ad Laudes et ad *Benedictus* ex festo, quia s. Philippo propriae sunt; reliqua dicuntur de Communi; Missa retinetur propria cum Orationibus in singulari. — Festum s. Jacobi tum transfertur ut duplex secundae classis, prout supra dictum est de s. Philippo.

8. Si officium alterutrius transferatur, fit, prout dictum est, ut in die festi.

9. In Missa Praefatio Apostolorum. Infra octavam Ascensionis dicitur *Communicantes* proprium. Nominibus s. Jacobi et s. Philippi, in Canone caput inclinandum.

10. Si infra octavam hujus festi, octavam habentis, occurrat feria secunda Rogationum vel Vigilia Ascensionis, dicitur Missa Rogationum cum commemoratione octavae sine *Gloria* et *Credo,* ac Praefatio temporis paschalis (G. T.).

11. Si Missa hujus festi celebretur extra tempus paschale, dicitur Missa festi, exceptis Epistola, Graduali et Offertorio, quae dicuntur de Missa votiva ss. Apostolorum Petri et Pauli; Versus autem *Alleluia* post Graduale est proprius. *Alleluia* omittuntur, ubi omittenda apparent (G. M. T.).

12. Si de s. Jacobo solo fit officium, tempore paschali, dicitur Missa s. Marci, exceptis Oratione ac Epistola, quae sunt de festo, atque Evangelio, quod est: *Ecce nos reliquimus,* de Missa votiva Apostolorum. Si vero fit officium de s. Philippo solo, Missa ejus integra dicitur (G. T.).

2. *Maii.* — 1. S. Athanasii, Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex minus. Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente, secundi autem et tertii Nocturni propriae. Si hoc festum celebretur Dominica quarta post Pascha, cum Lectiones primi Nocturni lectae fuerint pridie in festo ss. Apostolorum Philippi et Jacobi, hodie legantur Lectiones feriae secundae sequentis (R.). In Missa *Credo.* Extra tempus paschale, Gra-

duale dicitur *Ecce Sacerdos*, cum Versu *Non est inventus* ex Missa *Statuit* de Communi Confessoris Pontificis, sed cum ultimo Versu *Beatus vir, qui suffert* ex Missa propria. Vesperae de sequenti, commemoratio s. Athanasii.

3. Maii. — 1. Inventio s. Crucis, duplex secundae classis. Nona Lectio et commemoratio ss. Alexandri et sociorum Martyrum in Laudibus. In Vesperis commemoratio sequentis (S. Monicae.)

2. Si festum Inventionis s. Crucis concurrat cum festo Ascensionis, fit tamen commemoratio Inventionis s. Crucis ob diversitatem mysterii (G. Cav. Tet.).

3. Si hoc festum transferatur post tempus paschale, ad Matutinum Antiphonae dicuntur de festo Exaltationis s. Crucis 14. Septembris, praeter primam primi et primam secundi Nocturni, quae dicuntur ut in festo Inventionis; omittuntur *Alleluia* praeterquam ad secundam Antiphonam tertii Nocturni et ad tertiam Antiphonam in Laudibus, ubi etiam reperitur in festo Exaltationis; in Hymno *Vexilla regis* loco *Paschale qui fers gaudium,* dicitur *In hac triumphi gloria* (M. Tet. S. C.).

4. In Missa privata commemoratio ss. Alexandri et sociorum, Martyrum. In Epistola dum dicitur *In nomine Jesu*, genuflectendum est. In Missa *Credo.* Praefatio de Cruce, et *Communicantes* proprium infra octavam Ascensionis. In Missis privatis nomini s. *Alexandri* in Canone caput inclinandum (Tet.).

5. Dum hoc festum post tempus paschale transfertur, Missa eadem est, praeter Graduale, quod dicitur ut in Missa Exaltationis s. Crucis (Mer. Tet. S. C.). Tuncque *Alleluia* dicitur ad Offertorium, sed ad Introitum et Postcommunionem omittitur (M. Tet. S. C.).

4. Maii. — S. Monicae, Viduae, duplex, ex decreto Clementis XII. anni 1730. Lectiones secundi et tertii Nocturni ac Oratio propriae. Vesperae a Capitulo de sequenti (Pio V.). In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius Versus (R.), commemoratio praecedentis.

5. Maii. — S. Pii quinti, Papae et Confessoris, duplex ex decreto Pii VI. anni 1775. Lectiones secundi Nocturni ac

Oratio propriae. In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius Versus (R.). In Oratione omittitur *quintum* (S. C.). Vesperae de sequenti, commemoratio s. Pii, Antiphona *Dum esset summus Pontifex* (R.).

6. Maii. — 1. S. Joannis ante Portam Latinam, duplex majus. In primo Nocturno legitur initium Epistolae primae B. Joannis, ut in Dominica infra octavam Ascensionis, nisi eo tempore legatur de libro Apocalypsis, vel de ejus Epistola, tunc enim ponuntur Lectiones eo die occurrentes (R.). Quando substituenda est Homilia aut Lectio simplicis Lectioni festi, quod habet novem Lectiones, ut in casu, nona Lectio s. Joannis octavae jungi debet, cum sint Lectiones historicae (S. C.). In utrisque Vesperis ad *Magnificat,* Antiphona: *In ferventis olei* (R.), commemoratio sequentis.

2. Missa propria, in qua *Credo,* Praefatio Apostolorum, et infra octavam Ascensionis *Communicantes* proprium. In Canone inclinantur caput nomini s. Joannis *primo loco,* non autem s. Joannis *secundo loco* (S. C.). Si hoc festum transferatur post tempus paschale, Missa dicitur ut in festo s. Joannis 27. Decembris, praeter Orationes et Evangelium, quae dicuntur ex Missa hujus festi (Mer. Tet.).

7. Maii. — S. Stanislai, Episcopi et Martyris, duplex, ex decreto Clementis XII. anni 1736. Lectiones secundi Nocturni ac Oratio propriae. Vesperae de sequenti cum commemoratione s. Stanislai. Si hoc festum post Pentecosten celebretur, Evangelium legitur *Si quis venit* de Communi unius Martyris Pontificis *primo loco.* Si hodie sit dies octava Ascensionis, Vesperae de die octava, commemoratio Apparitionis s. Michaelis (R.).

8. Maii. — Apparitio s. Michaelis, Archangeli, duplex majus. In Vesperis commemoratio sequentis. In Missa caput inclinandum nomini Michaelis post Epistolam, ad Postcommunionem, ac in benedictione thuris (Tet.). Si transferatur post tempus paschale, officium et Missa dicuntur ut in ejusdem festo dedicationis, 29. Septembris, exceptis Lectionibus secundi et tertii Nocturni, quae dicuntur ut in hoc festo Apparitionis (R.).

9. Maii. — S. Gregorii Nazianzeni, Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex. Lectiones secundi Nocturni pro-

priae. *Credo*, Antiphona ad *Magnificat* in utrisque Vesperis *O Doctor*. Vesperae a Capitulo de sequenti. In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius Versus. Commemoratio praecedentis et ss. Gordiani et Epimachi, Martyrum.

10. Maii. — S. Antonini, Episcopi et Confessoris, duplex ex decreto 12. Septembris 1845. Oratio ac Lectiones secundi Nocturni propriae. Sextae Lectioni non addendum, *anno* (S. C.). Nona Lectio et commemoratio ss. Gordiani et Epimachi, Martyrum in Laudibus ac Missa. In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius Versus. Missa *Statuit*.

11. Maii. — Vesperae de sequenti, tempore paschali commemoratio de Cruce.

12. Maii. — SS. Nerei et sociorum Martyrum, semiduplex. Lectiones secundi et tertii Nocturni, ac Oratio propriae. Si transferatur post tempus paschale, in Missa dicuntur eaedem Orationes idemque Evangelium, quoad reliqua, a decretis sacrorum rituum Congregationis Missa assignatur ut in festo ss. Marci et Marcelliani, 18. Junii, vel ss. Joannis et Pauli, 26. Junii, cum Epistola, Graduali et Versu *Haec est vera fraternitas*, ut in festo ss. Gervasii et Protasii, 19. Junii (S. C.). Similiter Responsorium *Haec est vera fraternitas* dicitur post octavam Lectionem (Cav. Tet.)

14. Maii. — S. Bonifacii, Martyris, simplex. Secunda et tertia Lectio ac Oratio propriae.

16. Maii. — S. Ubaldi, Episcopi et Confessoris, semiduplex. Lectiones secundi Nocturni ac Oratio propriae.

Pluribus in locis festum s. Joannis Nepomuceni, duplex. Si celebretur tempore paschali, dicitur Missa *Protexisti* cum Evangelio *Nihil est opertum* ex Missa *Laetabitur*, si autem extra tempus paschale, dicitur Missa *Laetabitur* (S. C.).

17. Maii. — S. Paschalis Baylon, Confessoris, duplex ex decreto Pii VI. anni 1784. Lectiones secundi Nocturni ac Oratio propriae. Vesperae a Capitulo de sequenti cum commemoratione praecedentis. In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius Versus (R.).

18. Maii. — S. Venantii, Martyris, duplex ex decreto Clementis XIV. anni 1774. Lectiones secundi Nocturni pro-

priae. Lectiones tertii Nocturni, tempore paschali, *primo loco,* super Evangelium *Ego sum vitis vera,* tempore autem non paschali, super Evangelium *Si quis venit ad me,* etiam *primo loco,* sed cum Missa *In virtute* (R.). Quando Hymnus proprius in primis Vesperis non fuit dictus, jungitur cum Hymno ad Matutinum sub una conclusione *Sit laus Patri,* quae non mutatur. Vesperae a Capitulo de sequenti, commemoratio s. Venantii et simplicis, scilicet s. Pudentianae, Virginis. Si festum transferatur, ita ut habeat secundas Vesperas integras, Hymnus proprius primarum Vesperarum assumendus est in secundis Vesperis (S. C.).

19. Maii. — S. Petri Coelestini, Papae et Confessoris, duplex. Lectiones secundi et tertii Nocturni ac Oratio propriae. In Oratione additur *Coelestinum* (S. C.). Nona Lectio et commemoratio s. Pudentianae in Laudibus ac Missa. In Vesperis commemoratio sequentis.

20. Maii. — S. Bernardini Senensis, Confessoris, semiduplex. Lectiones secundi Nocturni ac Oratio propriae. Lectiones tertii Nocturni de Communi Abbatum. Missa *Os Justi,* Evangelio excepto (R.).

24. Maii. — Festum B. M. V. titulo Auxilium Christianorum, duplex majus, ex decreto Pii VII. anni 1816, pro multis regionibus. Officium proprium. Concluduntur Hymni, *Jesu . . . . Qui natus es de Virgine,* exceptis strophis propriis, et in Responsorio brevi ad Primam dicitur, *Qui natus es de Maria Virgine.* In Vesperis commemoratio sequentis ac s. Urbani Papae et Martyris (R.).

25. Maii. — S. Gregorii VII, Papae et Confessoris, duplex ex decreto Bened. XIII. anni 1725. Oratio et Lectiones secundi Nocturni propriae. Lectiones tertii Nocturni homilia in Evangelium *Vigilate,* de Communi *secundo loco,* nona Lectio s. Urbani, Papae et Martyris. Missa *Statuit,* Evangelium *Vigilate* (S. C.). Vesperae a Capitulo de sequenti, cum commemoratione s. Gregorii, Antiphona *Dum esset,* et s. Eleutherii, Papae et Martyris (R.).

26. Maii. — S. Philippi Nerei, Confessoris, duplex. Oratio ac Lectiones secundi Nocturni propriae. Nona Lectio et com-

memoratio s. Eleutherii in Laudibus (Antiphona *Filiae Jerusalem* cum Versu *Pretiosa)* ac Missa. In Vesperis commemoratio sequentis et s. Joannis, Papae et Martyris (R.).

27. Maii. — S. Mariae Magdalenae de Pazzis, Virginis, semiduplex. (In Italia duplex.) Lectiones secundi Nocturni ac Oratio propriae. Nona Lectio et commemoratio s. Joannis, Papae et Martyris in Laudibus ac Missa (R.).

30. Maii. — S. Felicis, Papae et Martyris, simplex. Nona Lectio propria. Vesperae de sequenti, commemoratio sequentis simplicis.

In Hispania et Belgio festum s. Ferdinandi III. Castellae et Legionis regis, Confessoris, duplex. Lectiones secundi Nocturni propriae, tertii dicuntur de Communi *secundo loco.* Nona Lectio et commemoratio s. Felicis, Papae et Martyris in Laudibus ac Missa. Missa *Os Justi* cum Evangelio *Nolite timere* (R.).

31. Maii. — S. Angelae Merici, Virginis, duplex ex decreto Pii IX. diei 11. Julii 1861. Oratio et Lectiones secundi Nocturni propriae. Fit commemoratio (sine ejus Lectione) s. Petronillae in Laudibus ac Missa (R.).

§. VI. De festis mensis Junii.

2. Junii. — SS. Marcellini, Petri atque Erasmi, Martyrum, simplex. Lectio secunda et tertia propriae. Nona Lectio ex duabus fit una, si hodie occurrat festum duplex, aut semiduplex (R.). In Canone caput inclinandum nominibus *Marcellini et Petri* (Bened. XIV., Cav. Tet.).

4. Junii. — Francisci Caracciolo, Confessoris, duplex, ex decreto Pii VII., anni 1807. Missa, Oratio ac Lectiones secundi Nocturni propriae (S. C.). Vesperae a Capitulo de sequenti.

5. Junii. — S. Bonifacii, Episcopi et Martyris, duplex ex decreto Urbis et Orbis 11. Junii 1874.

6. Junii. — S. Norberti, Episcopi et Confessoris, duplex. Oratio ac Lectiones secundi Nocturni propriae. Missa *Statuit* (R.).

9. Junii. — SS. Primi et Feliciani, Martyrum, simplex. Secunda et tertia Lectio propriae (vide 2. Junii). Vesperae de sequenti (R.).

10. Junii. — S. Margaritae, Viduae, semiduplex, ex decreto Innocentii XII. anni 1693. Oratio ac Lectiones secundi Nocturni propriae. Vesperae de sequenti, commemoratio praecedentis (R.).

11. Junii. — 1. S. Barnabae, Apostoli, duplex majus. Oratio ac omnes Lectiones propriae. In Missa *Credo,* Praefatio Apostolorum, et in Canone inclinatio capitis nomini s. Barnabae. In Vesperis commemoratio sequentis et ss. Basilidis, Cyrini, Naboris, et Nazarii, Martyrum (R.).

2. Si hoc festum celebretur tempore paschali, Missa dicitur, ut in festo s. Marci, praeter Orationes, Epistolam et Evangelium, quae sumuntur ex Missa propria. Officium autem fit de Communi Apostolorum tempore paschali cum Oratione et Lectionibus propriis (R.).

3. Festo ss. Cordis Jesu occurrente eadem die cum festo s. Barnabae Apostoli sub eodem ritu, praefertur festum s. Barnabae; concurrentibus autem iisdem festis sive in primis sive in secundis Vesperis, integrae Vesperae dicendae sunt de festo ss. Cordis Jesu cum commemoratione s. Barnabae (S. C.).

12. Junii. — S. Joannis a s. Facundo, Confessoris, duplex ex decreto Benedicti XIII. anni 1729. Oratio ac Lectiones secundi Nocturni propriae. Nona Lectio et commemoratio ss. Basilidis et sociorum Martyrum, in Laudibus ac Missa. Vesperae a Capitulo de sequenti, commemoratio praecedentis (R.).

13. Junii. — S. Antonii de Padua, Confessoris, duplex. Lectiones secundi Nocturni propriae. Vesperae a Capitulo de sequenti. In Hymno *Iste Confessor,* mutatur tertius Versus. Antiphona ad *Magnificat* in utrisque Vesperis *O Doctor.* Commemoratio praecedentis (R.).

14. Junii. — S. Basilii, Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex. Lectiones secundi et tertii Nocturni ac Missa propriae. In Missa *Credo.* In Vesperis commemoratio sequentis (R.).

15. Junii. — SS. Viti, Modesti atque Crescentiae, Martyrum, simplex. Oratio, secunda et tertia Lectio propriae (R.) (vide 2. Junii).

18. Junii. — SS. Marci et Marcellini, Martyrum, simplex. Secundum Responsorium *Haec est vera fraternitas.* Tertia Lectio ac Oratio propriae. Vesperae de sequenti (Hymnus proprius) cum commemoratione ss. Gervasii et Protasii, Martyrum (R.).

19. Junii. — S. Julianae de Falconeriis, Virginis, duplex ex decreto Clementis XII. anni 1738. Ad Matutinum Hymnus, Oratio ac Lectiones secundi Nocturni propriae. Nona Lectio et commemoratio ss. Gervasii et Protasii, Martyrum. In Vesperis commemoratio sequentis, cum Hymno proprio (S. C.).

20. Junii. — S. Silverii, Papae et Martyris, simplex. Secunda et tertia Lectio propriae. Secundum Responsorium: *Domine, praevenisti* (R.). Vesperae de sequenti.

21. Junii. — S. Aloysii Gonzagae, Confessoris, duplex ex concessione Clementis XII. anni 1737., et decreto Benedicti XIV. anni 1742., ab anno 1842. obligatorium. Lectiones secundi et tertii Nocturni propriae. Missa ac Oratio propriae. In Vesperis commemoratio sequentis (R.).

22. Junii. — S. Paulini, Episcopi et Confessoris, simplex. Lectiones secunda et tertia ac Oratio propriae. Si hodie sit sabbatum, fit de Vigilia Nativitatis s. Joannis Baptistae cum commemoratione s. Paulini in Laudibus ac Missa, et tertia Oratione *Concede* in Missa (R.).

23. Junii. — Vigilia s. Joannis Baptistae, Lectiones propriae. Si Vigilia S. Joannis Baptistae occurrat in festo s. Corporis Christi, jejunium, ubi servatur, in feria quarta anticipandum est; in casu tamen, feria quarta aut feria sequenti, nihil de Vigilia in officio et Missa peragendum est (Cav. Tet.). Si autem incidat infra octavam Corporis Christi, officium et Missa leguntur de octava, cum Lectione homiliae, et Evangelium Vigiliae in fine Missae. Si tamen sit alia octava, non octava Corporis Christi, legitur tantum Missa de Vigilia, non vero officium, cum commemoratione octavae (R.). Notandum inclinandum esse caput nomini s. Joannis (Tet.).

24. Junii. — 1. Nativitatis s. Joannis Baptistae, duplex primae classis cum octava. Officium proprium. Impedit celebrationem cujuslibet festi, excepto tamen festo ss. Corporis

Christi (S C.), itidemque ejus solemnitas translata praefertur solemnitati ss. Apostolorum Petri et Pauli, in locis, ubi s. Joannes Baptista est Patronus (S. C.).

2. Si festum s. Joannis Baptistae venerit in die ss. Corporis Christi, officium s. Joannis singulari privilegio transfertur in sequentem diem a quocumque festo novem Lectionum, imo Patroni aut Titularis impeditam (S. C.). Tuneque hoc festum unam diem suae octavae amittit, atque solum officium, non autem feriatio transferri debet (R.).

3. Si vero hoc festum occurrat in die octava ss. Corporis Christi, officium fit de Nativitate s. Joannis Baptistae cum commemoratione octavae ss. Corporis Christi in Laudibus ac Missa (R.).

4. In Missa non dicitur *Credo*, nisi s. Joannes Baptista sit vel Patronus loci, vel Titularis ecclesiae, aut occurrat, sive in Dominica, sive infra octavam ss. Corporis Christi. Si vero sit Patronus sub titulo Decollationis, *Credo* dici non potest (Tet. S. C.). Notandum, in secunda Canonis parte inclinandum esse caput nomini *Joannis* (S. C.).

5. In Vesperis, commemoratio sequentis (R.), etiamsi sequens festum sit Patronus, ob dignitatem s. Joannis Baptistae (S. C.).

6. Octava s. Joannis Baptistae praefertur octavis aliorum Sanctorum, excepta octava ss. Corporis Christi. Non legitur nona Lectio homiliae de octava, licet sit propria (R.). Officia mensualia, hebdomadalia aut *ad libitum* infra eam octavam poni non possunt (S. C.).

25. Junii. — S. Guilielmi, Abbatis, duplex ex decreto Pii VI. anni 1785. Oratio et Lectiones secundi Nocturni propriae. Commemoratio octavae in Laudibus ac Missa. Vesperae a Capitulo de sequenti cum Antiphonis propriis (R.).

26. Junii. — SS. Joannis et Pauli Martyrum, duplex ex decreto Benedicti XIII. anni 1728. Officium proprium. Octavum Responsorium ad Matutinum *Haec est vera fraternitas.* Commemoratio octavae (R.).

27. Junii. — De quarta die infra octavam Nativitatis s. Joannis Baptistae, semiduplex. Vesperae a Capitulo de se-

quenti. Si incidat in sabbato, nona Lectio homiliae Vigiliae ss. Apostolorum Petri et Pauli, ac commemoratio in Laudibus. Missa de Vigilia sine *Gloria* et *Credo*, in paramentis violacei coloris, cum commemoratione octavae (R.).

28. Junii. — S. Leonis, Papae et Confessoris, semiduplex. Oratio ac Lectiones secundi Nocturni propriae. Nona Lectio homilia Vigiliae. Commemoratio octavae ac Vigiliae in Laudibus ac Missa, cum Evangelio feriae in fine (R.). Si hoc festum venerit infra octavam ss. Corporis Christi, transfertur post octavam: officium et Missa de octava ss. Corporis Christi, cum commemoratione Vigiliae; si autem hoc festum venerit in Dominica, transfertur post octavam Apostolorum (R.). Nominibus ss. Apostolorum *Petri et Pauli* caput inclinandum (Tet.).

29. Junii. — SS. Petri et Pauli, Apostolorum, ac commemoratio omnium Apostolorum ex decreto Card. Caprara, duplex primae classis et octava. Quamvis hoc festum ex indulto reductionis festorum 9. Aprilis 1802. abrogatum sit, gaudet antiquis privilegiis excludendi 1° quodcumque festum; 2° Missas votivas solemnes; 3° Missam pro defunctis, etiam corpore praesente (S. C.). Officium et Missa propria. In Missa *Credo* et Praefatio Apostolorum. Commemoratio omnium Apostolorum fieri debet per Antiphonas et Versus proprios in utrisque Vesperis, Laudibus ac omnibus Missis tam solemnibus quam privatis, sed sub distincta conclusione. Fit autem haec commemoratio tantum in die festi ss. Apostolorum Petri et Pauli, et non in Dominica, in quam solemnitas transfertur (S. C.). Si in festo ss. Apostolorum Petri et Pauli incidat octava ss. Corporis Christi, tunc prius octavae ss. Corporis Christi, deinde ss. Apostolorum commemoratio fieri debet (S. C.). Antiphonae et Psalmi in secundis Vesperis de Communi Apostolorum, exceptis ecclesiis s. Paulo, etiam sub titulo Conversionis dicatis (S. C.), in quibus Vesperae dicuntur de sequenti cum commemoratione s. Petri, et Dominicae, si incidat in Dominica (R.). Dominica sequente, Missa votiva solemnis cum commemoratione Dominicae, festi duplicis vel semiduplicis occurrentis. Quae Missa ad octo dies differatur, si celebranda sit solemnitas ss. Corporis Christi aut Nativitatis s. Joannis Baptistae (S. C.).

30. Junii. — Commemoratio s. Pauli, Apostoli, duplex. Officium proprium.[1] In Laudibus commemoratio *primo loco* s. Petri, deinde Nativitatis s. Joannis Baptistae. Ad Vesperas Antiphonae et Psalmi de Communi Apostolorum, et a Capitulo fit de octava s. Joannis, ut in primis Vesperis festi. Si tamen sequenti die etiam occurrat dies octava ss. Corporis Christi, Vesperae integrae dicuntur de die octava ss. Corporis Christi cum commemoratione prius octavae Nativitatis s. Joannis Baptistae, et deinde octavae Apostolorum per unam tantum Antiphonam (Cav. Tet.). Sed in ecclesia s. Pauli, id est ubi est Patronus, Vesperae integrae dicuntur de eo, Antiphonae et Psalmi de Communi Apostolorum, Capitulum et reliqua, ut in primis Vesperis cum commemoratione s. Petri, et sequentis. Hoc festum transferri debet, si occurrat eadem die cum festo ss. Cordis Jesu, vel cum die octava ss. Cordis Jesu, et tunc de commemoratione s. Pauli fit officium ut in ecclesia ejusdem ut in Breviario annotatur (R.), atque reponitur ante quodcumque festum duplex aut semiduplex (S. C.). Quamvis s. Paulus sit Patronus, Missa votiva solemnis, Dominica sequenti, cantanda est de ss. Apostolis Petro et Paulo, atque Missa Commemorationis s. Pauli octo diebus differenda est (S. C.). Insuper Commemoratio s. Pauli non transfertur, etsi aliqua dedicatio ecclesiae, incidens die 29. Junii, transferenda sit (S. C.).

§. VIII. De festis mensis Julii.

Prima Dominica hujus mensis, festum pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., ex concessione Pii IX. anni 1849., cum obligatione (Misc. theol.). Hoc festum transferri debet, si impediatur festo primae vel secundae classis, v. gr. festo Visitationis beatae Virginis Mariae (S. C.), tuncque celebratur feria

[1] Juxta recentissimum decretum, si s. Pauli Commemoratio transferatur ad 5. diem Julii, Vesperae erunt a Capitulo de sequenti cum sola Oratione communi Apostolis Petro et Paulo. Si autem ad diem 9. amandata esset, tunc pridie Vesperae erunt a Capitulo de s. Paulo, cum Oratione propria, ac distincta a commemoratione s. Petri. 26. Martii 1859. in *Mechlinien.* ad 3. v. *Commemoratio.*

secunda proxime sequente ut in die fixa, etiam si in praedicta feria secunda occurrat festum duplex majus, quod longius amandandum est (decretum Pii IX.). Quod intelligendum est de accidentali translatione (Misc. theol.). Officium proprium. In secundis Vesperis Antiphonae propriae eaedem ac in primis (S. C.). In Missa commemoratio Dominicae; fit etiam commemoratio simplicis, si adsit, in Laudibus ac Missa privata. Si vero haec Dominica sit Dominica solemnitatis ss. Apostolorum Petri et Pauli, Missa solemnis cantatur ut in eorum die festo (29. Junii) cum commemoratione pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. ac Dominicae.[1] Quibus commemorationibus additur commemoratio octavae Nativitatis s. Joannis Baptistae, si hoc festum in prima Julii incidat; eoque in casu, primae Vesperae dicuntur de festo cum commemoratione octavae Nativitatis s. Joannis Baptistae et Dominicae; secundae autem de Visitatione B. M. V. cum commemoratione pretiosissimi Sanguinis et octavae Nativitatis s. Joannis Baptistae (S. C.).

1. Julii. — Octava Nativitatis s. Joannis Baptistae, duplex. Lectiones secundi Nocturni propriae (R.). Lectiones tertii Nocturni ex secunda die infra octavam, 25. Junii (S. C.). Commemoratio ss. Apostolorum Petri et Pauli in Laudibus ac Missa. Vesperae de sequenti cum commemoratione octavae s. Joannis Baptistae tantum. Si hac die fuerit octava ss. Corporis Christi, fit tantum commemoratio octavae Nativitatis s. Joannis Baptistae (R.).

2. Julii. — Visitatio B. M. V., duplex, ad ritum secundae classis a Pio IX. anno 1850. elevatum. Commemoratio ss. Martyrum Processi et Martiniani in Laudibus ac Missa privata tantum. Missa propria, Praefatio de Beata: *Et te in Visitatione.* Si die praecedente aut sequente celebretur festum pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., de Visitatione dicuntur Vesperae ac pretiossimi Sanguinis commemoratio.

3. Julii. — De octava sanctorum Apostolorum Petri et

[1] Si concurrant Vesperae pretiosissimi Sanguinis cum primis Vesperis ss. Cordis Jesu, omittitur hujus commemoratio. 26. Mart. 1859. in Mechlinien.

Pauli, semiduplex. Omnia de Communi Apostolorum praeter Lectiones, Antiphonas ad *Magnificat* et *Benedictus* cum Versibus. Lectiones secundi ac tertii Nocturni propriae. Hymni autem, Antiphonae, Versus etc. ad Matutinum de Communi. Antiphonae ad *Benedictus* et *Magnificat* sumuntur ex suffragiis communibus; Oratio vero festi. Missa propria, in qua *Credo,* et Praefatio Apostolorum. In Canone nominibus ss. Apostolorum Petri et Pauli caput inclinandum (S. C.).

6. Julii. — Octava ss. Apostolorum Petri et Pauli, duplex. Missa propria, Oratio *Deus, cujus dextera* (R.). Hac octava concurrente cum festo duplici minori, ad Vesperas fit a Capitulo de sequenti cum commemoratione praecedentis (S. C.). Occurrente autem cum festo pretiosissimi Sanguinis, de hac octava ss. Apostolorum tantum fit commemoratio ubique, id est in Laudibus, Missa et Vesperis, cum nona Lectione homiliae Dominicae (G. Tet.).

7. Julii. — Vesperae de sequenti, Hymnus, Antiphona ad *Magnificat,* Versus et Oratio propria. In suffragiis B. M. V. dicitur Versus *Diffusa* (Tet.).

8. Julii. — S. Elisabeth, reginae Portugalliae, Viduae, semiduplex. Officium proprium. In suffragiis B. M. V. dicitur Versus *Ora pro nobis* (Tet.).

10. Julii. — SS. Septem Fratrum, Martyrum, semiduplex. Lectiones secundi et tertii Nocturni propriae. Si habeatur simplex, nona Lectio octavae jungi non debet, quia non est historica (S. C.). Si unus ex septem fratribus sit Patronus, de eo officium seorsum fieri potest (S. C.). In Vesperis commemoratio sequentis et suffragia.

11. Julii. — S. Pii, Papae et Martyris, simplex. Tertia Lectio propria. Vesperae de sequenti cum commemoratione ss. Naboris et Felicis, Martyrum (R.). In Oratione omitti debet Gualberti (S. C.).

12. Julii. — S. Joannis Gualberti, Abbatis, duplex. Lectiones secundi et tertii Nocturni propriae, commemoratio ss. Naboris et Felicis in Laudibus ac Missa. In Vesperis commemoratio sequentis (R.).

13. Julii. — S. Anacleti, Papae et Martyris, semiduplex.

Lectiones secundi Nocturni propriae, Lectiones tertii Nocturni sumuntur de Communi *primo loco,* Oratio vero *secundo loco.* Vesperae de sequenti, commemoratio praecedentis.

14. Julii. — S. Bonaventurae, Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex. Antiphona ad *Magnificat* in utrisque Vesperis: *O Doctor.* Lectiones primi Nocturni de Communi, et secundi ac tertii Nocturni propriae. In Missa *Credo,* in Vesperis commemoratio sequentis (R.).

15. Julii. — S. Henrici, Imperatoris et Confessoris, semiduplex. In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius Versus. Oratio dicitur ut in Breviario, etiamsi festum transferatur (S. C.). Lectiones secundi Nocturni propriae. Vesperae de sequenti cum commemoratione praecedentis (R.) Ad Completorium et Horas, Hymni concluduntur: *Jesu, tibi sit gloria.*

16. Julii. — Festum B. M. V. de Monte Carmelo, duplex majus ex decreto Benedicti XIII. anni 1726, cum Missa propria. Omnia ut in festo s. Mariae ad Nives die 5. Augusti, praeter propria, videlicet Lectiones secundi Nocturni, Antiphonas ad *Benedictus* et *Magnificat* in secundis Vesperis, ac Orationem. Tertium Responsorium concluditur: *Tuam solemnem commemorationem.* In Missa *Credo* et in Praefatione de Beata: *Et te in commemoratione.* In Vesperis commemoratio sequentis.

17. Julii. — S. Alexii, Confessoris, semiduplex (Romae duplex). Lectiones secundi Nocturni propriae, tertii Nocturni de Communi Abbatum. Vesperae de sequenti; in Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius Versus. Commemoratio praecedentis et ss. Symphorosae cum septem filiis, Martyrum.

18. Julii. — S. Camilli de Lellis, Confessoris, duplex, ex decreto Clementis XIII. anni 1767. Lectiones secundi et tertii Nocturni ac Oratio propriae. Nona Lectio ex utraque (si duae sint, ut in antiquis Breviariis), et commemoratio ss. Symphorosae cum septem filiis, Martyrum, in Laudibus ac Missa. Vesperae a Capitulo de sequenti, in Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius Versus, commemoratio praecedentis.

19. Julii. — S. Vincentii a Paulo, Confessoris, duplex ex decreto Benedicti XIV. anni 1753. Lectiones secundi Nocturni

propriae, et tertii at in festo s. Ignatii 31. hujus, scilicet homilia in Evangelium: *Designavit Dominus* de Communi Evangelistarum, cum Responsoriis de Communi Confessoris non Pontificis. Vesperae a Capitulo de sequenti, commemoratio praecedentis et s. Margaritae, Virginis et Martyris. In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius Versus.

20. Julii. — S. Hieronymi Aemiliani, Confessoris, duplex ex decreto Clementis XIV. anno 1769. Oratio ac Lectiones secundi et tertii Nocturni propriae. Commemoratio (sine ejus Lectione, quia non est propria) s. Margaritae, Virginis et Martyris in Laudibus ac Missa. In Vesperis commemoratio sequentis. In Missa, quae est propria, Oratio concluditur *In unitate spiritus* (S. C.).

21. Julii. — S. Praxedis, Virginis, simplex. Tertia Lectio propria. Vesperae de sequenti, ad Vesperas Hymnus proprius: *Pater superni luminis.*

22. Julii. — S. Mariae Magdalenae, duplex. Officium ac Missa propria. Si hoc festum non habeat primas Vesperas, ad Matutinum dicitur Hymnus proprius primarum Vesperarum (Cav. Tet.), atque si secundas Vesperas integras habeat, tunc ex primis Vesperis Hymnus sumitur (S. C.). Vesperae a Capitulo de s. Apollinari, cum commemoratione s. Mariae Magdalenae ac s. Liborii (R.).

23. Julii. — S. Apollinaris, Episcopi et Martyris, duplex. Oratio ac Lectiones secundi et tertii Nocturni propriae. Commemoratio s. Liborii in Laudibus ac Missa. In Vesperis commemoratio sequentis et s. Christinae Virginis et Martyris (R.).

Si vero hodie fuerit sabbatum, Lectio nona erit de Vigilia anticipata s. Jacobi Apostoli, cum ejus commemoratione in Laudibus ac Missa (Antiphona ac Versus feriae), et tunc pro feria dicenda erit Oratio *Da quaesumus,* et pro commemoratione s. Liborii dicenda erit Oratio *Exaudi* (Merati, Tetam.). Quo in casu secunda Oratio in Missa dicitur de Vigilia, nec non Evangelium in fine Missae.

24. Julii. — Vigilia s. Jacobi. Officium et Missa de Vigilia s. Jacobi Apostoli. Si festum s. Jacobi venerit feria secunda, de Vigilia fit commemoratio in Missa s. Apollinaris,

et de s. Christina in Dominica, sicque Vigilia anticipatur. In Missa, nomini s. Jacobi *primo loco* caput inclinandum (Tet.).

25. Julii. — S. Jacobi, Apostoli, duplex secundae classis. Oratio ac Lectiones secundi et tertii Nocturni propriae. Commemoratio s. Christophori, Martyris in Laudibus ac Missa privata tantum. In Vesperis commemoratio sequentis.

26. Julii. — S. Annae, Matris B. M. V., Viduae, duplex majus. Oratio ac Lectiones secundi Nocturni propriae. Missa propria. In Vesperis commemoratio sequentis.

27. Julii. — S. Pantaleonis, Martyris, simplex. Tertia Lectio propria. Vesperae de sequenti, suffragia.

28. Julii. — SS. Nazarii et Celsi, Martyrum, Victoris, Papae et Martyris, ac Innocentii, Papae et Confessoris, semiduplex. Oratio ac Lectiones secundi Nocturni propriae. Reliqua de Communi plurimorum Martyrum. Vesperae a Capitulo de sequenti cum commemoratione praecedentis et ss. Felicis, Simplicii etc., Martyrum. Si sit prima Dominica Augusti, juxta computum ecclesiasticum, ad *Magnificat* ponatur Antiphona: *Sapientiam,* quae reperitur in Breviario post undecimam hebdomadam, quae sequitur octavam Pentecostes (R.). Quod observandum esset in casu sequentibus diebus.

29. Julii. — S. Marthae, Virginis, semiduplex. Lectiones secundi ac tertii Nocturni propriae. Commemoratio ss. Felicis, Simplicii etc., Martyrum in Laudibus ac Missa. In Vesperis commemoratio sequentis. Si s. Maria Magdalena sit Patrona, sumantur Lectiones de Octavario Romano (S. C.).

30. Julii. — SS. Abdon et Sennen, Martyrum, simplex. Oratio ac tertia Lectio propriae. Vesperae de sequenti.

31. Julii. — S. Ignatii de Loyola, Confessoris, duplex. Lectiones secundi et tertii Nocturni, Oratio ac Missa propriae, Vesperae de sequenti cum commemoratione s. Pauli, s. Ignatii et ss. Machabaeorum, Martyrum.

§. VIII. De festis mensis Augusti.

Mense Augusto Lectiones de Scriptura ponuntur libri Salomonis, et legitur de eis usque ad Dominicam primam Septem-

bris, ordine sequenti: prima hebdomada Augusti, incipiunt Parabolae Salomonis; secunda, incipit liber Ecclesiastes; tertia, incipit liber Sapientiae; quarta, incipit liber Ecclesiastici; quinta etiam de eodem libro Ecclesiastici, si quinta hebdomada sit. Infra octavam Assumptionis B. M. V., quando fit officium de octava, leguntur in primo Nocturno Lectiones assignatae de Canticis Canticorum, sed quando fit officium de Sanctis, leguntur de Scriptura occurrente, juxta rubricam ante tertiam Dominicam Augusti. Si initium libri Sapientiae tertiae hebdomadae Augusti omissum fuerit, occurrente festo Assumptionis B. M. V., s. Joachim etc., recitandum est prima die libera (R.). Quae observanda sint, si contigerit, ultimam Augusti Dominicam esse primam Septembris, vide infra §. IX., juxta computum eccles.

1. Augusti. — S. Petri ad vincula, duplex majus. Officium ac Missa propria. Commemoratio s. Pauli et ss. Machabaeorum, Martyrum (de quibus nona Lectio) in Laudibus ac Missa. Si hoc festum sit Patronus ecclesiae, infra totam octavam commemoratio distincta s. Pauli facienda est (S. C.). Si s. Jacobus vel s. Christophorus sit Patronus aut Titularis, festum s. Petri ad Vincula in diem fixam, ex consensu Episcopi, transferri debet (S. C.). In Vesperis, commemoratio s. Pauli, sequentis, et s. Stephani, Papae et Martyris.

2. Augusti. — S. Alphonsi Mariae de Ligorio, Episcopi et Confessoris, nunc ex Constit. S. D. N. Pii PP. IX. d. d. 7. Julii 1871. Ecclesiae Doctoris, duplex ex decreto Urbis et Orbis 18. Septembris 1839. Lectiones secundi ac tertii Nocturni propriae. Nona Lectio et commemoratio s. Stephani in Laudibus ac Missa. Oratio ac Missa propriae. Octavum Responsorium *In medio* et ad *Magnificat* Antiphona *O Doctor*. In Vesperis commemoratio sequentis.

An hodie, in festo Portiunculae, faciendum sit festum titulare ecclesiarum dedicatarum sub titulo s. Mariae Angelorum, id est B. V. ut dominae et reginae Angelorum? Regulariter negative. Si vero existat usus antiquus hoc festum celebrandi hodie et non in die Assumptionis, potest servari ac recitari officium ut in festo s. Mariae ad Nives, 5. Augusti, sed loco Lectionum secundi Nocturni dicantur Lectiones secundi Nocturni Nativitatis B. M. V., mutato *natali* in *festivitate* (S. C.).

3. Augusti. — Inventio s. Stephani, Protomartyris, semiduplex. Officium ac Missa propria. In Canone ad nomen Sancti caput inclinandum. Vesperae de sequenti cum commemoratione s. Stephani. In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius versus.

4. Augusti. — S. Dominici, Confessoris, duplex. Oratio ac Lectiones secundi Nocturni propriae. Vesperae de sequenti, commemoratio praecedentis. In fine Hymnorum dicitur: *Jesu, tibi sit.*

5. Augusti. — S. Mariae ad Nives, duplex majus. Omnia ut in Proprio et in Communi de B. V. M. In Missa *Credo*, Praefatio de Beata: *Et te in festivitate.* Vesperae de sequenti, commemoratio praecedentis ac ss. Xysti et sociorum, Martyrum. Hodie ad Completorium et cras ad omnes Horas Hymni concluduntur: *Jesu tibi... Qui te revelas parvulis* (R.).

6. Augusti. — Transfiguratio Domini, duplex majus. Officium et Missa propria. Nona Lectio et commemoratio ss. Xysti et sociorum, Martyrum, in Laudibus ac Missa. Ad Primam in Responsorio brevi dicitur: *Qui apparuisti hodie*, sine Alleluia, licet in Responsorio brevi ad Tertiam, Sextam et Nonam *Alleluia* addatur. In Vesperis commemoratio sequentis, Antiphona ac Oratio propriae, et s. Donati, Episcopi et Martyris. Non videtur sanctus Xystus, de quo hodie commemoratio fit, esse idem, qui in Canone nominatur (Tetam.), sed Xystus vel Sixtus I., Papa, successor Alexandri I.

7. Augusti. — S. Cajetani, Confessoris, duplex. Lectiones secundi et tertii Nocturni, Antiphonae ad *Magnificat* et *Benedictus*, ac Oratio propriae. Nona Lectio et commemoratio s. Donati in Laudibus ac Missa. In Vesperis commemoratio sequentis.

8. Augusti. — SS. Cyriaci, Largi et Smaragdi, Martyrum, semiduplex. Oratio ac Lectiones secundi et tertii Nocturni propriae. In Vesperis commemoratio simplicis sequentis, scilicet s. Romani, Martyris.

9. Augusti. — Vigilia sancti Laurentii. Nocturnum ac Responsoria de feria. Lectiones de Communi unius Martyris, *secundo loco.* Preces feriales. In Laudibus ac Missa commemoratio sancti Romani, Martyris (R.). Officium hebdomadarium vel mensuale hodie recitari non licet (S. C.). Si contigerit hac

die celebrari officium novem Lectionum, dicitur nona Lectio de homilia, et commemoratio feriae, ac s. Romani in Laudibus ac Missa, ac in fine Missae Evangelium feriae ac Vesperae de sequenti, sine commemoratione, si Sanctus ille tantum ritum semiduplicem habeat. In Canone nomini s. Laurentii caput inclinandum (Tet.).

10. Augusti. — S. Laurentii, Martyris, duplex secundae classis cum octava. Officium ac Missa propriae. Non dicitur *Credo,* nisi sit Patronus vel Titularis, aut venerit in Dominica. Hodie et infra octavam, saltem cum s. Laurentii commemoratio fit, in Canone Missae nomini ejusdem caput inclinandum. In Vesperis commemoratio ss. Tiburtii et Susannae, Martyrum.

11. Augusti. — De secunda die infra octavam, semiduplex. Nona Lectio et commemoratio ss. Tiburtii et Susannae, Martyrum, in Laudibus ac Missa. Vesperae de sequenti cum commemoratione octavae.

12. Augusti. — S. Clarae, Virginis, duplex. Lectiones secundi Nocturni propriae. In Vesperis commemoratio octavae, ex secundis Vesperis, et ss. Hippolyti et Cassiani, Martyrum.

13. Augusti. — De quarta die infra octavam, semiduplex. Nona Lectio et commemoratio ss. Hippolyti et Cassiani, Martyrum in Laudibus ac Missa. In Vesperis commemoratio s. Eusebii, Confessoris. Si hodie sit sabbatum, commemorationes ac Missa ut cras ordinantur.

14. Augusti. — De quinta die infra octavam, semiduplex. Nona Lectio homilia nempe Vigiliae Assumptionis. In Laudibus commemoratio Vigiliae, per Antiphonam et Versum de feria occurrente, ut in Psalterio, Oratio *Deus, qui virginalem* etc. Deinde fit commemoratio s. Eusebii, Confessoris.

Missa dicitur de Vigilia sine *Gloria* et *Credo,* etiam si sit in sabbato, vel in ecclesia, in qua s. Laurentius Patronus sit, cum paramentis violaceis, et dicitur *Benedicamus Domino,* et in fine Missae Evangelium s. Joannis (G. Cav. Tet.). Per hujus Vigiliae Missam satisfit obligationi dicendi Missam votivam de Beata (S. C.). Vesperae de sequenti sine commemoratione.

Hymni Completorii, et omnes alii ejusdem metri, per totam octavam sequentem, concluduntur; *Jesu... Qui natus es de Vir-*

gine; et in Responsorio brevi ad Primam dicitur: *Qui natus es de Maria Virgine.*

Si contigerit celebrari festum duplex, secunda Oratio in Missa dicitur de octava, tertia de Vigilia, ac quarta de sancto Eusebio, et in fine Missae Evangelium Vigiliae.

15. Augusti. — Assumptio B. M. V., duplex primae classis, cum octava et festum de praecepto in universali ecclesia. Officium proprium cuicunque festo praeferendum. Omnes Missae votivae et de Requiem hodie prohibentur (S. C.), et quidem si quis obierit, nec ejus exequiae fiant, nec pulsentur campanae mane, sed Vespere meliusve die sequenti sepeliatur (Cav. Tet.). In Missa *Credo,* Praefatio de Beata: *Et te in Assumptione.* In Vesperis commemoratio sequentis.

Dominica infra octavam Assumptionis, s. Joachim, Confessoris, patris B. M. V., duplex majus ex decreto s. Congregationis anni 1758., nisi impediatur die octava s. Laurentii aut Assumptionis, vel festo altioris ritus, quo casu transfertur in primam diem non impeditam post eamdem Dominicam. Sabbato praecedenti dicuntur Vesperae de s. Joachim, Confessore non Pontifice, et in Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius versus. Versus, Antiphona ad *Magnificat* ac Oratio propria. Commemoratio Dominicae (ex primis Vesperis), ac octavae Assumptionis. Si hoc sabbato contigerit celebrari festum duplex aut octava s. Laurentii, de illo festo seu octava s. Laurentii, prius commemoratio fit et postea de Dominica. Lectiones primi Nocturni de Communi, *Beatus vir;* secundi et tertii Nocturni propriae. Nona Lectio Dominicae vel simplicis, si adsit. Versus et Antiphona ad *Benedictus* de Proprio. Commemoratio Dominicae, octavarum ac simplicis, si habeatur. In secundis Vesperis, omnia, praeter Orationem, de Communi Confessoris non Pontificis. In Missa *Credo,* Praefatio de Beata etc. Quae tamen non habent locum, si festum s. Joachim post octavam Assumptionis transferatur.

16. Augusti. — S. Hyacinthi, Confessoris, duplex Lectiones primi Nocturni de libro Scripturae eo tempore occurrentis, non autem de libro Canticorum. Lectiones secundi Nocturni propriae. Commemoratio s. Laurentii post ecommmorationem

octavae Assumptionis, etiamsi s. Laurentius sit Patronus, in Laudibus ac Missa (S. C.). Vesperae a Capitulo de sequenti, cum commemoratione praecedentis ac octavae. In officio Hymni concluduntur, *Jesu tibi*, et in Missa *Credo*, Praefatio de Beata. Quae vero servari non debent, si hoc festum post octavam Assumptionis transferri contigerit. Si 16. Augusti inciderit in Dominicam, tunc fit officium de s. Joachim.

In quibusdam locis celebratur festum s. Rochi duplex ex indulto speciali, vel cum est Titularis. Tunc festum s. Hyacinthi ad primam diem non impeditam in perpetuum transferri debet ab Episcopo.

17. Augusti. — Octava s. Laurentii, duplex. Lectiones secundi et tertii Nocturni, Oratio ac Missa propriae. Reliqua ut in festo. Commemoratio octavae Assumptionis, ac mutata mutanda, scilicet *Credo*, Praefatio de Beata, *Jesu tibi sit... Qui natus es*, in fine Hymnorum. In Vesperis, commemoratio octavae Assumptionis ac s. Agapiti, Martyris.

18. Augusti. — De quarta die infra octavam Assumptionis. Lectiones propriae, ac nona s. Agapiti, cum ejus commemoratione in Laudibus ac Missa. Tertia Oratio de Spiritu sancto.

19. Augusti. — De quinta die infra octavam Assumptionis. Lectiones propriae. In Missa secunda Oratio de Spiritu sancto, tertia *pro Papa* aut *Ecclesia*. Vesperae de sequenti, commemoratio octavae.

20. Augusti. — S. Bernardi, Abbatis et Ecclesiae Doctoris, ex decreto Pii VIII. anni 1830. duplex. Officium de Communi Doctorum, in utrisque Vesperis Antiphona *O Doctor*. Lectiones secundi Nocturni ut in Breviario, additur in fine Lectionis sextae: „Pius vero VIII., Pontifex maximus etc.“, ut habetur in novis Breviariis. Lectiones tertii Nocturni *Vos estis sal terrae*, de Communi Doctorum. In Lectione autem Martyrologii additur: „Quem Pius VIII., Pontifex maximus, universalis Ecclesiae Doctorem declaravit et confirmavit.“ In Missa *Credo*, etiam extra octavam Assumptionis, Epistola *Justus cor suum, secundo loco*. Commemoratio Assumptionis, in Vesperis, Laudibus ac Missa, Praefatio de Assumptione et in fine Hymnorum dicitur *Jesu tibi sit... Qui natus es* etc. Vesperae a

Capitulo de sequenti. Si Dominica venerit in 20. Augusti, festum s. Bernardi transferendum est.

21. Augusti. — S. Joannae Franciscae (Fremiot de Chantal), Viduae, duplex, ex decreto Clementis XIV. anni 1769. Oratio ac Lectiones secundi Nocturni propriae. Commemoratio octavae Assumptionis in Vesperis, Laudibus ac Missa. Oratio concluditur sine *ejusdem* (S. C.). Vesperae de sequenti (S. C.) cum commemoratione s. Joannae Franciscae, ac simplicis sequentis, scilicet ss. Timothei et sociorum, Martyrum. Si Dominica venerit in 21. Augusti, festum s. Joannae Franciscae transfertur, et fit officium de s. Joachim, qui integras habet utrasque Vesperas.

22. Augusti. — Octava Assumptionis B. M. V. duplex. In tribus Nocturnis Lectiones propriae. Nona Lectio et commemoratio ss. Timothei et sociorum, Martyrum, in Laudibus ac Missa. In Vesperis commemoratio sequentis.

23. Augusti. — S. Philippi (Benitii), Confessoris, duplex. Lectiones secundi Nocturni propriae. Missa ac Lectiones tertii Nocturni de Communi, *secundo loco.* Nona Lectio (praeter Romam et alibi) et commemoratio de Vigilia s. Bartholomaei in Laudibus ac Missa, ac in fine Missae Evangelium ejusdem Vigiliae. Vesperae de sequenti, commemoratio praecedentis.

24. Augusti. — S. Bartholomaei, Apostoli, duplex secundae classis. Lectiones secundi et tertii Nocturni ac Oratio propriae. Reliqua de Communi Apostolorum. In Missa *Credo,* Praefatio Apostolorum, ac in Canone capitis inclinatio. In Vesperis commemoratio sequentis.

Romae, Vigilia s. Bartholomaei, Apostoli. Psalmi et Responsoria de feria occurrente, tres Lectiones leguntur de homilia in Evangelium *Hoc est praeceptum,* ut in Vigilia Apostolorum. Ad Laudes, ut in Psalterio, dicuntur preces feriales flexis genibus.

25. Augusti. — S. Ludovici, Regis Galliae, Confessoris, semiduplex. In Gallia duplex (S. C.). Oratio ac Lectiones secundi et tertii Nocturni propriae. In Vesperis, commemoratio sequentis.

Romae festum s. Bartholomaei, Apostoli. In Vesperis com-

memoratio sequentis, s. Ludovici, ac s. Zephyrini, Papae et Martyris.

26. Augusti. — S. Zephyrini, Papae et Martyris, simplex. Tertia Lectio ac Oratio propriae. Vesperae de sequenti. In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius versus.

Romae festum s. Ludovici. In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius versus. Nona Lectio et commemoratio s. Zephyrini in Vesperis, Laudibus ac Missa.

27. Augusti. — S. Josephi (Calasanctii), Confessoris, duplex ex decreto Clementis XIV. anni 1769. Lectiones secundi et tertii Nocturni, Oratio ac Missa propriae. Vesperae a Capitulo de sequenti, commemoratio praecedentis ac s. Hermetis, Martyris.

28. Augusti. — S. Augustini, Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex. Lectiones primi et tertii Nocturni de Communi Doctorum, Lectiones autem secundi Nocturni ac Oratio propriae. In Missa *Credo,* Antiphona *O Doctor,* in Vesperis ad *Magnificat.* Vesperae de sequenti, Antiphonae ex Laudibus, commemoratio praecedentis ac s. Sabinae, Martyris,

29. Augusti. — Decollatio s. Joannis Baptistae, duplex majus, ex decreto Pii VI. anni 1787. Officium proprium. Nona Lectio et commemoratio s. Sabinae, Martyris, in Laudibus ac Missa. In Canone Missae ad nomen s. Joannis secundo caput inclinandum. In Vesperis commemoratio sequentis ac ss. Felicis et Adaucti, Martyrum.

30. Augusti. — S. Rosae a s. Maria, Virginis Limanae duplex ex decreto Benedicti XIII. anni 1727. Lectiones secundi Nocturni ac Oratio propriae. Nona Lectio et commemoratio ss. Felicis et Adaucti, Martyrum, in Laudibus ac Missa. Vesperae a Capitulo de sequenti. In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius versus.

31. Augusti. — S. Raymundi (Nonnati), Confessoris, duplex. Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente, non autem de Communi (S. C.), atque Lectiones secundi Nocturni et Oratio propriae. In Vesperis commemoratio sequentis.

§. IX. De festis mensis Septembris.

Hoc mense Lectiones de Scriptura sumuntur ex libris Job, Tobiae, Judith et Esther. In duabus primis hebdomadis leguntur de libro Job; de libro Tobiae pauca leguntur in tertia hebdomada ratione Quatuor Temporum eadem hebdomada incidentium. Lectiones leguntur in quarta hebdomada de libro Judith, in quinta vero de libro Esther. Si tamen in hoc mense tantum quatuor hebdomadae habeantur, in feria quinta quartae hebdomadae, relicto libro Judith, eadem feria quinta incipiatur ac prosequatur feria sexta sequente ac sabbato, legere Lectiones ex libro Esther. Quamvis autem feria quinta legatur initium libri Esther, duabus feriis sequentibus leguntur Lectiones sextae feriae ac sabbati quintae hebdomadae (Cav. Tet.). Et quidem si his tribus feriis, in primo Nocturno sint Lectiones de Proprio vel de Communi, feria quarta legatur initium libri Esther (S. C.).

Festum ss. Angelorum Custodum multis in locis celebratur Dominica prima Septembris, sub ritu duplici secundae classis cum octava. Officium fit ut in die secunda Octobris, cum nona Lectione et commemoratione Dominicae in Laudibus ac Missa. Dicitur *Credo* per totam octavam. Dominica sequente, nempe die octava festi, ad tertium Nocturnum leguntur Lectiones non lectae dictae octavae, prius sumendo Lectiones feriae secundae, et sic successive. Vesperae hujus diei octavae dimidiantur cum festo duplici minori praecedente aut sequente (S. C.).

Prima Dominica Septembris pro hoc festo intelligitur Dominica primo adveniens in hoc mense; servari tamen potest usus eligendi primam Dominicam, juxta computum ecclesiasticum, illam nempe, quae est proximior kalendis aut primae mensis diei (S. C.);.

Notandum, ubi festum ss. Angelorum custodum Dominica prima Septembris cum octava celebratur, de eodem non iterum fieri officium, die secunda Octobris (S. C.).

Quae spectant ad Dominicam infra octavam Nativitatis B. M. V., vide infra post 8. Septembris.

Festum Septem Dolorum B. M. V. anno 1814. Pius VII. decrevit celebrandum Dominica tertia Septembris, sub ritu duplici majori. Officium ac Missa propria. Nona Lectio homilia et commemoratio Dominicae in Laudibus ac Missa. Hymni concluduntur *Jesu tibi... Qui passus es pro servulis.* Si in Dominica tertia occurrat festum duplex primae aut secundae classis, vel dies octava, tunc festum Septem Dolorum transferri debet in Dominicam proximiorem non impeditam. Si vero omnes Dominicae usque ad Adventum sint impeditae, festum Septem Dolorum transferendum est in primam diem non impeditam post Dominicam tertiam Septembris (S. C.).

Infra tertiam hebdomadam Septembris celebrantur Quatuor Tempora. Officium feriale cum omnibus precibus; fit tantum commemoratio de simplici, quod non habet primas Vesperas, cum de eo officium fieri nequeat. Fit de festo duplici aut semiduplici in Quatuor Temporibus, cum nona Lectione homiliae et commemoratione in Laudibus ac Missa, ac in fine Missae Evangelium ejusdem feriae. Missa Quatuor Temporum ponitur in Missali post 17. Dominicam post Pentecosten.

1. Septembris. — S. Aegidii, Abbatis, simplex. Tertia Lectio propria. Vesperae de sequenti. In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius versus.

2. Septembris. — S. Stephani, Regis, Confessoris, semiduplex. Lectiones secundi ac tertii Nocturni propriae.

4. Septembris. — Vesperae de sequenti. In quibusdam locis, festum s. Rosaliae, Virginis, semiduplex. Oratio ac Lectiones secundi Nocturni propriae. Vesperae a Capitulo de sequenti.

5. Septembris. — S. Laurentii Justiniani, Episcopo et Confessoris, semiduplex, ex decreto Clementis XII. anni 1759; olim *ad libitum.* Lectiones secundi Nocturni propriae. In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius Versus.

7. Septembris. — Vesperae de sequenti. Hymni Completorii, et omnes alii ejusdem metri per totam octavam sequentem concluduntur, *Jesu... Qui natus es de Virgine,* nisi aliter notetur; et in Responsorio brevi ad Primam dicitur: *Qui natus es de Maria Virgine.*

8. Septembris. — Nativitatis B. M. V., duplex secundae classis cum octava. Hodie festum abrogatum a Concordato. Nona Lectio et commemoratio s. Adriani, Martyris in Laudibus ac Missa privata tantum. In Vesperis commemoratio s. Gorgonii, Martyris. Si dies immediate sequens post festum Nativitatis sit Dominica, Vesperae dicuntur integrae de Nativitate, cum commemoratione Dominicae et s. Gorgonii, Martyris. In Missa *Credo,* Praefatio de Beata, *Et te in Nativitate,* per totam octavam, nisi aliter notetur. Si hoc festum sit Titularis ecclesiae, ex octava Lectione fiunt duae, cum Lectio sancti Adriani omittatur.

Dominica infra octavam Nativitatis B. M. V. festum ss. Nominis B. M. V., duplex majus. Officium et Missa ut in Proprio. Nona Lectio homilia et commemoratio Dominicae, sine commemoratione Nativitatis B. M. V. Occurrente die octava Nativitatis B. M. V. in Dominica infra octavam Nativitatis ejusdem B. M. V., faciendum est officium de ss. Nomine sine commemoratione diei octavae (S. C.). Similiter agendum si octava Septem Dolorum B. M. V. occurrat cum festo B. M. V. de Mercede (S. C.).

Si autem festum ss. Nominis occurrat in alia die octava, ut ss. Angelorum Custodum, vel in alio festo digniori, ut Exaltationis s. Crucis, transferendum est ad primam diem impeditam (S. C.). Si contigerit hoc festum translatum concurrere ad Vesperas cum festo B. M. de Mercede, integrae Vesperae fiunt de festo, de quo factum est officium, sine commemoratione sequentis (S. C.). Si hoc festum transferatur ad mensem Octobris, leguntur Lectiones ex dicto mense (S. C.).

In Missa hujus diei *Credo,* Praefatio de Beata, *Et te in festivitate.* Si in hac Dominica, Missa votiva solemnis cantanda sit, qualis Praefatio sumenda, si supponatur esse simul dies octava Nativitatis B. M. V. de qua nihil fit? Tunc, cum octava jura sua resumere videatur, Praefatio octavae cantanda est *(Misc. theol.).*

9. Septembris. — De secunda die infra octavam, semiduplex. Nona Lectio et commemoratio s. Gorgonii, Martyris, in Laudibus ac Missa. Vesperae de sequenti, commemoratio octavae Nativitatis B. M.

10. Septembris. — S. Nicolai de Tolentino, Confessoris, duplex. In secundo Nocturno Lectiones propriae. Homilia ac Oratio de Communi, *secundo loco.* Hymni concluduntur, *Jesu tibi sit,* et ad Primam Responsorium breve *Qui natus es.* In Missa *Credo,* Praefatio de Beata, cum commemoratione octavae Nativitatis B. M. Quod servatur per totam octavam. In Vesperis commemoratio octavae ac ss. Proti et Hyacinthi, Martyrum.

11. Septembris. — De octava. Nona Lectio et commemoratio ss. Proti et Hyacinthi Martyrum, in Laudibus ac Missa.

12. Septembris. — De octava.

13. Septembris. — De octava. Vesperae de sequenti cum commemoratione octavae Nativitatis B. Mariae. Si festum ss. nominis Mariae incidat in diem 13. Septembris, Vesperae nihilominus dicuntur de sequenti (S. C.).

14. Septembris. — Exaltatio s. Crucis, duplex majus. Commemoratio octavae Nativitatis B. M. V. in Laudibus ac Missa. Hymni concluduntur, *Jesu tibi sit ... Qui natus es,* et ad Primam Responsorium breve, *Qui natus es.* In Missa Praefatio de Cruce. In Vesperis commemoratio diei octavae B. Mariae ut pridie festi, et s. Nicomedis, Martyris.

15. Septembris. — Octava Nativitatis B. M. V., duplex. Lectiones propriae. Nona Lectio et commemoratio s. Nicomedis, Martyris, in Laudibus ac Missa. Si autem octava Nativitatis occurrat in Quatuor Temporibus, nona Lectio de feria. In Vesperis commemoratio ss. Cornelii et Cypriani, et ss. Euphemiae, Luciae et Geminiani, Martyrum. Si festum ss. Cornelii et Cypriani venerit in Dominica, transfertur in proximam diem festo novem Lectionum non impeditam: commemoratio autem ss. Euphemiae, Luciae, et Geminiani fit in primis Vesperis et Laudibus Dominicae, cum nona Lectione ipsorum, sed Antiphonae et Versus non variantur (R.).

Si 15. Septembris venerit in Dominica, celebratur festum ss. Nominis Mariae sine commemoratione octavae Nativitatis B. Mariae.

Si crastina die occurrat festum duplex minus, Vesperae integrae dicuntur de octava; sed fiunt de sequenti, si dictum festum sit duplex majus. Si crastina die celebretur festum

Septem Dolorum B. Mariae, Vesperae integrae dicuntur de festo Septem Dolorum B. Mariae, sine commemoratione octavae Nativitatis B. M. V. (Cav. Tet.).

16. Septembris. — SS. Cornelii et Cypriani, Martyrum, semiduplex. Lectiones secundi Nocturni propriae. Nona Lectio et commemoratio ss. Euphemiae, Luciae et Geminiani, Martyrum in Laudibus ac Missa. In festo eorumdem Martyrum Cornelii et Cypriani, pro commemoratione ss. Euphemiae et sociorum dicatur in primis Vesperis Antiphona *Gaudent in coelis* etc. et in Laudibus *Istorum* etc. licet hoc regulae generali conforme non sit, quia ita signatur in propriis locis (S. C.). Vesperae de sequenti cum commemoratione praecedentis. In Hymno *Iste Confessor* dicitur: *Hac die meruit beata Vulnera Christi.* In Canone Missae, nominibus ss. Cornelii et Cypriani caput inclinandum. Hoc autem festo occurrente in Quatuor Temporibus, leguntur Lectiones, *Fratres debitores,* de Communi plurimorum Martyrum (R.), excipe, si quid nondum lectum fuerit ex libro Tobiae, tunc enim ejus initium legendum est (Cav. Tet. S. C.).

17. Septembris. — Festum impressionis sacrorum Stigmatum in corpore s. Francisci, duplex ex decreto Clementis XIV. anni 1770. Omnes Lectiones, octavum Responsorium, Oratio ac Missa propria. Si hoc festum venerit in Quatuor Temporibus, nona Lectio, et in fine Missae Evangelium de feria. Versus *Hac die meruit beata Vulnera Christi* non mutatur, etiamsi hoc festum transferatur. Optime probat Tetamo, in hoc erravisse Cavalieri, decretum enim clarum omnimode est (S. C.). Vesperae a Capitulo de sequenti, cum commemoratione praecedentis. In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius Versus.

18. Septembris. — S. Josephi a Cupertino, Confessoris, duplex ex decreto Clementis XIV. anni 1769. Officium ac Missa propria. In Quatuor Temporibus, nona Lectio homilia, commemoratio, ac in fine Missae Evangelium feriae. Vesperae a Capitulo de sequenti.

19. Septembris. — SS. Januarii, Episcopi, et sociorum, Martyrum, duplex. Lectiones secundi ac tertii Nocturni propriae. In Quatuor Temporibus, Lectiones in primo Nocturno,

Fratres, Debitores de Communi. Postcommunio concluditur absque *ejusdem* (S. C.).

20. Septembris. — SS. Eustachii, et sociorum, Martyrum, duplex. Lectiones in secundo Nocturno propriae. Nona Lectio Vigiliae aut Quatuor Temporum. In Laudibus fit commemoratio Vigiliae, excipe si fiat commemoratio feriae Quatuor Temporum. In Missa semper fit commemoratio Vigiliae, sed post commemorationem feriae Quatuor Temporum, ac Evangelium in fine Missae conforme est Evangelio in officio lecto. Vesperae de sequenti cum commemoratione praecedentis. In Canone Missae nomini *Matthaei* caput inclinandum (Tet.).

21. Septembris. — S. Matthaei, Apostoli et Evangelistae, duplex secundae classis. Lectiones de Proprio vel de Communi. Nona Lectio feriae, in Quatuor Temporibus. In Canone Missae nomini Matthaei caput inclinandum. In Missa *Credo,* Praefatio Apostolorum (R.). In Vesperis fit commemoratio sequentis, et ss. Mauritii et sociorum, Martyrum.

22. Septembris. — S. Thomae de Villanova, Episcopi et Confessoris, duplex ex decreto Pii VII. anni 1801. Lectiones in secundo Nocturno, Oratio ac Antiphonae ad *Magnificat* in utrisque Vesperis et ad *Benedictus* propriae. Nona Lectio et commemoratio ss. Mauritii et sociorum in Laudibus ac Missa. In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius Versus. In Vesperis fit commemoratio sequentis et s. Theclae, Virginis et Martyris. In Quatuor Temporibus in primo Nocturno, Lectiones *Fidelis sermo* de Communi Confessoris Pontificis, et nona Lectio de feria. Animadvertit Tetamo ex sexta Lectione detrahenda esse verba: *atque ejus memoriam ... mandavit,* quae nunc non verificantur. Nititur decreto a S. R. C. lato in simili casu.

23. Septembris. — S. Lini, Papae et Martyris, semiduplex. Quarta Lectio propria. Nona Lectio s. Theclae, Virginis et Martyris, vel feriae Quatuor Temporum, et in hoc ultimo casu, in primo Nocturno Lectiones *A Mileto,* de Communi unius Martyris. In Canone Missae nomini s. Lini caput inclinandum. Vesperae de sequenti, commemoratio praecedentis. Omnes Hymni concluduntur, *Jesu tibi ... Qui natus es.*

24. Septembris. — Festum B. M. V. de Mercede, duplex

majus. Omnia ut in Proprio et in officio pro festis B. M. V. per annum. In Quatuor Temporibus, nona Lectio homilia, commemoratio, ac in fine Missae Evangelium feriae. Si dies octava Septem Dolorum B. M. V. occurrat hodie, de hac die octava nihil fit (S. C.).

26. Septembris. — SS. Cypriani et Justinae, Martyrum, simplex. Lectiones secunda et tertia propriae. Vesperae de sequenti.

27. Septembris. — SS. Cosmae et Damiani, Martyrum, semiduplex. Duae primae Lectiones secundi Nocturni propriae. Vesperae a Capitulo de sequenti. Quidquid censuerint Bona, Benedictus XIV, Tetamo, in Canone Missae caput inclinandum (Bollandistae).

28. Septembris. — S. Wenceslai, Martyris, semiduplex ex decreto Benedicti XIII. anni 1729. Lectiones secundi Nocturni propriae. Vesperae de sequenti sine commemoratione sancti Wenceslai.

29. Septembris. — Dedicatio s. Michaelis, Archangeli, duplex secundae classis. Officium ac Missa propria; in Missa *Credo.* Ad octavam Benedictionem dicitur, *Quorum festum colimus,* quia simul fit commemoratio omnium Angelorum (G. Tet.). In Vesperis commemoratio sequentis.

30. Septembris. — S. Hieronymi, Presbyteri, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex. In primo Nocturno Lectiones *Sapientiam* de Communi Doctorum, in secundo et tertio Nocturno Lectiones propriae. In Missa *Credo,* Antiphona ad *Magnificat* in utrisque Vesperis *O Doctor.* In Vesperis fit commemoratio s. Remigii.

§. X. De festis mensis Octobris.

In officio de Dominica, ad Matutinum Hymnus, *Primo die, quo Trinitas,* et ad Laudes, *Aeterne rerum conditor,* dicuntur a Dominica proximiori kalendis Octobris usque ad Adventum.

Mense Octobri Lectiones de Scriptura sumuntur ex libris Machabaeorum. Quando quarta hebdomada Octobris est ultima ejusdem mensis, tunc feria quinta, feria sexta et sabbato

quartae hebdomadae, leguntur Lectiones Dominicae quintae, et feriae secundae, et feriae tertiae ejusdem hebdomadae; qui si fuerint impediti, eo anno omittantur illae Lectiones, quae his diebus legi non possunt.

Hinc, feria quinta quartae hebdomadae leguntur Lectiones quintae Dominicae, feria sexta ejusdem quartae hebdomadae, leguntur Lectiones feriae secundae quintae hebdomadae, et sic sabbato etc. Si vero feria quinta dictae quartae hebdomadae impediatur, debentne feria sexta sequenti legi Lectiones Dominicae quintae? Illud docet Merati; Cavalieri autem et Tetamo contrariae opinioni favent, quia prior Lectio ex se non habet praelationem, et Lectiones quintae Dominicae non sunt proprie initium, quod solum omnino legendum est.

Si autem ultima hebdomada Octobris est hebdomada quinta, historia Martyrii Machabaeorum semper praefertur, ac legi debet integra, si fieri potest, vel saltem ejus pars (R.).

Dominica prima Octobris, quae occurrit in kalendis, vel post kalendas proxime sequitur, in Ecclesia universali celebratur solemnitas ss. Rosarii, sub ritu duplici majori ex decreto Clementis XI. anni 1716. Si festum ss. Rosarii concurrat cum festo duplici majori vel minori, Vesperae integrae dicuntur de festo ss. Rosarii, si vero occurrat eadem die cum festo primae vel secundae classis, vel die octava, transferendum est ad primam diem non impeditam juxta rubricas. Officium ac Missa propria; homilia, commemoratio et in fine Missae Evangelium Dominicae. In Missa *Credo,* Praefatio de Beata, *Et te in solemnitate.* Omnes Hymni concluduntur, *Jesu tibi . . . Qui natus es.* Si festum Septem Dolorum B. M. V. transferatur cum octava, ejus octava cessat post Nonam, pridie festi ss. Rosarii (S. C.).

1. Octobris. — S. Remigii, Episcopi et Confessoris, semiduplex *ad libitum,* vel simplex de praecepto, et in Gallia duplex. Quarta Lectio propria. In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius Versus. Si hoc festum ut semiduplex impediatur Dominica etc., ejusdem commemoratio fiat ut simplicis. Vesperae de sequenti, etiam ubi festum s. Remigii duplex est (S. C.). cum commemoratione praecedentis.

2. Octobris. — SS. Angelorum Custodum, duplex. Of-

ficium ac Missa propria. Si festum ss. Angelorum Custodum concurrat cum quocumque duplici minori, quod non sit altioris dignitatis, Vesperae integrae dicuntur de ss. Angelis Custodibus. In Hymnis nihil variandum est. Ubi hoc festum Dominica prima Septembris celebratur, non debet de eodem iterum fieri officium die secunda Octobris (S. C.).

3. Octobris. — Si festum Impressionis stigmatum s. Francisci in hanc diem transferatur, illius commemoratio non fit in secundis Vesperis.

4. Octobris. — S. Francisci Assisiatis, Confessoris, duplex. Lectiones propriae vel de Communi. Missa propria. In Vesperis commemoratio sequentis.

5. Octobris. — SS. Placidi et sociorum, Martyrum, simplex. Tertia Lectio propria.

6. Octobris. — S. Brunonis, Confessoris, duplex. Oratio et Lectiones in secundo Nocturno de Proprio. In Vesperis commemoratio s. Marci, Papae et Confessoris, ac ss. Sergii et sociorum, Martyrum.

7. Octobris. — S. Marci, Papae et Confessoris, simplex. Tertia Lectio propria. Commemoratio ss. Sergii et sociorum, Martyrum, in Laudibus ac Missa. Vesperae de sequenti.

8. Octobris. — S. Birgittae, Viduae, duplex ex decreto Benedicti XIII. anni 1724. In secundo Nocturno Lectiones de Proprio. In Vesperis fit commemoratio sequentis.

9. Octobris. — SS. Dionysii, Rustici et Eleutherii, Martyrum, semiduplex. In secundo et tertio Nocturno Lectiones de Proprio. Oratio propria, nec variatur, licet hoc festum transferatur (S. C.). Vesperae a Capitulo de sequenti. In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius Versus.

10. Octobris. — S. Francisci Borgiae, Confessoris, semiduplex. Oratio ac Lectiones secundi Nocturni propriae. In regno Hispaniae hoc festum celebratur sub ritu duplici secundae classis.

13. Octobris. — S. Eduardi, Regis et Confessoris, semiduplex. Oratio ac Lectiones in secundo Nocturno propriae. In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius Versus. Vesperae de sequenti cum commemoratione praecedentis.

14. Octobris. — S. Callisti, Papae et Martyris, duplex ex decreto Pii VII. anni 1808. In secundo Nocturno Lectiones propriae. Vesperae a Capitulo de sequenti, Hymnus ac Oratio de Proprio.

15. Octobris. — S. Theresiae, Virginis, duplex. In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente (S. C.), in secundo Nocturno Lectiones, Oratio, Hymni Matutini et Laudum de Proprio. Si non fit de s. Theresia in primis Vesperis, saltem a Capitulo, Hymnus ex primis Vesperis dicitur ad Matutinum, et Hymnus ex Matutino ad Laudes (Cav. Tet.).

17. Octobris. — S. Hedwigis, Viduae, semiduplex ex decreto Clementis XII. anni 1706; secundi Nocturni Lectiones ac Oratio propriae. Vesperae de sequenti sine commemoratione.

18. Octobris. — S. Lucae, Evangelistae, duplex secundae classis. Lectiones de Proprio vel de Communi Evangelistarum. In Missa *Credo,* Praefatio Apostolorum. In Vesperis fit commemoratio sequentis.

19. Octobris. — S. Petri de Alcantara, Confessoris, duplex ex decreto Clementis XI. anni 1701. Oratio ac Lectiones secundi Nocturni propriae. In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius Versus, praeterquam in locis, in quibus primae Vesperae dicuntur de s. Petro, qui 18. Octobris obiit (S. C.). Vesperae a Capitulo de sequenti (Hymnus *Gentis Polonae*).

20. Octobris. — S. Joannis Cantii, Confessoris, duplex ex decreto Pii VI. anni 1782. Hymni proprii. Si hoc festum non habeat secundas Vesperas integras, Hymnus harum Vesperarum anticipandus est in Laudibus (S. C.). Lectiones secundi Nocturni ac Oratio propriae. In Vesperis commemoratio s. Hilarionis, Abbatis, ac ss. Ursulae et sociarum, Virginum et Martyrum.

22. Octobris. — S. Hilarionis, Abbatis, simplex. Lectiones secunda et tertia propriae. Commemoratio ss. Ursulae et sociarum, Virginum et Martyrum in Laudibus ac Missa. Si habeatur reliquia insignis unius ex sociis s. Ursulae, officium ss. Ursulae et sociarum fit sub ritu duplici vel semiduplici sine divisione, cum commemoratione s. Hilarionis, Abbatis

(S. C.). Tunc dicitur Missa *Loquebar,* Epistola ex Missa *Vultum tuum,* ac Oratio de Communi plurimarum Virginum Martyrum, cum *Credo,* si insignis reliquia habeatur.

24. Octobris. — In pluribus locis celebratur festum s. Raphaelis Archangeli, sub ritu duplici. Officium ac Missa propria, in qua dicitur *Credo.* In Vesperis commemoratio sequentis.

25. Octobris. — SS. Chrysanthi et Dariae, Martyrum, simplex. Tertia Lectio et Oratio propriae. Vesperae feriales a Capitulo de sequenti.

26. Octobris. — S. Evaristi, Papae et Martyris, simplex. Tertia Lectio propria.

27. Octobris. — Vigilia ss. Simonis et Judae. Lectiones leguntur de homilia s. Augustini Episcopi, in Evangelium *Ego sum vitis vera,* cum Responsoriis feriae occurrentis. Oratio propria. Preces feriales. In Canone Missae, nominibus ss. Apostolorum Simonis et Judae caput inclinandum.

28. Octobris. — SS. Simonis et Judae, Apostolorum, duplex secundae classis. Lectiones propriae, praeter quintam et sextam, quae leguntur de Communi Apostolorum. In Missa *Credo,* Praefatio Apostolorum; in Canone Missae caput inclinandum (R.). Si eos separari contingat, quia alteruter est principalis Patronus vel Titularis; tunc in primo Nocturno officii s. Simonis leguntur Lectiones de Communi, et in officio s. Judae Lectiones ejusdem Epistolae. Lectio quarta, quia dividi non potest, legi potest in alterutrius festo, item Evangelium cum homilia. Oratio legitur in singulari, et si ratione occurrentiae vel concurrentiae varianda sit, pro commemoratione facienda sumi potest Oratio ex Missa Vigiliae de Communi Apostolorum, *Da quaesumus,* omittendo *Quam praevenimus,* quae ponitur in Vigilia s. Mathaei, 21. Septembris (vide supra dicta 1. Maii).

31. Octobris. — Vigilia Omnium Sanctorum. Officium feriale cum Lectionibus propriis. Si hac die celebretur festum sub ritu semiduplici, non secus dicuntur suffragia ad Laudes, et tunc secunda Oratio in Missa dicitur de Vigilia, et tertia *A cunctis* (S. C.). Vesperae de sequenti sine commemoratione, nisi festum secundae classis celebratum fuerit (Tet.).

§. XI. De festis mensis Novembris.

Hoc mense Lectiones primi Nocturni sumuntur ex libris Ezechielis, Danielis et duodecim minorum Prophetarum. Si November habeat quinque Dominicas, tunc secunda Dominica leguntur Lectiones de Ezechiele; si vero habuerit tantum quatuor, Dominica secunda legetur liber Danielis, qui ponitur in tertia Dominica, et sabbato Antiphona ad *Magnificat,* est *Muro tuo;* et duabus sequentibus hebdomadis legentur Prophetae minores, sicque legendum, ut omnium Prophetarum saltem una Lectio legatur, etiamsi tria initia eadem die legantur, vel Lectiones minorum Prophetarum Lectionibus de Proprio aut de Communi substituantur (S. C.).

In toto territorio reipublicae Gallicanae, ex indulto pro reductione festorum, anniversarium Dedicationis omnium ecclesiarum consecratarum celebrari debet in Dominica, quae subsequitur diem octavam Omnium Sanctorum, sub ritu duplici primae classis.

Ex decretis sacrorum rituum Congregationis circa festum anniversarii Dedicationis omnium ecclesiarum latis deduci possunt sequentia:

1. Presbyteros ecclesiae parochiali addictos hoc festum cum octava celebrare teneri, commemorationem autem ecclesiae cathedralis addere non debere (S. C.).

2. Presbyteros vero, quorum ecclesia non est consecrata, vel si subsit dubium an eorum ecclesia sit consecrata, celebrare teneri festum dedicationis ecclesiae cathedralis eodem ritu, cum octava, si in urbe episcopali morantur, et sine octava, si in illa non morantur, nisi tamen *praedicta octava in directorio Romae approbato annotetur.* Nunc octava fit ubique. [1]

3. In hoc festo quascunque Missas votivas atque Missas defunctorum prohiberi, eidemque festo festum Patroni, sive occurrens, sive concurrens cedere debere.

---

[1] Si infra octavam fiat officium Dedicationis unius ex basilicis Urbis, pro commemoratione octavae sumitur oratio *Deus, qui invisibiliter* (S. C.).

4. Notandum circa officium dedicationis: in die octava semper repetendae sunt Lectiones in primo Nocturno, quae jam lectae fuerunt in primo Nocturno diei consecrationis. Idem est de Lectionibus tertii Nocturni, in die octava dedicationis, scilicet semper repetendae in tertio Nocturno, quae jam lectae fuerunt in tertio Nocturno diei consecrationis, nisi omnes octavae lectae non fuerint; quo casu priores Lectiones ordine suo leguntur. In Missa, *Gloria* et *Credo* infra totam octavam, Praefatio communis, praeterquam in Dominica. Extra ecclesiam non consecratam omittitur tota parenthesis Secretae, ut annotatur in Missali.

5. Anniversarium dedicationis celebrandum comprehendit etiam ecclesias, quae postea consecrantur (S. C.); et duodecim cruces, quae in dedicatione ecclesiae pinguntur in parietibus, vel inciduntur, omnino perpetuis futuris temporibus remanere debent, in testimonium consecrationis ecclesiae. In anniversario candelis accensis istae cruces ornentur.

Festum Patrocinii B. M. V. celebratur in multis locis in aliqua Dominica Novembris, sub ritu duplici majori. Haec vero Dominica designanda est ab Ordinariis locorum (Cav. Tet.), qui hoc festum sine indulto speciali transferre non possunt (S. C.). Officium hujus festi, paucis exceptis, fit ut in festo sanctae Mariae ad Nives. Si hoc festum ad Adventum transferatur, in Missa et officio nihil variandum est praeter nonam Antiphonam, cui substituitur *Angelus Domini*, et loco Versus Gradualis *Post partum*, sumitur Versus ex Missa votiva beatae Mariae tempore Adventus (S. C.).

1. Novembris. — Festum Omnium Sanctorum, duplex primae classis cum octava, et festum de praecepto. Hoc festum cuicunque festo concurrenti et occurrenti praefertur. In Missa *Credo*, Praefatio communis. Post Vesperas diei, dicto *Benedicamus Domino* etc., omissoque Versu *Fidelium animae*, dicuntur vel cantantur in choro Vesperae defunctorum, ritu duplici (R.), infra quas Sacerdos stolam inducre potest (S. C.).

2. Novembris. — De secunda die infra octavam, semiduplex. Commemoratio omnium fidelium defunctorum. Officium defunctorum et Missa de Requiem.

1. Post Laudes diei, dicto *Benedicamus Domino*, absolute incipit Matutinum defunctorum, ab Invitatorio, cum Psalmo *Venite*, et tribus Nocturnis, in quibus duplicantur Antiphonae. Dicitur nonum Responsorium *Libera me, Domine, de morte, aeterna*. Ad Laudes similiter duplicantur Antiphonae: et in fine Laudum non dicitur Psalmus *De profundis*, sed dicto *Pater noster*, dicuntur Preces et Oratio *Fidelium Deus* tantum, ut supra in Vesperis (R.). Conclusio Orationis longa est (S. C.).

2. Omnes Missae celebrandae sunt de Requiem in paramentis nigris, etiamsi officium fiat de duplici. Pro Missa sumitur prima e quatuor pro defunctis cum unica Oratione *Fidelium;* quae tamen Missa applicari potest *ad libitum* Sacerdotis, vel pro omnibus defunctis, vel pro aliquibus tantum (S. C.), et quidem, ob causas graves, Missa applicari potest viventi, v. gr. moribundo etc. (Tet.). Occurrente autem die depositionis defuncti, praesente cadavere, cantanda est Missa, ut in die obitus (S. C.). Missa pro *sponso* et *sponsa* est unica votiva quae hodie dici potest (S. C.).

3. Matutinum cum Laudibus defunctorum pridie licite recitari potest (S. C.), sed in choro Matutinum commemorationis defunctorum recitari non potest in die festivitatis Omnium Sanctorum, post Completorium, sed recitandum est mane die 2. Novembris, nisi ut populus commodius et frequentius illi interesse possit, contraria jam faceret consuetudo (S. C.).

4. In commemoratione fidelium defunctorum fieri potest officium duplex minus occurrens, imo festum duplex minus translatum, modo 1° pro repositione nullus supersit dies usque ad finem anni, vel casu, quo non poneretur, aliud festum omittendum sit; 2° modo duplex majus vel primae aut secundae classis, non sit simul translatum, quia cum duplex majus vel primae aut secundae classis in hac die fieri nequeat, neque duplex minus ante festa majoris ritus reponi possit, sequitur, in hoc casu nullum ex translatis esse admittendum; 3° modo haec translatio sit accidentalis (S. C.). Neque fieri potest in praedicta commemoratione fidelium defunctorum officium duplex majus aut ritus superioris, neque festum, quod cum extrinseca solemnitate et concursu populi celebratur (S. C.). Si tamen timeantur obmurmurationes,

scandala etc. in populo, si haec solemnitas non celebretur, cantari licet una tantum Missa solemnis (S. C.).

5. Si commemoratio fidelium defunctorum occurrat in Dominica, transfertur in feriam secundam sequentem juxta rubricas Missalis et Breviarii (R.), nisi sit festum de praecepto, ut festum Patroni loci, v. gr. ubi s. Hubertus est Patronus principalis loci; tunc occurrente Dominica in 2. Novembris, commemoratio defunctorum transferri debet in diem post festum Patroni, et in casu in 4. diem Novembris (Cav. Tet.): sed illud in his partibus non servatur.

6. Die commemorationis fidelium defunctorum et infra octavam post officium vespertinum, populo cum ss. Sacramento benedicere licet, ubi viget talis consuetudo (S. C.).

3. Novembris. — De octava, semiduplex. Si prima dies post festum omnium Sanctorum fuerit Dominica, fit officium de ea, ut in rubricis generalibus, et officium defunctorum transfertur in sequentem feriam secundam, ita ut post Vesperas Dominicae dicantur Vesperae defunctorum, Matutinum vero post Laudes feriae secundae, quae erit tertia dies infra octavam, nisi in locis, in quibus festum Patroni loci celebratur. Vesperae de sequenti cum commemoratione octavae, et ss. Vitalis et Agricolae, Martyrum (R.).

4. Novembris. — S. Caroli, Episcopi et Confessoris, duplex. In secundo Nocturno Lectiones ac Oratio propriae. Commemoratio octavae et ss. Vitalis et Agricolae, Martyrum, in Laudibus ac Missa.

7. Novembris. — Ad Vesperas, omnia dicuntur sicut in primis Vesperis festi, cum commemoratione ss. Martyrum Quatuor Coronatorum, Antiphona *Istorum est,* Versus *Exultabunt* ex Laudibus (R.).

8. Novembris. — Octava Omnium Sanctorum, duplex. Lectio et commemoratio ss. Quatuor Coronatorum Martyrum in Laudibus (Versus *Laetamini)* ac Missa. Vesperae a Capitulo de sequenti, commemoratio praecedentis et s. Theodori, Martyris. Si crastina die celebretur Dedicatio ecclesiarum, non fit commemoratio octavae, sed Dominicae.

9. Novembris. — Dedicatio Basilicae s. Salvatoris, duplex.

In primo et secundo Nocturno Lectiones propriae; reliqua de Communi. Nona Lectio et commemoratio s. Theodori, Martyris in Laudibus ac Missa. In Vesperis commemoratio sequentis et ss. Tryphonis et sociorum, Martyrum.

10. Novembris. — S. Andreae Avellini, Confessoris, semiduplex pro universali Ecclesia ex decreto Benedicti XIII. anni 1725., et duplex in tota Italia, Sardinia et insulis Italiae adjacentibus tantum, ex decreto Clementis XIV. anni 1769. Nunc vero ubique ex decreto 1. Febr. 1864. Oratio ac Lectiones secundi Nocturni propriae. Nona Lectio et commemoratio ss. Tryphonis et sociorum, Martyrum, in Laudibus ac Missa. Vesperae a Capitulo de sequenti cum commemoratione praecedentis et s. Mennae, Martyris.

11. Novembris. — S. Martini, Episcopi et Confessoris, duplex. Officium ac Missa propria. Nona Lectio et commemoratio s. Mennae, Martyris in Laudibus ac Missa. In Vesperis fit commemoratio sequentis.

Si Dominica 22. post Pentecosten venerit die undecima Novembris, loco Secretae hujus Dominicae, dicitur Secreta Dominicae 23. post Pentecosten, ne eadem bis dicatur. Similiter si dicatur imperata *Deus refugium*, sumatur Secreta *Suscipe, Domine*, ex Missa Dominicae 23. sequentis (S. C.).

Ubi s. Martinus est Patronus loci; festum duplex primae classis cum octava, sine commemoratione s. Mennae, Martyris. Solemnitas transfertur in Dominicam sequentem. Si s. Martinus sit Titularis ecclesiae, officium idem est, sed non habetur neque feriatio neque solemnitas. Casu, quo festum s. Martini Patroni occurrat cum festo dedicationis, transfertur officium in primam diem non impeditam (in 14. si non habeatur festum proprium) et solemnitas ad octo dies reponitur, sed die 14. non habetur feriatio in populo. Si vero festum s. Martini concurrat cum festo Dedicationis, Vesperae integrae dicuntur de festo Dedicationis, etiam si sit festum Dedicationis cathedralis ecclesiae, non propriae, et sine octava (S. C.).

12. Novembris. — S. Martini, Papae et Martyris, semiduplex. In secundo Nocturno Lectiones propriae. Octavum Responsorium: *Domine, praevenisti.* Vesperae a Capitulo de sequenti, commemoratio praecedentis.

13. Novembris. — S. Didaci, Confessoris, semiduplex. Oratio ac Lectiones secundi Nocturni propriae. Si de s. Martino integrae Vesperae dictae fuerint, in Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius versus. In pluribus locis celebratur hodie festum s. Stanislai Kostka, sub ritu duplici.

Si s. Brixius sit Patronus, festum s. Felicis de Valois, die 20. hujus mensis, ab Episcopo in diem fixam transferri debet. Similiter agendum est quoad festum s. Didaci; quod si factum non fuerit, tunc festum s. Didaci ordinarie in sequentem diem transferatur, prius quocumque festo duplici jam translato.

15. Novembris. — S. Gertrudis, Virginis, duplex ex decreto Clementis XII. anni 1739. Lectiones secundi Nocturni propriae.

17. Novembris. — S. Gregorii Thaumaturgi, Episcopi et Confessoris. Hujus officium celebrandum est sub ritu semiduplici, et Romae tantum, ex privilegio, sub ritu duplici minori (hocque notandum est etiam pro quibusdam aliis festis, ut ss. Vincentii et Anastasii, Martyrum, quae Romae ex privilegio sub ritu duplici celebrantur). In secundo ac tertio Nocturno Lectiones propriae, praeter tertiam Lectionem secundi Nocturni, quae legitur de Communi. Vesperae de sequenti, et si festum s. Gregorii celebretur sub ritu duplici, Vesperae dicuntur a Capitulo de sequenti cum commemoratione praecedentis.

18. Novembris. — Dedicatio Basilicarum ss. Petri et Pauli, duplex. Lectiones propriae; reliqua de Communi dedicationis. In Secreta omittitur parenthesis. Vesperae a Capitulo de sequenti, cum commemoratione Dedicationis et s. Pontiani, Papae et Martyris.

19. Novembris. — S. Elisabeth, Viduae, duplex. Lectiones secundi Nocturni ac Oratio propriae. Nona Lectio et commemoratio s. Pontiani in Laudibus ac Missa. Vesperae a Capitulo de sequenti, cum commemoratione praecedentis; in Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius Versus.

20. Novembris. — S. Felicis de Valois, Confessoris, duplex. Oratio ac Lectiones secundi Nocturni propriae. Lectiones tertii Nocturni de Communi Confessoris non Pontificis *secundo loco,* homilia in Evangelium *Nolite timere.* Missa *Justus.* Vesperae de sequenti, commemoratio praecedentis.

21. Novembris. — Praesentatio B. M. V., duplex majus. Oratio ac Lectiones secundi Nocturni propriae; reliqua ut in festo s. Mariae ad Nives die 5. Augusti, praeterquam quod in septimo Responsorio loco *festivitatem* dicitur *praesentationem*. Ad Primam, in Responsorio brevi, dicitur Versus *Qui natus es de Maria Virgine*. In Vesperis commemoratio sequentis, Antiphona ac Oratio propriae. Praefatio de Beata, *Et te in praesentatione*.

22. Novembris. — S. Caeciliae, Virginis et Martyris, duplex. Officium proprium. In Canone Missae nomini s. Caeciliae caput inclinandum (Tet.). Vesperae a Capitulo de sequenti, Antiphonae propriae, cum commemoratione s. Felicitatis, Martyris.

23. Novembris. — S. Clementis, Papae et Martyris, duplex ex decreto Pii VII. anni 1804. Officium ac Missa propria. Nona Lectio et commemoratio s. Felicitatis in Laudibus ac Missa. In Canone Missae nomini *Clementis*, non autem *Felicitatis* caput inclinandum (Tet.). Vesperae a Capitulo de sequenti. In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius Versus; commemoratio praecedentis et s. Chrysogoni, Martyris.

24. Novembris. — S. Joannis a Cruce, Confessoris, prius semiduplex ex decreto Clementis XII. anni 1738, deinde duplex ex decreto Clementis XIV. anni 1769. Lectiones secundi Nocturni ac Oratio propriae. Nona Lectio et commemoratio s. Chrysogoni in Laudibus ac Missa. In Canone Missae nomini *Chrysogoni* caput inclinandum. Vesperae a Capitulo de sequenti, commemoratio praecedentis.

25. Novembris. — S. Catharinae, Virginis et Martyris, duplex. Oratio ac Lectiones secundi Nocturni propriae. In Vesperis commemoratio s. Petri, Episcopi et Martyris.

26. Novembris. — S. Petri Alexandrini, Episcopi et Martyris, simplex. Tertia Lectio propria.

28. Novembris. — Ad Vesperas commemoratio s. Saturnini, Martyris (R.).

Si festum s. Andreae venerit feria secunda, de Vigilia fit officium in sabbato praecedenti (hodie), et commemoratio s. Saturnini in Dominica, in Laudibus ac Missa.

29. Novembris. — Vigilia s. Andreae, Lectiones ac Oratio propriae. Commemoratio s. Saturnini in Laudibus ac Missa.

Si dies 29. venerit in Dominica, die 28. hujus officium de Vigilia fieri debuit; si vero venerit in sabbato, fieri nihilominus debet officium de Vigilia, quamvis festum s. Andreae transferatur.

Si Vigilia s. Andreae occurrat tempore Adventus, tunc in officio nihil fit de Vigilia, sed omnia fiunt de feria cum commemoratione s. Saturnini. Missa autem, si festum novem Lectionum non occurrat, dicitur de Vigilia, cum commemoratione feriae et s. Saturnini.

Et si festum novem Lectionum tunc occurrat, in Missa fit commemoratio feriae, Vigiliae, ac s. Saturnini, et in fine Missae legitur Evangelium Vigiliae, licet de Vigilia in officio nihil factum fuerit (S. C.).

30. Novembris. — S. Andreae, Apostoli, duplex secundae classis. In Adventu fit commemoratio de feria. Infra Missam, in Oratione, Graduali, Evangelio, Canone ac Oratione *Libera nos,* caput inclinari debet ad nomen *Andreae.*

§. XII. De festis mensis Decembris.

Festa Sanctorum post mensem Decembrem transferri non possunt, et omitti debent, si non adsit dies non impedita, in quam reponi possint; integre tamen non omittuntur, sed quando toto anni decursu de illis festis celebrari non valet, tunc in illo anno, diebus eorum propriis, consideranda sunt ut festa simplicia, faciendo illorum commemorationem, ut fit de simplicibus cum nona Lectione ad Matutinum (vide pag. 467.).

2. Decembris. — S. Bibianae, Virginis et Martyris, semiduplex. Oratio ac Lectiones secundi Nocturni propriae. In Adventu fit commemoratio feriae in Laudibus ac Missa. Vesperae de sequenti cum commemoratione praecedentis.

Si festum s. Bibianae occurrat in prima Dominica Adventus, nec transferri potuerit in aliquam diem mensis, fit commemoratio ejus in Laudibus ac Missa, sed sine nona Lectione, cum in Dominicis Adventus *Te Deum* recitari non possit (G. Cav. Tet.).

3. Decembris. — S. Francisci Xaverii, Confessoris, duplex. Oratio ac Lectiones secundi et tertii Nocturni propriae. Commemoratio feriae in Laudibus ac Missa. Vesperae a Capitulo de sequenti cum commemoratione praecedentis, feriae et s. Barbarae, Virginis et Martyris. In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius Versus.

4. Decembris. — S. Petri Chrysologi, Episcopi, Confessoris, et Ecclesiae Doctoris, duplex ex decreto Benedicti XIII. anni 1729. In primo Nocturno Lectiones de Communi, in secundo propriae, item Oratio propria. Antiphona ad *Magnificat O Doctor.* In Oratione dicitur *Chrysologum* (S. C.). Commemoratio feriae et s. Barbarae in Laudibus ac Missa. In Missa *Credo.* Communio dicitur *Domine quinque talenta.* In Vesperis commemoratio feriae et s. Sabbae, Abbatis.

Si contingat, in aliquibus locis celebrari festum s. Barbarae sub ritu duplici, festum s. Petri Chrysologi transferatur ad diem fixam (S. C.).

5. Decembris. — De feria cum commemoratione s. Sabbae, Abbatis, in Laudibus ac Missa. Vesperae de sequenti cum commemoratione feriae.

6. Decembris. — Nicolai, Episcopi et Confessoris, duplex. Lectiones secundi Nocturni ac Missa propriae. Commemoratio feriae in Laudibus ac Missa. Vesperae a Capitulo de sequenti. Ad *Magnificat* Antiphona *O Doctor,* cum commemoratione s. Nicolai et feriae. In Hymno *Iste Confessor* mutatur tertius Versus.

7. Decembris. — S. Ambrosii, Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex. In primo Nocturno Lectiones de Communi Confessoris Pontificis. In secundo Nocturno Lectiones propriae. In Missa *Credo.* Commemoratio feriae in Laudibus ac Missa. Vesperae de sequenti propriae, cum commemoratione praecedentis et feriae. Hymnus Completorii et omnes alii ejusdem metri per totam octavam sequentem, concluduntur *Jesu . . . Qui natus es de Virgine,* et in Responsorio brevi ad Primam dicitur, *Qui natus es de Maria Virgine.*

8. Decembris. — Immaculata Conceptio B. M. V., duplex secundae classis cum octava. Hodie pro Gallia et aliquibus

regionibus festum abrogatum. Officium proprium ac novum ex decreto Pii IX. 25. Sept. 1863. omnibus antiquis abrogatis. Commemoratio feriae in Laudibus ac Missa propria, *Credo* per totam octavam, et Praefatio de Beata: *Et te in Conceptione immaculata.* In Vesperis commemoratio feriae.

Si hoc festum venerit in Dominica secunda Adventus, transferri debet in feriam secundam sequentem, cum nuper ei concessum fuerit privilegium, quo gaudebant festa tum Purificationis, tum Annuntationis B. M. V. (S. C.).

Per octavam Hymni etiam de Tempore concluduntur *Jesu tibi sit,* et ad Primam in Responsorio dicitur *Qui natus es.* Itemque *Credo* et Praefatio de *Beata.*

Si octava Patroni eadem die cum octava Conceptionis occurrat, dies octava Patroni diei octavae praedictae Conceptionis praefertur.

Dominica infra octavam, duae tantum Orationes dicuntur, nisi simul commemoratio simplicis facienda sit.

Occurrente autem feria Quatuor Temporum infra octavam immaculatae Conceptionis B. M. V. debet recitari officium de die infra octavam; Missa vero, sive una cantetur, sive legatur, sit de feria Quatuor Temporum cum secunda Oratione de octava, et tertia de Spiritu sancto, quae semper dicitur infra dictam octavam, et cum Praefatione de octava (S. C.), sine *Gloria* et *Credo* (AA.).

9. Decembris. — De prima die infra octavam. Commemoratio feriae in Laudibus ac Missae. In Vesperis fit commemoratio feriae et s. Melchiadis, Papae et Martyris.

10. Decembris. — De secunda die infra octavam, semiduplex. Commemoratio feriae et s. Melchiadis, Papae et Martyris. Vesperae a Capitulo de sequenti cum commemoratione octavae et feriae.

In statu ecclesiastico festum translationis domus Lauretanae sub ritu duplici majori celebratur.

11. Decembris. — S. Damasi, Papae et Confessoris, semiduplex. Lectiones secundi Nocturni ac Oratio propriae. Commemoratio octavae et feriae in Laudibus ac Missa. Praefatio octavae. Vesperae a Capitulo de octava, ut in secundis Vesperis,

commemoratio s. Damasi, Papae, Antiphona *Dum esset,* et feriae. In Missa *Credo*, Praefatio de Beata. Si Sacerdos velit dicere Missam votivam B. M. V., sumat Missam de Immaculata Conceptione cum *Gloria,* sed absque *Credo* (S. C.).

12. Decembris. — De quinta die infra octavam, semiduplex. Commemoratio feriae in Laudibus ac Missa. Vesperae de sequenti, Antiphonae propriae, cum commemoratione octavae et feriae.

13. Decembris. — S. Luciae, Virginis et Martyris, duplex. Officium totum quasi proprium. Commemoratio octavae et feriae in Laudibus ac Missa. Quoad Hymnos et Missam vide 8. hujus.

14. Decembris. — De septima die infra octavam, semiduplex. Commemoratio feriae in Laudibus ac Missa. Ad Vesperas, duplex; omnia dicuntur sicut in primis Vesperis festi cum commemoratione feriae.

Quando occurrit hac die festum duplex minus, vel quando festum s. Luciae occurrens in Dominica tertia Adventus, transferendum est in diem sequentem, tunc in secundis Vesperis illius duplicis minoris vel s. Luciae, omnia dicuntur de die octava Immaculatae Conceptionis, ut in primis Vesperis festi, cum commemoratione illius festi duplicis minoris aut s. Luciae et feriae.

Si hodie occurrat feria Quatuor Temporum, officium fit de octava, cum nona Lectione et commemoratione feriae; Missa autem dicitur de feria, seu Quatuor Temporibus in paramentis violaceis (vide 8. hujus).

Si dies octava Immaculatae Conceptionis B. M. V. inciderit in Dominicam tertiam Adventus, Vesperae in sabbato praecedenti (scilicet hodie) dicuntur de feria, ut in Psalterio, scilicet Antiphona *Benedictus,* Psalmi de sabbato, et a Capitulo fit de Dominica, cum commemoratione diei octavae, ut in primis Vesperis festi. Haec fiunt, si recitatum fuerit septimae diei octavae officium; occurrente autem festo, Vesperae dicuntur vel integrae de festo, vel a Capitulo de Dominica, cum commemorationeoctavae, ultimo loco.

15. Decembris. — Octava Immaculatae Conceptionis B.M. V., duplex. Lectiones primi Nocturni ut in festo. Commemoratio

feriae in Laudibus ac Missa. In Vesperis omnia ut in secundis Vesperis festi, cum commemoratione sequentis et feriae.

Si octava Immaculatae Conceptionis B. M. V. occurrerit in Dominica, tunc de octava praedicta tantum fit commemoratio, Hymni autem concluduntur, Responsoria brevia ad Primam, ac Praefatio dicuntur ut in ipso festo B. Mariae Virginis (R.). In Vesperis, si die sequenti festum duplex celebretur, fit commemoratio octavae ante commemorationem sequentis (Tet.).

16. Decembris. — S. Eusebii, Episcopi et Martyris, semiduplex ex decreto Benedicti XIII. anni 1728. Lectiones secundi Nocturni propriae. Octavum Responsorium *Domine, praevenisti.* Commemoratio feriae ubique.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente, sed in feria Quatuor Temporum Lectiones primi Nocturni erunt *A Mileto,* de Communi.

Si crastina die occurrat dies octava, de illa in Vesperis hujus diei nihil fit.

17. Decembris. — 1. Feriales et propriae Antiphonae ad Laudes et per Horas (quae in Breviario secundum ordinem cujusque feriae post tertiam Dominicam Adventus ponuntur) dicuntur in sex feriis ante Vigiliam Nativitatis, incipiendo die 17. Decembri ab Antiphonis, quae feriae illius diei assignantur. Similiter et aliae dicuntur in propriis feriis. Quod si dies 17. fuerit Dominica, Antiphonae inchoantur sequenti feria 2., quae erit dies 18. Quae autem dicendae essent die, in quo occurrit festum s. Thomae, dicuntur in sabbato, cum Psalmis sabbati, quarta Antiphona praetermissa, cujus loco dicitur, Antiphona *Exspectetur;* nisi Vigilia Nativitatis venerit in Dominica; tunc enim in sabbato dicuntur Antiphonae de Laudibus Dominicae, quarta praetermissa, cujus loco dicitur Antiphona *Exspectetur;* Antiphona ad *Benedictus,* et Oratio dicitur ut in sabbato Quatuor Temporum ponitur. Antiphonae vero de Laudibus, quae occurrunt in die s. Thomae, eo anno praetermittuntur; et in Dominica tunc dicuntur Antiphonae de Vigilia, ut dicetur in rubrica de hac Vigilia. Similiter omittitur Antiphona *Exspectetur,* quando illud festum in sabbato venerit (R.).

2. Antiphonae tamen feriales propriae, ob festa tam occurrentia, quam translata, saepe omittuntur (S. C.).

3. Antiphonae dictae majores (quarum prima *O sapientia)* ad *Magnificat,* inchoantur die 17. Decembris, et singulae ante et post *Magnificat,* integrae sicut in duplicibus, dicuntur per ordinem, usque ad diem ante Vigiliam Nativitatis. Si vero festum fuerit, dicuntur post Orationem festi, pro commemoratione Adventus (R.).

4. A die decima septima Decembris (seu a die, qua incipiunt Antiphonae majores *O sapientia* etc.) usque ad festum Epiphaniae, ubique inclusive, quaevis octava cessat, sive incipiat, sive ad finem tendat. De quo nonnulla attigimus loquendo de Patronis.

18. Decembris. — Ad secundas Vesperas, ad *Magnificat* Antiphona *O Adonai.*

Festum Exspectationis B. M. V. aliquibus locis indultum sub ritu duplici majori. Officium proprium. Commemoratio feriae in Laudibus ac Missa. Licet hoc festum sit festum B. M. V., omnes Hymni, etiam *Verbum supernum* ad Matutinum concluduntur: *Virtus, honor, laus, gloria,* ut in Dominica prima Adventus; et in Responsorio brevi ad Primam dicitur: *Qui venturus es in mundum* (S. C.) Si hoc festum occurrat in feria quarta Quatuor Temporum Adventus, non legitur nona Lectio feriae, sed loco homiliae, quae in festo assignatur, leguntur tres Lectiones de homilia feriae quartae Quatuor Temporum cum Responsoriis in festo positis; et in fine Missae non dicitur Evangelium feriae, quod idem est cum Evangelio festi, sed Evangelium *s. Joannis* (S. C.). In Missa *Credo,* Praefatio de Beata: *Et te in Exspectatione B. M. semper Virginis,* omissa voce *Partus* (S. C.).

19. Decembris. — Antiphona *O radix.* Si festum s. Thomae venerit in secunda feria, hac die fit de Vigilia anticipata ejusdem s. Thomae.

20. Decembris. — Vigilia s. Thomae, officium fit de feria Adventus aut Quatuor Temporum, et nihil in eo fit de Vigilia. Missa de Vigilia cum commemoratione feriae, tertia Oratio *Deus, qui de B.,* nisi Vigilia occurrat in

feria secunda, quia tunc secunda Oratio erit *Fidelium*, et tertia feriae.

Si haec Vigilia occurrat in Quatuor Temporibus, Missa et officium de feria cum commemoratione Vigiliae, sine ejusdem Evangelio in fine Missae.

Si autem haec Vigilia venerit in sabbato et de feria officium fiat, in Laudibus atque aliis Horis dicantur Antiphonae feriae secundae post Dominicam quartam Adventus, cum Antiphona *Exspectetur*, siquidem festum s. Thomae in feriam secundam transferatur. Si tamen s. Thomas sit Patronus et in ipsa Dominica ejus festum celebretur, in Laudibus dicantur Antiphonae Dominicae, sine *Alleluja* et cum Antiphona *Exspectetur*. Tunc feria secunda dicantur Antiphonae huic feriae assignatae (G. Tet.).

Notandum est, in Canone Missae nomini s. Thomae caput inclinandum esse (Tet.).

21. Decembris. — S. Thomae, Apostoli, duplex secundae classis. Lectiones tertii Nocturni, Lectio prima secundi Nocturni, Oratio, Antiphonae ad *Benedictus* et ad *Magnificat*, in utrisque Vesperis, sunt propriae. Reliqua de Communi. Antiphona ferialis ad *Benedictus: Nolite timere,* et ad *Magnificat: O Oriens*. Si hoc festum venerit in Quatuor Temporibus, nona Lectio homilia ac Evangelium feriae. In Missa *Credo,* Praefatio Apostolorum ac inclinatio capitis in Canone Missae. Si vero festum s. Thomae venerit in Dominica, dicuntur ad *Benedictus* et *Magnificat* Antiphonae supra assignatae, et pro festo s. Thomae, quod est transferendum, sequentes Antiphonae sumuntur.

22. Decembris. — Antiphona *Magnificat: O rex gentium.*

23. Decembris. — Antiphona ad *Benedictus: Ecce completa,* et ad *Magnificat: O Emmanuel.*

Si hodie sit sabbatum, dicitur Nocturnum feriae cum Lectionibus Quatuor Temporum. Psalmi Laudum sabbati dicuntur sub Antiphonis quartae Dominicae Adventus, praetermissa quarta, cujus loco dicitur: *Exspectetur*. Omitti etiam debent *Alleluja* (G. Tet.). Item Vesperae dicuntur a Capitulo de Dominica.

24. Decembris. — Vigilia Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi. Ad Matutinum officium feriale, Invitatorium et Hymnus

ut proprio loco. Antiphonae et Psalmi feriae occurrentis; reliqua propria. Ad Laudes et alias Horas officium fit ritu duplici. Ad Primam tres tantum dicuntur Psalmi, et in fine dicitur Capitulum Nonae: *Per quem accepimus,* omissis Precibus, ut in duplicibus. Missa propria sine *Gloria* et *Credo,* Praefatio communis (Missa solemnis cum dalmaticis et tunicellis).

1. Si haec Vigilia venerit in Dominica, officium fit hoc modo: ad Matutinum, Invitatorium de Vigilia, *Hodie scietis.* Hymnus de Adventu, *Verbum supernum.* Antiphonae, Psalmi, Versiculi, Lectiones et Responsoria in primo et secundo Nocturno, dicuntur de Dominica quarta Adventus. In tertio Nocturno, Antiphonae et Psalmi, Versus de Dominica, tres Lectiones de homilia Vigiliae cum suis Responsoriis, et non legitur homilia Dominicae pro ultima Lectione. Laudes de Vigilia cum commemoratione de Dominica. Similiter et per Horas celebratur officium de Vigilia. In Missa *Credo* et Praefatio sanctissimae Trinitatis.

2. Si autem haec Vigilia occurrat in sabbato, ad Matutinum dicitur Psalmus: *Bonum est,* loco Psalmi *Jubilate* (G. Tet.).

3. In hac Vigilia, quae pluribus privilegiis gaudet, Oratio imperata, Missae votivae non solemnes, ac Missae defunctorum, corpore non praesente, prohibentur (S. C.).

4. Ad lectionem Martyrologii, quae solemniter fit, quando pronuntiantur verba: *In Bethlehem Judae nascitur* etc., genuflectunt omnes, praeter lectorem (G. Tet.), et surgunt ad verba: *Eodem die natalis sanctae Anastasiae* etc.

5. A primis Vesperis Nativitatis et deinceps, post Antiphonam *Alma,* dicitur Versus: *Post partum,* et Oratio *Deus, qui salutis* etc.

6. Hymni Completorii et alii ejusdem metri usque ad Vigiliam Epiphaniae inclusive, terminantur: *Jesu... Qui natus es de Virgine,* et in Responsorio brevi ad Primam dicitur Versus: *Qui natus es de Maria Virgine.*

25. Decembris. — Nativitas Domini Nostri Jesu Christi, festum de praecepto, duplex primae classis cum octava. In Vesperis commemoratio s. Stephani et in quibusdam locis, omnium ss. Martyrum.

1. In choro ad Matutinum, finito Hymno *Te Deum* et dicto *Benedicamus Domino*, celebratur prima Missa post mediam noctem ut in Ordinario: qua finita, dicuntur Laudes (R.). Post Orationem Matutini, non additur *Fidelium* (G. Tet.). Item a privato, qui dividit Matutinum a Laudibus, dicto *Te Deum*, Oratio Dominica ac Oratio officii diei addi debent (AA.).

2. Tres Lectiones primi Nocturni leguntur sine titulo. In primo Responsorio dicitur *Gloria Patri*, et repetitur totum Responsorium usque ad Versum. Ad Horas, praeterquam ad Primam, et ad Completorium, in Responsoriis brevibus duo *Alleluja* adduntur (AA.).

3. In festo Nativitatis Domini licet cuilibet Sacerdoti tres Missas celebrare. Nullus tamen Sacerdos, neque etiam Pastor, per se tenetur tres Missas celebrare, modo absit scandalum, sed prout libet, potest quisque semel, bis aut ter celebrare, quia tres Missas hac die celebrare est privilegium et non praeceptum (AA.). Notandum hic est, Sacerdotem, qui habet facultatem binandi, non ideo hac die sexies posse celebrare, sed tantum ter, quia nulla est necessitas. Item hoc intelligitur de Sacrificio non de Communione laicali; hinc qui more laicorum communicavit, non potest aut denuo Communionem sumere aut celebrare Missam. Qui in prima aut secunda Missa ablutionem inadvertenter sumit, aut per errorem aquam loco vini consecrat et sumit; non potest per se loquendo aliam Missam post hanc celebrare, defectu jejunii naturalis (AA.).

4. Sacerdos, qui unam tantum Missam celebrat, debet dicere primam aut tertiam (G.) aut illam, quae tempori celebrationis respondet (Pisart), aut tertiam (L. Tet.), aut demum quae libuerit (Suarez, Diana, Reiff.).

5. Per decretum 18. Septembris 1781. declaratur, non licere ante auroram in nocte Nativitatis celebrare Missam privatam, imo post Missam solemnem. Pariter nullo modo licet, et omni modo prohibitum est, in nocte Nativitatis Domini sacram Communionem distribuere, sive in Missa solemni, sive postea (S. C.), absque s. Sedis indulto.

6. Generaliter in oratoriis privatis ipsa die Nativitatis Christi, dici non potest Missa, si tamen dies Nativitatis non

excipiatur, in ipsis oratoriis privatis tres Missae dici possunt (S. C. C. Bened. XIV. bull.).

7. In Missa *Gloria, Credo,* Praefatio et *Communicantes* proprium per totam octavam (in prima vero Missa ad *Communicantes,* dicitur, *et hanc sacratissimam noctem celebrantes).* In secunda Missa fit commemoratio s. Anastasiae, cujus nomini caput inclinatur. Hodie in Missis solemnibus dum cantatur *Et incarnatus est,* et genuflectitur (R.) et simul caput inclinatur (S. C.), ut dictum est in festo Annuntiationis B. M. V. In duobus etiam Evangeliis tertiae Missae genuflectitur (R.).

8. Notanda pro Sacerdote tres Missas celebrante.

[A] In prima et secunda Missa ss. Sanguis diligentius hauriendus; calix super Altare reponitur, et manibus junctis, *Quod ore sumpsimus* etc. dicitur, dum calix patena et palla cooperitur, et *Corpus tuum* etc. dicitur more solito (M. G. Tet.).

[B] Quibus Orationibus dictis, digiti non in calice, sed in aliquo vase mundo abluuntur, modico vino et aqua a ministro superinfusis, quam ablutionem sumet Celebrans cum ablutione tertiae Missae (M. Cav. Tet.), vel distribuet communicantibus, aut in sacrarium mittet (G. Cav.). Attamen securiori modo, textuique rubricae conformiori aget, lavans digitos in aliquo vase cum aqua, ut fit post distributam Communionem (S. C.).

[C] Calix vero ante tertiam Missam non est abstergendus, neque purificatorio cooperiendus, uti nec os Celebrantis est abstergendum (AA.).

[D] Calix autem in secunda et tertia Missa ad Offertorium non debet poni super tobaleam aut Altaris mappam, sed teneri super corporale, quia verosimiliter adhuc aliquid de ss. Sanguine in calice mansit, sed ideo in transitu et reditu non est genuflectendum (S. C.).

[E] Si relinquat calicem super corporale, vel ad sacristiam referat, super corporale aut pallam diligentius deponat (AA.).

[F] In secunda et tertia Missa non teneat calicem extra corporale, ut vinum infundat, sed illum elevatum sustineat aut pallam calici supponat; inclinet etiam calicem, ut infundat vinum, quod immittit secundum interna calicis latera, ne guttulae cuppae ejus adhaereant. Si quae sint guttulae, non sunt

abstergendae, nisi casu, quo ceciderint in superiorem cuppae partem, et in latus lateri, ex quo ss. Sanguinem hausit oppositum (Tet.).

[G] Subdiaconus in unaquaque ex tribus Missis patenam sustinet (S. C.).

9. Quaecunque Missae votivae aut de Requiem in die Nativitatis Christi prohibentur (S. C.), et si exequiae fiant, non pulsentur campanae antequam omnia officia absolvantur (Cav. Tet.).

10. Octava Nativitatis Domini non excludit festa occurrentia, neque etiam festa translata, cum tale privilegium nullibi legitur (Cav. Tet.), sed Vesperae usque ad Capitulum infra octavam quotidie sunt de Nativitate ritu duplici, vel semiduplici, prout exigit festum occurrens, in majorem solemnitatem octavae Nativitatis, et ideo de octava Nativitatis commemoratio semper fit (AA.).

11. Per totam octavam in Missa *Credo,* Praefatio et *Communicantes* de Nativitate. Si tamen Missa stricte votiva solemnis habens Praefationem communem cantetur, dicatur Praefatio communis, non vero de Nativitate (S. C.).

12. Dominica infra octavam Nativitatis officium proprium habet, quacumque die venerit, saltem regulariter. Si praedicta Dominica occurrat in die Nativitatis vel una ex tribus diebus sequentibus, ejus officium transfertur in diem trigesimam Decembris; si autem occurrat in die vigesima nona, in festo s. Thomae, de ipsa fit, et festum s. Thomae in diem 30. transfertur. Si vero venerit in festo s. Silvestri, legitur ea die homilia Dominicae infra octavam Nativitatis, et sabbato praecedenti Lectiones primi et secundi Nocturni leguntur (R.). Si tamen tota octava Nativitatis festis duplicibus impediatur, de Dominica infra octavam tantum homilia legitur cum commemoratione ejusdem, in die, qua ejus officium fit in Ecclesia (S. C.).

26. Decembris. — S. Stephani, Protomartyris, festum pro Gallia et aliquibus regionibus abrogatum, secundae classis, et in quibusdam regionibus commemoratio omnium ss. Martyrum (vide 29. Junii). Officium proprium. Hymni concluduntur ut heri. Vesperae ut heri, a Capitulo de s. Stephano. Comme-

moratio omnium ss. Martyrum in locis, quibus concessio facta est, deinde sequentis, scilicet s. Joannis et octavae Nativitatis.

27. Decembris. — S. Joannis, Apostoli et Evangelistae, duplex secundae classis. Omnia ut in proprio, reliqua de Communi Apostolorum. Vesperae ut 25. hujus, a Capitulo de sancto Joanne, commemoratio sequentis et duarum octavarum Nativitatis et s. Stephani.

Si Patronus sit s. Joannes, primae et secundae Vesperae sunt de Nativitate, et a Capitulo de Patrono cum commemoratione, primum de praecedente aut sequente festo, et deinde de octava Nativitatis. Ubique fit commemoratio Nativitatis, sed in casu commemoratio aliarum octavarum omittitur. Infra octavam fit commemoratio octavae Patroni, post commemorationem octavae Nativitatis, ante commemorationem aliarum octavarum (Cav. Tet.).

28. Decembris. — SS. Innocentium, Martyrum, duplex secundae classis. Officium ut proprio loco; reliqua de Communi plurimorum Martyrum. Non dicitur Hymnus *Te Deum* ad Matutinum, neque *Gloria in excelsis* in Missa (in qua color violaceus adhibetur): nisi festum ss. Innocentium venerit in Dominica, et tunc *Gloria Patri* octavo Responsorio additur. Etiam excipe, si ss. Innocentes fuerint Titulares (R.) ecclesiae. *Te Deum* et *Gloria in excelsis* tunc dici possent (G. Mer. Cav. Tet.), non autem sufficit, ut insignis reliquia asservetur (H. Cav. Tet.).

Vesperae ut 25. hujus, id est de Nativitate Domini, a Capitulo de ss. Innocentibus, commemoratio sequentis et trium octavarum.

29. Decembris. — S. Thomae Cantuariensis, Episcopi et Martyris, semiduplex. In primo Nocturno Lectiones de Communi, reliquae autem Lectiones propriae. Commemoratio quatuor octavarum in Laudibus, Missa ac Vesperis.

Si festum s. Thomae non venerit in Dominica aut in feria sexta, dicuntur secundae Vesperae diei Nativitatis Domini (sed non duplicantur Antiphonae) a Capitulo de Dominica et post Orationem Dominicae, fit commemoratio s. Thomae, deinde Nativitatis, et aliarum octavarum ut in Bre-

viario post Orationem Dominicae infra octavam Nativitatis ponuntur.

Si autem festum s. Thomae occurrat in feria sexta, Vesperae integrae (sed non duplicantur Antiphonae) de Nativitate Domini dicuntur cum commemoratione s. Thomae et aliarum octavarum.

Si vero festum s. Thomae venerit in Dominica, transfertur in secundam feriam, et in secundis Vesperis Dominicae prius fit commemoratio s. Thomae ac deinde aliarum octavarum (R.), nisi festum s. Thomae celebretur sub ritu duplici; tunc enim ob ejus occurrentiam cum Dominica, fit tantum commemoratio Dominicae, cum nona Lectione de homilia ejusdem Dominicae (S. C.).

30. Decembris. — Officium fit de Dominica infra octavam Nativitatis, nisi festum s. Thomae transferatur, vel nisi hodie fuerit sabbatum. In hoc ultimo casu officium fit de die infra octavam, et omnia dicuntur prout in Breviario immediate ante festum s. Silvestri annotantur. Vesperae dicuntur ut in secundis Vesperis diei Nativitatis (duplicantur Antiphonae), a Capitulo de sequenti, cum commemorationibus ut supra. Quando non fit officium de Dominica aut de s. Thoma, nihil impedit, quominus in hodiernum diem festum aliquod transferatur (S. C.).

31. Decembris. — S. Silvestri, Papae et Confessoris, duplex. In secundo Nocturno Lectiones propriae. Vesperae de sequenti sine ulla commemoratione. Si festum s. Silvestri venerit in Dominica, agitur de festo cum commemoratione Dominicae in primis Vesperis et Laudibus, ante commemorationem omnium octavarum; et nona Lectio erit de homilia Dominicae.

In Missa, Praefatio et *Communicantes* de Nativitate, et ubique commemoratio octavarum. Si hoc festum sit primae classis, de ipso secundae Vesperae integrae dicuntur (Gav. Tet. Mer.), aut tantum a Capitulo, cum initium Vesperarum sit de Nativitate (Cav. Guy.).

Caput secundum.

Proprium de Tempore, complectens juxta ordinem ecclesiasticum de Tempore, Dominicas, ferias ac festa mobilia.

§. I. De Adventu.

1. Adventus Domini celebratur et incipit semper die Dominico, qui propinquior est festo s. Andreae Apostoli, nempe a die 27. Novembris inclusive usque ad diem 3. Decembris inclusive. De illo tempore sequentia notanda sunt quoad Officium [A] Toto tempore Adventus in officio Sanctorum et Missa, etiam primae classis, fit commemoratio feriae, utpote majoris, et a fortiori Dominicae. [B] De simplici non fit officium, sed tantum commemoratio. [C] Officia votiva ut de ss. Sacramento, de Immaculata Conceptione prohibentur,[1] nisi habeatur speciale indultum. [D] Omittuntur in Vesperis et Laudibus consueta de Cruce et Sanctis suffragia. [E] Preces feriales ad Laudes et per Horas distinctae, ut in Psalterio, dicuntur flexis genibus in choro. [F] A die 17. Decembris quaecunque octavae cessant. [G] Ad Primam, etiam in festis, in Responsorio brevi dicitur: *Qui venturus est,* praeterquam infra octavam Immaculatae Conceptionis. [H] Antiphona B. M. V., in fine officii dicitur *Alma.*

Quoad Missam autem sequentia notanda sunt: [A] In Missis de tempore Adventus, scilicet in Dominicis et feriis adhibetur color violaceus in signum poenitentiae. [B] Similiter in his Dominicis et feriis Adventus Diaconus et Subdiaconus non utuntur dalmaticis, sed planetis plicatis, saltem in praecipuis ecclesiis (R.), sub quibus ecclesiae parochiales comprehenduntur (Misc. Theol.). Ab Altari removenda sunt vascula cum floribus et similia ornamenta, et sonitus organi non debet adhiberi, nisi ad voces sustinendas. [C] *Gloria in excelsis* non

[1] Si officium votivum Immaculatae Conceptionis B. M V. concurrat cum Dominica prima Adventus, Vesperae dicuntur de officio Immaculatae Conceptionis, a Capitulo de Dominica cum commemoratione Immaculatae Conceptionis.

dicitur nisi in festis tempore Adventus occurrentibus. [D] In festis semiduplicibus, secunda Oratio est de Adventu, tertia autem de s. Maria, *Deus, qui de Beatae,* quae terminatur: *Per eumdem Dominum nostrum* etc., et similiter si nulla commemoratio facienda sit, in Missa de Dominica vel feria Adventus, post Orationem diei dicitur Oratio *Deus, qui de Beatae,* et *Ecclesiae* vel *pro Papa.* [E] In feriis Adventus, si dicenda sit Missa vel Oratio de Dominica praecedenti, resumitur Missa et Oratio de Dominica, nisi propria Missa assignetur, ut in Quatuor Temporibus, et quando resumitur Missa de Dominica, non dicitur *Credo,* nec *Alleluja,* nec Versus sequens, sed tantum Graduale.

2. Dominica prima Adventus est semiduplex, attamen utpote major primae classis, impedit officium cujuslibet festi, etiam solemnissimi; impedit quoque quamcumque Missam votivam solemnem, etiamsi festum Patroni vel Titularis cum populi concursu celebretur (R.); ad summum Oratio Patroni Collectae Dominicae sub unica conclusione uniri potest (S. C.). Ac in casu dicuntur etiam Orationes de Beata vel *Ecclesiae* in Adventu assignatae (AA.). Quas autem Orationes si quis forte omittat, non ideo vituperandus est, cum Missa quodam modo sit festiva ac infra octavam celebretur, porro neminem fugit, in Dominicis infra octavam duas tantum Orationes dicendas esse.

Dominica prima Adventus, Missa exequialis corpore praesente non prohibetur.

Ad Matutinum, Invitatorium, Hymnus et reliqua, uti etiam Antiphonae ad Vesperas, sunt propria. Primum Responsorium dicitur, ut in Breviario notatur. Dicto *Gloria Patri* repetitur Responsorium *Aspiciens a longe,* usque ad Versum *Quique terrigenae* (S. C.). Ab hac Dominica usque ad Nativitatem Domini, sicuti a Dominica Septuagesimae usque ad Pascha, Dominicis diebus dicitur nonum Responsorium cum *Gloria Patri,* quia *Te Deum* non dicitur, nisi in festis (R.).

3. In qualibet feria primae hebdomadae Adventus, Lectiones Nocturni cum Responsoriis, atque Antiphonae ad *Benedictus* et *Magnificat* sunt propriae. Ad Matutinum, Invitatorium

et Hymnus de Dominica prima Adventus. Antiphonae et Psalmi feriae occurrentis. Similiter ad Laudes et Vesperas, Antiphonae et Psalmi feriae occurrentis, et reliqua propria, quae dicuntur ut feria secunda. Si infra hebdomadam dicenda sit Missa de feria, resumitur Missa de Dominica praecedenti, nisi propria Missa assignetur.

4. Secunda Dominica Adventus, semiduplex secundae classis, quae nulli festo non primae classis occurrenti cedit, ita ut si Dominica secunda Adventus occurrat in festo Immaculatae Conceptionis B. M. V., die 8. Decembris, festum istud transferendum sit in sequentem feriam secundam. In secunda autem Dominica Adventus celebrari potest festum Titularis vel Patroni, aut solemnitas Patroni. Similiter in secunda Dominica Adventus, Missa votiva solemnis (excepta tamen Missa votiva Orationis 40 horarum), cantari potest, atque a fortiori Missa exequialis, corpore praesente. Si Dominica secunda Adventus infra octavam Conceptionis occurrerit, in Missa duae tantum Orationes dicuntur, cum paramentis violaceis, et sine *Gloria in excelsis.*

Missa est propria. Officium, praeter Lectiones cum Responsoriis, et Antiphonas ad Laudes cum Capitulo et Oratione, non differt a Dominica praecedenti. Officium feriale, praeter Orationem et proprium cuilibet feriae, dicitur ut hebdomada praecedenti.

5. Tertia Dominica Adventus *Gaudete* est ejusdem ritus, et gaudet iisdem privilegiis ac secunda Dominica Adventus. Ad Matutinum Invitatorium *Prope est Dominus;* reliqua ut Dominica prima Adventus et proprio loco. Hac die Diaconus et Subdiaconus assumunt ad Missam dalmaticas et tunicellas.

In feriali officio, ad Matutinum Invitatorium *Prope est Dominus,* ut Dominica praecedenti; reliqua praeter propria, ut hebdomada praecedenti.

A die 17. Decembris dicuntur Antiphonae propriae ad Laudes prout feria occurrens exigit (vide pag. 562).

6. Infra hanc hebdomadam, seu tertiam Adventus, jejunium IV Temporum. Officium ut aliis feriis praeter Missam propriam. Praeterea loco Lectionum de Scriptura legitur de

homilia. Si in feriis Quatuor Temporum festum novem Lectionum occurrat, legitur nona Lectio homilia, et Evangelium feriae in fine Missae.

Si simul incidat Vigilia, non legitur Evangelium neque homilia de Vigilia.

In Missa de Tempore, singula feria quarta, et sabbato omnium Quatuor Temporum, Sacerdos, dicto Introitu, accedit ad medium Altaris, ibique dicit *Kyrie eleison;* finitoque ultimo *Kyrie eleison* revertitur ad cornu Epistolae; ubi stans ante Missale, alta voce dicit *Oremus,* interim manus ante pectus extendens et jungens caputque cruci inclinans; et manibus mox extensis, ita ut Missale sit in medio manuum, flectens unico genu, alta voce dicit: *Flectamus genua;* et ministro alta voce respondente: *Levate,* sine mora surgit; tum manibus ab Altari erectis, et ante pectus extensis, ut alias, dicit Orationem, eamque concludit. Ante ultimam Orationem, ad medium redit Altaris, dicit *Dominus vobiscum,* ac prosequitur Missam more solito.

Quando commemorationes fieri ac Orationes addi debent, post ultimam collectam dicantur. Si autem in festo vel Missa votiva facienda sit commemoratio de feria Quatuor Temporum, prima Oratio sumatur (R.).

Post singulas Lectiones vel Epistolas respondetur: *Deo gratias,* praeterquam post quintam Lectionem sabbati Quatuor Temporum, ne sensus Lectionis interrumpatur (AA.).

In feria quarta Quatuor Temporum dicuntur duae Orationes, quarum una cum *Flectamus genua,* et duae Epistolae. In feria sexta una tantum Oratio dicitur; in sabbato autem sex dicuntur, quarum quinque primae cum *Flectamus genua.* Quinta Epistola sabbati Quatuor Temporum semper legitur historia trium juvenum Babylone in fornacem immissorum; post quam Epistolam non respondetur *Deo gratias,* sed eorum Hymnus dicitur loco Gradualis.[1]

---

[1] In multis dioecesibus feria quarta Quatuor Temporum Adventus, summo mane solemniter cantari solet Missa vulgo dicta *Aurea,* vel *Missus.* Pro ea sumitur votiva de sancta Maria in Adventu: *Rorate coeli;* cum *Gloria in excelsis* et *Credo,* in honorem ss. Incarnationis mysterii, et in fine Evangelium sancti Joannis, non autem feriae quartae Quatuor Temporum. In hac Missa fit commemoratio festi duplicis aut semiduplicis occurren-

7. Quarta Dominica Adventus ad Matutinum dicitur Invitatorium Dominicae praecedentis, caeteraque propria ut in praecedenti Dominica. Celebratur etiam sub eodem ritu atque iisdem privilegiis gaudet. In officio feriali resumuntur Invitatorium ac Missa Dominicae quartae Adventus.

Si Vigilia Nativitatis Domini venerit in Dominica quarta Adventus, officium fit hoc modo: ad Matutinum Invitatorium de Vigilia: *Hodie scietis* etc., Hymnus de Adventu; *Verbum supernum,* Antiphonae, Psalmi, Versiculi, Lectiones et Responsoria in primo et secundo Nocturno dicuntur de Dominica quarta Adventus. In tertio Nocturno, Antiphonae et Psalmi de Dominica; Versiculi de Vigilia, tres Lectiones de homilia Vigiliae cum suis Responsoriis, et non legitur homilia Dominicae pro ultima Lectione. Laudes de Vigilia cum commemoratione de Dominica. Similiter totum officium Missae fit de Vigilia cum commemoratione Dominicae; sed non legitur ejus Evangelium in fine (R.).

Per Horas celebratur officium de Vigilia (R.). Vesperae tamen sabbati praecedentis, sive de feria, sive de festo semiduplici, fiunt de sabbato et a Capitulo de Dominica quarta Adventus (R.).

Omnia infra quartam hebdomadam Adventus servanda in diario festorum fixorum consignantur.

§. II. De officiis de Tempore a Nativitate Domini usque ad Dominicam Septuagesimae.

Multa ex festis Nativitatem Domini concomitantibus quodam modo officia de tempore interrumpunt, atque praescriptiones rubricarum consuetas mutant.

1. De Dominica infra octavam Nativitatis Domini, scilicet de prima Dominica post Vigiliam Nativitatis Domini, regula-

---

tis, deinde feriae Quatuor Temporum, et ad verba: *Incarnatus est* genuflectitur, ut in Missa Nativitatis Domini.

Si feria quarta Quatuor Temporum Adventus venerit infra octavam Immaculatae Conceptionis B. M. V., sumenda est non Missa *Rorate*, sed Missa de Immaculata Conceptione ejusdem B. M. V. (juxta responsum authenticum Romae datum 5. Septembris 1851.).

riter fit officium die 30. Decembris sub ritu semiduplici. Officium ut 25. Decembris praeter Antiphonas ad *Benedictus* et *Magnificat,* Orationem, Lectiones cum Responsoriis. Fit commemoratio omnium octavarum.

Dictum est supra regulariter, quia si Dominica infra octavam Nativitatis venerit in festo s. Thomae, fit officium de Dominica infra octavam Nativitatis, et festum s. Thomae in diem sequentem transfertur. In primis Vesperis fit commemoratio Dominicae, et in secundis Vesperis fit a Capitulo de Dominica. Si autem Dominica infra octavam Nativitatis venerit in festo s. Silvestri, fit tantum commemoratio de Dominica in primis Vesperis et Laudibus, et legitur nona Lectio Homilia ejusdem Dominicae. In Missa etiam fit commemoratio de Dominica et legitur ejus Evangelium in fine.

2. Dominica incidens inter Circumcisionem et Epiphaniam inclusive, est Dominica *vacans;* de qua nihil omnino fieri debet neque in officio neque in Missa. Ab Epiphania incipiunt numerari Dominicae usque ad Septuagesimam.

3. Prima Dominica post Epiphaniam, vulgariter Dominica infra octavam Epiphaniae, celebratur sub ritu semiduplici et gaudet privilegiis Dominicae, et simul privilegiis diei infra octavam. Totum officium dicitur de Epiphania, praeter Lectiones, Capitula, Antiphonas ad *Benedictus,* et ad *Magnificat,* et Orationem. In primo Nocturno ponitur Epistola prima ad Corinthios, quae post octavam habetur, et legitur de ea sequentibus diebus. Lectiones vero, quae aliquando supersunt de Epistola ad Romanos, eo anno praetermittuntur. Fit commemoratio octavae in utrisque Vesperis et Laudibus, mutato Versu jam dicto pro Dominica. Missa propria, in qua commemoratio, Praefatio et *Communicantes* de octava Epiphaniae.

Si octava Epiphaniae venerit in feria secunda, pro commemoratione Dominicae in primis Vesperis diei octavae dicitur Antiphona: *Fili, quid fecisti,* et Versus *Omnes de Saba.*

Si octava Epiphaniae venerit in Dominica, officium de Dominica fit sabbato sequenti ut die propria, mutatis tantum primi Nocturni Lectionibus, quae de Epistola ad Romanos: *Commendo autem vobis,* adhuc leguntur.

4. Festum ss. Nominis Jesu de praecepto sub ritu duplici secundae classis ab omnibus celebrandum est Dominica secunda post Epiphaniam, ex decreto Innocentii XIII., anni 1721. Totum officium et Missa propria, nona Lectio homilia et commemoratio Dominicae in Laudibus ac Missa, Praefatio de Nativitate, sine *Communicantes* proprio. In fine Missae Evangelium Dominicae.

Si Dominica secunda post Epiphaniam impedita sit ab occurrente Dominica Septuagesimae, festum ss. Nominis reponendum est quoad officium in diem 28. Januarii tanquam in sedem propriam, translato quovis alio festo, nisi sit altioris ritus; et tunc omittitur *Alleluja*, ubicunque occurrit, et legitur nona Lectio de s. Agnete *secundo*, de qua fit commemoratio in Laudibus tantum. Ratio hujusmodi privilegii est, ne festum tam solemne in Quadragesima celebretur (S. C.).

Si autem Dominica secunda post Epiphaniam sit impedita festo primae classis, patroni loci seu tituli ecclesiae, festum s. Nominis transferendum est, ut alia festa, in primam diem non impeditam post Dominicam secundam post Epiphaniam, juxta regulas generales (S. C.). Caeterum festum s. Nominis ante Quadragesimam transferri debet.

5. Officium Dominicae secundae post Epiphaniam, impeditum ob Dominicam Septuagesimam, faciendum est in sabbato ante Septuagesimam non impedito festo duplici vel semiduplici; alioquin si praedictum sabbatum sit impeditum festo duplici vel semiduplici, faciendum est in prima die post octavam Epiphaniae non impedita festo duplici (R.); et festum semiduplex eo die occurrens transferendum est in primam diem non impeditam. Si tamen sabbato officium fiat de die infra octavam, et tota hebdomada impedita sit festis duplicibus aut semiduplicibus, tunc in sabbato officium Dominicae secundae post Epiphaniam celebrandum est (S. C.).

Si officium Dominicae secundae post Epiphaniam habeatur die infra octavam particularem, faciendum est de eo sine commemoratione octavae, et Missa celebranda est in colore viridi, sine *Gloria* et *Credo*. Officium autem fit feriale, sed tres Lectiones de Dominica secunda, cum Responsorio primi Nocturni,

absque *Te Deum*. Antiphona ad *Benedictus* et Oratio de Dominica, cum suffragiis etiam de cruce, et precibus dominicalibus ad Primam. In Missa 2. Oratio *Fidelium*, 3. de Simplici vel de B. M. V. Praefatio communis et in fine *Benedicamus Domino*. In cathedralibus duae Missae conventuales (R.).

Si omnes dies post octavam Epiphaniae usque ad sabbatum ante Septuagesimam sint impediti festis duplicibus, tunc in sabbato legenda est nona Lectio homilia Dominicae secundae post Epiphaniam; et de ea facienda est commemoratio in Laudibus cum Antiphona et Oratione Dominicae, sed cum Versu de feria, et etiam in Missa, in cujus fine legitur Evangelium Dominicae (S. C.). Imo, si resumendum non esset aliquod initium epistolarum, legerentur in primo Nocturno Lectiones assignatae pro Dominica impedita: quod valet pro sequentibus (S. C.).

Quum in primo Nocturno Lectiones incipiunt legi de Scriptura, ponitur initium secundae epistolae ad Corinthios, quae omittitur, quando Septuagesima venerit in Dominica, quae sequitur octavam Epiphaniae.

6. Tertia Dominica post Epiphaniam, semiduplex. Ad Matutinum, omnia ut in Psalterio praeter Lectiones cum Responsoriis et Orationem. Incipit Epistola s. Pauli Apostoli ad Galatas, dicitur *Te Deum*, ac consequenter legitur nona Lectio simplicis, si occurrat. Missa propria cum tribus Orationibus, quarum prima de sancta Maria: *Deus, qui salutis*, et tertia *Ecclesiae* vel *pro Papa*. Praefatio de ss. Trinitate, nisi haec Dominica venerit in octava propriam Praefationem habente.

Si haec Dominica tertia post Epiphaniam, nec in proprio loco, nec post 23. Dominicam a Pentecoste poni possit; ut jam dictum est (vide pag. 470), tunc in sabbato ante Septuagesimam poni debet illius officium, quod recitatur, ad normam prioris num. 5. (supra). Si autem sabbatum sit impeditum officio 9 Lectionum, sive duplici aut semiduplici etiam translato, sive de die infra octavam aliquam; tunc officium illius tertiae Dominicae impeditae ponitur in alia ejusdem hebdomadae praecedente die, similiter non impedita, quae tamen, si plures non impeditae in eadem hebdomada occurrant, omnium proximior ipsi sabbato

esse debet. Si tota hebdomada impedita sit officiis 9 Lectionum, etiam translatis, aut aliqua octava; tunc in sabbato legitur nona Lectio homiliae Dominicae, et de ea fit commemoratio non in Vesperis, sed in Laudibus cum Antiphona et Oratione de Dominica et Versu de sabbato, atque in Missa, in cujus fine legitur Evangelium Dominicae; idque fieri debet, licet in sabbato occurrat festum duplex primae classis (R.).

7. Dominicae quarta, quinta et sexta post Epiphaniam iisdem regulis, quibus Dominica tertia post Epiphaniam subjiciuntur. Missa omnino eadem est praeter Orationem, Secretam et Postcommunionem. Quoad officium, Lectiones tantum cum Responsoriis, Oratio et Antiphonae Canticorum propriae sunt. Notandum etiam post 2. Februarii, secundam Orationem esse *A cunctis* et tertiam *ad libitum*.

In quarta hebdomada post Epiphaniam leguntur, Dominica, initium Epistolae s. Pauli ad Philippenses; feria tertia, initium Epistolae ad Colossenses; feria quinta, initium Epistolae primae ad Thessalonicenses; et sabbato, initium Epistolae secundae ad eosdem.

Dominica quintae hebdomadae leguntur Lectiones de Epistola prima s. Pauli Apostoli ad Timotheum; feria tertia de Epistola secunda ejusdem; feria quinta de Epistola ad Titum, atque sabbato de Epistola ad Philemonem.

Sexta hebdomada rarissime occurrente, leguntur Lectiones de Epistola s. Pauli Apostoli ad Hebraeos. Nota, omnia initia Lectionum saltem legenda esse in hebdomada, in qua resumuntur, etiamsi plura initia eadem die poni debeant. Initium Lectionum Dominicae nunquam anticipatur, alia vero initia in hebdomada occurrentia anticipari debent, si opus fuerit. Si autem festa, in quibus Lectiones primi Nocturni leguntur de Proprio aut de Communi, adeo numerosa sint in eadem hebdomada, ut juxta regulas, in illa hebdomada initia poni nequeant, tunc omissis in aliquo festo occurrente Lectionibus de Proprio aut de Communi, legantur Lectiones de Scriptura (S. C.). Similiter agendum in mense Novembris pro minoribus Prophetis.

8. In Dominica anticipata prohibentur officia votiva (S. C.), officium beatae Mariae in sabbato (R.), imo officium *ad libitum*,

ita ut, quoad officium *ad libitum*, si officium Dominicae secundae post Epiphaniam faciendum sit in die festo s. Canuti, tunc officium ejusdem sancti taliter impeditum omnino omittatur. Quod dicitur certo de secunda Dominica, probabilius intelligendum de tertia et aliis. *(Mél. théol.)*

9. Quoties anticipatur Dominica in sabbato per solam commemorationem, si festum, quod occurrit, non habeat Lectiones proprias aut de Communi, in primo Nocturno, poni debent Lectiones initii ex ipsa Dominica anticipata, nisi in sabbato occurrat aliud initium, tunc enim istud erit legendum, illud autem omittendum (S. C.). Quoties vero fit officium de Dominica anticipata, hujus initium legitur, et si feria suum habeat, initium anticipandum erit, cum postea legere non sit licitum. Postquam lectum fuerit initium Dominicae, in sequentibus feriis dicuntur Lectiones cuique feriae respondentes (AA.).

§. III. De officiis de tempore a Septuagesima usque ad hebdomadam sanctam.

1. Dominica Septuagesimae semper venit novem hebdomadis aut sexaginta tribus diebus ante Pascha, independenter a majori vel minori numero Dominicarum post Epiphaniam. Unde a Septuagesima ordine retrogrado computandus est numerus Dominicarum, quae supersunt post Epiphaniam. A Septuagesima ad Quadragesimam est tempus quasi poenitentiae, inserviens praeparationi jejunii quadragesimalis.

2. In Vesperis sabbati, sive de tempore sive de festo, ante Dominicam Septuagesimae, ad *Benedicamus Domino* adduntur duo *Alleluja*, et similiter ad *Deo gratias* ad majorem significationem et emphasim temporis terminati; deinceps autem usque ad Pascha *Alleluja* ubique omittitur, et nihil ejus loco additur, praeterquam in initio Horarum, quando ejus loco dicitur *Laus tibi, Domine* etc. Dominicae Septuagesimae etc., sunt secundae classis et sub ritu tantum semiduplici celebrantur, ita ut gaudeant iisdem privilegiis, quibus Dominicae secunda, tertia et quarta Adventus. Infra dicetur, quaenam ex illis Dominicis sint primae classis.

3. Ad Matutinum, Invitatorium *Praeoccupemus* etc. In primo Versu Psalmi omittuntur *Praeoccupemus faciem ejus* etc., et ejus loco repetitur a choro Invitatorium (R.). Hymnus *Primo die.* Lectiones primi, secundi ac tertii Nocturni cum Responsoriis propriae. Nonum habetur Responsorium in Dominicis usque ad Pascha, loco Hymni *Te Deum*, qui non dicitur hoc tempore, nisi in festis. Ad Laudes Antiphonae propriae, Psalmi *Miserere, Confitemini, Deus Deus meus, Benedicite,* et *Laudate Dominum de coelis.* Psalmi supradicti semper dicuntur in Laudibus Dominicae usque ad Pascha. Ad Primam a Septuagesima usque ad Pascha, loco secundi Psalmi *Confitemini Domino* dicitur *Dominus regnavit.* Reliqua sunt propria, praeter Hymnos, Responsoria brevia, et Antiphonas ad Vesperas. Dicuntur Preces et Suffragia ut in aliis Dominicis.

In Missa de tempore vel votiva non dicitur *Gloria in excelsis;* secunda Oratio *A cunctis*, tertia *ad libitum;* hinc Sacerdos dicere potest Orationem, quam mavult, sed illam tertiam Orationem omittere minime potest (S. C.). Sic dicitur secunda Oratio *A cunctis* et tertia *ad libitum,* a festo Purificationis usque ad feriam quartam Cinerum exclusive; nisi Dominica Septuagesimae venerit ante festum Purificationis, vel in ipsa die Purificationis, quia tunc dicuntur Orationes sicut in Dominica secunda post Epiphaniam, de *s. Maria,* et *contra persecutores Ecclesiae* vel *pro Papa.* Simili modo fiat in Sexagesima et Quinquagesima (R.). In Missa, dicto Graduali cum versu sequenti, omittuntur duo *Alleluja* cum versu et sequenti *Alleluja,* et eorum loco dicitur Tractus. In fine Missae, facie versa ad Altare, dicitur *Benedicamus Domino* (quod et fit quotiescumque in Missa de tempore vel votiva non dicitur *Gloria in excelsis)* (R.).

Cum Secreta Septuagesimae eadem sit ac Secreta de B. M. V. ante festum Purificationis, itemque Secreta Missae *In virtute* unius Martyris, hae mutantur, si fiat commemoratio Martyris vel B. M. V. Casu autem, quo festum talis Martyris fieret in Septuagesima sub ritu I. classis, mutanda foret Secreta Septuagesimae.

4. In feriis hujus hebdomadae officium ut in Psalterio cum

tribus Lectionibus propriis, et Vesperae dicuntur ut Dominica praecedenti praeterquam in feria secunda, quae habet Responsoria propria. Antiphona ad *Magnificat* est etiam propria. Cum autem feriae minores sunt, si festa occurrant, nullibi de feriis fit commemoratio. Pro Missa resumitur Missa Dominicae praecedentis, omissis tamen Tractu et *Credo*. Feria autem sexta Vesperae dicuntur a Capitulo de s. Maria in sabbato; ideoque haec feria Antiphonam ad *Magnificat* non habet.

5. Observata circa hebdomadam Septuagesimae observanda sunt etiam in hebdomadis Sexagesimae et Quinquagesimae. Animadvertendum solum, feriam quintam hebdomadae Sexagesimae non habere Antiphonam propriam ad *Magnificat,* et si officium fiat de feria, sumendam esse Antiphonam ultimam in praecedentibus feriis ejusdem hebdomadae ob festum occurrens praetermissam; et si omnes in praecedentibus feriis sint recitatae, sumendam esse de Psalterio.

Feria quarta post Dominicam in Quinquagesima est feria quarta Cinerum. Feriis tertiis Septuagesimae et Sexagesimae, in aliquibus dioecesibus, celebrantur festa de Oratione D. N. J. C., et de Passione ejus, sub ritu duplici majori (cfr. feriam sextam post Cineres).

6. *Dominica Quinquagesimae.* Multis in ecclesiis hoc triduo Oratio 40 horarum. Quapropter hodie in Missa solemni Dominicae uniri debet Collecta Missae votivae de Venerabili, idque sub una conclusione, quia substituitur Missae votivae speciali, et illius naturam induit (Instr. Clem.); ac deinde dicuntur Orationes secundo et tertio loco praescriptae sub secunda conclusione (AA.), quae tamen opinio minime certa nobis videtur. Feria secunda et feria tertia sequentibus, cantari possunt Missae votivae *de pace* aut *de Venerabili,* dummodo non habeatur festum primae vel secundae classis. Haec Missa solemnis est cum *Gloria in excelsis* et *Credo,* in qua tamen facienda est commemoratio de festo novem Lectionum occurrente, non autem de feria nec dicitur Oratio imperata. Pro reliquis cfr. supra pag. 401.

7. *Feria quarta Cinerum.* Haec feria sic dicitur a Cineribus, qui fidelium capitibus imponuntur, ut ipsi reminiscantur originis et finis sui. Quae feria privilegiata nulli festo etiam

primae classis aut nulli Missae votivae solemni cedit. Hac tamen feria Missa exequialis corpore praesente non prohibetur, uti etiam si, cadavere pridie sepulto, ob gravem causam Missa exequialis cantari nequiverit. A feria quarta Cinerum cessant et prohibentur octavae.

Hodie et sequentibus diebus usque ad Vesperas sabbati sequentis exclusive, in feriali officio, omnia dicuntur, ut habetur in Breviario per annum, praeter Orationes et Antiphonas ad *Benedictus* et *Magnificat,* quae sunt propriae.

Incipiendo a feria quarta Cinerum, quando fit officium de feria, ad omnes Horas, dicuntur Preces flexis genibus. Si hodie occurrat festum simplex, de illo fit commemoratio, sed sine ejus Lectione. In officio festivo novem Lectionum in tribus feriis sequentibus, dicitur nona Lectio homiliae et commemoratio feriae in Vesperis, Laudibus et Missa.

Missa propria cum tribus Orationibus, quarum secunda *A cunctis,* et tertia *Pro vivis et defunctis,* ut in Missali (non omittitur Oratio imperata, si adsit). In Tractu genuflectitur ad verba *Adjuva nos,* usque ad illa *et propter gloriam nominis tui.* Praefatio *qui corporali jejunio.* Finitis Postcommunionibus, Sacerdos absolute dicit *Oremus, humiliate capita vestra Deo,* non se inclinans (S. C.). Deinde dicit Orationem super populum. In Missa solemni de tempore hodie et per totam Quadragesimam, Diaconus et Subdiaconus utuntur planetis plicatis.

Caeremonias benedictionis et distributionis Cinerum in prima parte jam exposuimus.

Feria sexta post Cineres in pluribus locis celebratur sub duplici majori festum sacratissimae Spineae Coronae D. N. J. C. Adhibetur color rubeus. Officium et Missa propria. Nona Lectio homilia et commemoratio feriae in Vesperis, Laudibus ac Missa. In Missa *Credo* et Praefatio de Cruce. Cum ex indulto permittitur, hujusmodi officia transferenda sunt in primam diem non impeditam, numquam tamen post Quadragesimam (S. C.) Difficultates in occurrentia et concurrentia hujusmodi officiorum solvuntur supra, pag. 456, 462.

Sabbato post Cineres. — Vesperae ab hac die usque ad

Pascha, diebus Dominicis exceptis, ante comestionem seu meridiem dicuntur in choro, cui usui in privata Horarum recitatione conformari convenit (R.). Surgunt, dum dicitur Antiphona *Ave regina* in fine officii (S. C.).

Dominica prima Quadragesimae. — Officium et Missa propria. Haec Dominica ad instar primae Dominicae Adventus est privilegiata. Ad Laudes Psalmi dicuntur ut in Dominica Septuagesimae; ad Vesperas Antiphonae communes. In Missa Praefatio *qui corporali jejunio.*

In feriis sequentibus ad Matutinum, Invitatorium, Hymni, Lectiones, Capitula et Responsoria Horarum, cum Antiphonis ad *Benedictus* et *Magnificat* de Proprio, reliqua vero de Communi sumuntur. Ad Vesperas Oratio propria. In unaquaque feria Missa propria.

In hac hebdomada occurrunt Quatuor Tempora. Officium ut in aliis feriis. Pro Missa, vide dicta in Quatuor Temporibus mensis Septembris.

Feria sexta post Dominicam primam Quadragesimae. — In quibusdam dioecesibus, celebratur sub ritu duplici majori festum de Lancea et Clavis D. N. J. C. (Cfr. supra.)

Dominica secunda Quadragesimae. — Semiduplex secundae classis, gaudet iisdem privilegiis, quibus Dominica secunda Adventus. Ad Matutinum, Invitatorium, Hymni, Responsoria ad Horas ut Dominica praecedente.

Feria sexta post secundam Dominicam Quadragesimae, in aliquibus dioecesibus festum de sacratissima Sindone D. N. J. C., duplex majus.

Dominica tertia Quadragesimae. Omnia ut Dominica praecedenti. Feria sexta post Dominicam tertiam Quadragesimae, in aliquibus locis, festum de ss. Quinque Plagis D. N. J. C., duplex majus.

Dominica quarta Quadragesimae. — Omnia ut Dominica praecedente. Hodie altare parumper ornatur, Diaconusque ac Subdiaconus dalmatica et tunicella utuntur; organa pulsantur.

Feria sexta post quartam Dominicam Quadragesimae, festum de pretiosissimo Sanguine D. N. J. C., duplex majus. Quod officium hac feria sexta adhuc recitari potest, etsi Pius IX.

decreverit, illud celebrandum Dominica prima Julii in universali Ecclesia.

Ante Vesperas sabbati Dominicae Passionis, sive sint de festo, sive a Capitulo de Dominica, juxta rubricas Missalis et caeremoniale Episcoporum, velari debent omnes cruces et imagines (R.), non tantum Domini nostri Salvatoris, sed etiam quorumcumque Sanctorum, et non tantum in altaribus, sed etiam per totam ecclesiam (S. C.). Velum autem debet esse violaceum absque ulla in eo depicta cruce vel imagine, etiam repraesentante Passionem Domini (AA.). Si hoc Sabbato non celebretur festum duplex, serventur dicenda infra pro tempore Passionis (M. G. Cav.).

Dominica Passionis. — Semiduplex primae classis. Haec Dominica gaudet iisdem privilegiis, quibus Dominica prima Adventus. Officium ac Missa propria.

In Invitatorio Matutini tempore Passionis omittitur *Gloria Patri,* et cum eo pariter omittitur pars sequens Invitatorii *Nolite obdurare corda vestra;* ita ut post versum *Quadraginta annis* etc. integrum Invitatorium: *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra,* bis dicatur, sed nihil ultra (R.). Ad Matutinum Hymnus *Pange lingua,* ac reliqua propria praeter Antiphonas ad Vesperas. Tempore Passionis, id est a Completorio ante Dominicam Passionis inclusive, omittuntur Suffragia communia. Versus quoque *Gloria Patri* omittitur in omnibus Responsoriis. Notandum tamen est, versum *Gloria Patri* tantum omitti in officio de Dominica et de feria, non autem in officio festivo tempore Passionis celebrato.

A Dominica Passionis usque ad sabbatum sanctum exclusive in Missa de tempore, omittitur Psalmus *Judica me* ante confessionem, item *Gloria Patri* ad *Introitum,* et ad *Lavabo* (R.) nec non ad *Asperges* (R.), sed nihil horum omittitur in Missis festivis, vel votivis, etiamsi votivae dicantur de Cruce vel de Passione Domini. In Missis Dominicae Passionis et feriis tempore Passionis dicuntur tantum duae Orationes, etiam occurrente commemoratione festi simplicis, quia in eo casu Oratio *Ecclesiae* vel *Pro Papa* omittitur (S. C.). Praefatio de

Cruce usque ad feriam quintam in Coena Domini, etiam in festivis et votivis, quae propriam non habeant.

In feriis, Invitatorium ad Matutinum, Hymni ac Responsoria dicuntur propria de tempore. Antiphonae ad Laudes et ad Vesperas de Communi, ad Horas autem de Proprio. In Missis serventur supra dicta in Dominica Passionis; in Missis vero festivis Praefatio propria tantum dicitur, de caetero nihil mutari debet; in occurrentibus tamen semiduplicibus dicuntur tres Orationes.

Feria sexta post Dominicam Passionis, festum Septem Dolorum, B. M. V., duplex majus ex decreto Benedicti XIII., anni 1727. Si haec feria sexta fuerit impedita festo altioris ritus vel dignitatis, tunc festum Septem Dolorum transferendum est ad sabbatum immediate sequens, dummodo non fiat in eo de festo altioris gradus: si enim in sabbato occurat festum altioris ritus aut dignitatis, festum Septem Dolorum illo anno omittitur (S. C.). Missa propria, in qua dicitur Sequentia: *Stabat Mater dolorosa; Gloria in excelsis, Credo,* Praefatio de Beata: *Et te in transfixione;* in fine Evangelium feriae. In Graduali dici debet, *Hoc crucis fert supplicium Auctor vitae factus homo* (S. C.).

Si hoc festum concurrat cum festo Annuntiationis B. M. V., tunc de festo Septem dolorum non fit commemoratio (S. C.). Si ob aliquam causam omittendae sint primae Vesperae, Hymnus Vesperarum *Stabat Mater,* jungitur Hymno *Sancta Mater* ad Matutinum, ita ut post versum *Ut tibi complaceam,* immediate subjungatur *Sancta Mater* usque ad finem (S. C.).

§. IV. De hebdomada sancta.

Haec hebdomada privilegiata nulli festo occurrenti et translato cedit; in illa tamen usque ad feriam quintam exclusive fit commemoratio simplicis occurrentis. Dominica ac tribus feriis sequentibus, fit officium de tempore Passionis, Lectiones, Responsoria propria, itemque Antiphonae ad Laudes et Horas.

Tota hebdomada majori prohibetur quaecumque Missa votiva non solemnis, et etiam Missa votiva solemnitatis trans-

latae festi Patroni, de quo non fit commemoratio. Missa de Requiem, praesente corpore, et quandoque corpore jam sepulto, ob gravem causam cantari (non autem legi) potest, praeterquam in ultimo triduo et in Dominica Palmarum.

Dominica in Palmis. — In Missa unica Oratio, omissa etiam imperata (S. C.) ac commemoratione Simplicis (R.). In Missis privatis, imo et in Missa solemni, ubi non benedicuntur rami, ultimum Evangelium, *Cum appropinquasset Jesus* etc., ex benedictione palmarum; sed in fine Missae solemnis, ubi rami benedicuntur, dicitur Evangelium s. Joannis: *In principio.*

Benedictio ramorum, cereorum etc., cum parocho stricte non competat, in quavis ecclesia publica fieri potest (S. C.).

In priori parte hujus operis omnes hebdomadae majoris caeremoniae in extenso expositae fuerunt.

§. V. De tempore paschali.

1. Tempus paschale inchoatur ad Vesperas sabbati sancti et terminatur ad Vesperas sabbati post Pentecosten, sicque octo hebdomadis comprehenditur. Cum tamen ritus non sit omnino idem infra primam hebdomadam ac infra octavas Ascensionis et Pentecostes, qui pro reliquo tempore paschali, mutanda a Dominica in Albis tantum indicabuntur.

2. Hebdomada paschalis privilegiata cuicunque festo, etiam Patroni vel Titularis praefertur (R.). Dominica Resurrectionis D. N. J. C. prohibentur Missae de Requiem, etiam praesente corpore. Reliquis diebus octavae cantari (non autem legi) potest unica Missa de Reqniem praesente corpore. Feriae secunda et tertia sunt primae classis, a feria autem quarta infra octavam inclusive permittuntur Missae votivae solemnes pro re gravi, vel pro publica ecclesiae causa (S. C.). A feria etiam quarta fit commemoratio de festo simplici, si occurrat.

Ad Matutinum, unum tantum Nocturnum; ad Laudes et Vesperas, Capitulum, Hymnus et Versus non dicuntur; sed eorum loco dicitur Antiphona *Haec dies* etc. Antiphonae ad *Benedictus* et *Magnificat* cuilibet feriae sunt propriae. Ad alias autem Horas fit officium ut in Breviario notatur.

Notandum est, feria secunda et quinta, feria tertia et sexta, feria quarta et sabbato variari Versum post Psalmos cujuslibet Nocturni, atque ad *Benedicamus Domino,* et etiam ad Responsum *Deo gratias* addi duplex *Alleluja,* sed in Laudibus et Vesperis tantum.

In Missa, Sequentia *Victimae paschali*, *Communicantes* et *Hanc igitur* propria per totam octavam. In ecclesiis, in quibus est fons baptismalis, aqua non benedicitur, sed fit aspersio cum aqua fontis baptismalis pridie reservata, et dicitur Antiphona *Vidi aquam.*

In Vesperis Paschae loco Hymni dicitur Antiphona *Haec dies,* quae intonanda est ab hebdomadario (S. C.). Infra octavam a feria quarta, et etiam tribus sequentibus diebus, in Missa dicitur secunda Oratio *Ecclesiae* vel *Pro Papa* tantum, nisi facienda sit commemoratio festi simplicis, quia tunc illa Oratio *Ecclesiae* vel *Pro Papa* omitti debet (S. C.). Non omittatur Oratio imperata, si habeatur.

Post hanc hebdomadam octavae permittuntur.

In sabbato in Albis Vesperae sunt de sabbato, ut in Psalterio, sub unica Antiphona trium *Alleluja,* ritu duplici, a Capitulo Dominicae in Albis, ut ibi *Benedicamus* sine *Alleluja.* Completorium ritu paschali pro Dominica in Albis. Haec Dominica, etsi duplex minus, gaudet privilegio Dominicarum primae classis et proinde excludit omne festum in eo occurrens. Missa propria, et in Secreta dicitur *Et cui causam,* non autem *Et qui causam* (S. C.). Si occurrat simplex, de eo dicitur nona Lectio (S. C.). Concurrens cum duplici majori, habet Vesperas integras, sed tantum commemorationem, si fiat de festo secundae classis.

3. *De tempore paschali.* Toto tempore paschali in festis B. M. V., Confessorum Pontificum et non Pontificum, Virginum et non Virginum, et aliorum, pro quibus in Breviario tempore paschali non datur officium particulare, recitatur officium ut in aliis temporibus, sed ad Invitatorium additur unum *Alleluja,* si nullum adsit. Hymni ejusdem metri in quolibet officio usque ad Ascensionem Domini exclusive, concluduntur: *Deo Patri sit gloria, Et filio, qui a mortuis Surrexit, ac Paraclito, In sempiterna saecula.* Nocturna, sive unum ut in feriis et simplicibus

recitatur, sive tria ut in Dominicis, duplicibus et semiduplicibus, dicuntur tantum sub una et quidem prima Antiphona istius Nocturni. Ad Matutinum Hymnus *Te Deum* semper dicitur.

Item ad omnes Antiphonas, Versus Nocturnorum et reliquarum Horarum (exceptis versibus precum in Prima et Completorio, quibus nunquam additur *Alleluja*), et in Responsoriis post Lectiones Nocturnorum, ante Versum additur unum *Alleluja*, modo praevie non apponatur, nam tunc aliud non additur.

Responsoriis brevibus omnium Horarum, etiam Primae et Completorii additur duplex *Alleluja*, quod etiam inservit repetitioni partis Responsorii ante *Gloria Patri*, et unum additur eorumdem Versiculis. (Rub. Brev.).

Laudes in feriali officio, dicuntur ut in Dominicis, cum Capitulo ut in Laudibus Dominicae notatur, et Antiphona propria ad *Benedictus*. Similiter Prima in feriali officio dicitur ut in Dominicis, sed cum tribus tantum Psalmis, ut in festis. Ad Primam in Dominica omittitur Psalmus *Confitemini*, sed dicitur Psalmus *Quicumque*.

In Vesperis Dominicae et feriae omnes Psalmi dicuntur sub una tantum Antiphona *Alleluja;* in festis autem dicuntur Antiphonae pro quolibet Psalmo ut alio tempore. Quando non est duplex aut infra octavam, dicuntur preces dominicales in Prima et Completorio, ut alio tempore, et fit commemoratio Crucis, ut feria secunda post Dominicam in Albis praescribitur, communia autem suffragia non dicuntur.

In initio omnium Horarum, post Versum *Gloria Patri* resumitur Antiphona *Alleluja*, et in fine officii Antiphona finalis B. M. V. *Regina coeli*.

Nota, pro Communione danda, addendum esse *Alleluja* ad Versum *Panem de coelo*, et dicendam Orationem *Spiritum nobis*, cum conclusione brevi. Pro infirmis autem servatur ritus extrapaschalis. Aspersio in Missa fit per Antiphonam *Vidi aquam*, ac ad Versiculum *Ostende nobis* additur *Alleluja*.

In Missa additur duplex *Alleluja* in Introitu ante Psalmum, in fine autem Offertorii et Communionis unum, si praevie non habeatur: omisso Graduali dicuntur duo Versus cum quatuor *Alleluja*, qui Versus, si in Proprio non habeantur,

sumuntur de Communi. In omni Missa dicitur Praefatio paschalis (omissa voce *die*), nisi propria habeatur. Praedicta etiam servanda sunt in Missa votiva. In festis semiduplicibus, secunda Oratio de s. Maria *Concede*, tertia *Ecclesiae* vel *Pro Papa*.

Tempore paschali officium et Missa, in festis Apostolorum et Evangelistarum, atque unius aut plurium Martyrum, dicuntur ut in propriis locis vel ut in eorumdem Communi, tempore paschali; ita ut, si fiat translatio alicujus festi a tempore non paschali ad paschale, officium et Missa recitantur prout tempore paschali. Si festum alicujus sancti Martyris habens in Missa Evangelium proprium, transferatur ad tempus paschale, dici debet idem proprium Evangelium, non vero unum ex assignatis pro tempore paschali. Si ultra Introitum habeat etiam proprium vel Evangelium vel Epistolam, tunc debet recitari idem Introitus; secus si nihil aliud proprii haberet, quia in eo casu Introitus alter incipiens: *Protexisti me, Deus* etc. dicitur. Si festum Martyris de paschal ad tempus extra paschale transferatur, officium dici debet de Communi Martyrum extra tempus paschale, retentis Lectionibus, Oratione et si quid aliud habeatur in Proprio; in casu autem liberum non est, Lectionem et Missam de *primo* vel *secundo loco* pro libitu recitare, sed prout Evangelium vel Oratio de Communi ex *primo* vel *secundo loco* sumpta sunt, ex eo quoque loco Lectiones et Missa sumenda sunt. In diario festorum, mutanda in aliquibus festis indicata fuerunt.

Ritus paschalis servari debet in officio de aliquo Sancto alicubi ex voluntate testatoris recitando, ultra officium diei, non autem in officio parvo B. M. V., quod recitatur prout jacet, iis tantum mutatis, quae in Breviario indicantur. Quae regula non ad solum parvum officium spectat, sed communis est Antiphonis, Hymnis etc., quae extra ordinem divini officii dicuntur. Dicuntur enim ut extra tempus paschale, si excipies Versum *Panem de coelo*, et Hymnum *Veni Creator*, qui concluditur ut in ipso festo (S. C.).

Si dicenda sit Sequentia, tum ultimum *Alleluja*, alias dicendum post secundum Versiculum, dicitur finita Sequentia. Toto tempore paschali non dicitur officium defunctorum pro prima die mensis, neque Missa conventualis de Requiem, nec fit com-

memoratio pro defunctis (R.). Fieri tamen potest pro aliquo defuncto in particulari, quando alias licet.

4. Patrocinium s. Joseph, sponsi B. M. V., ex decreto Urbis et Orbis 10. Septembris 1847 ab utroque Clero Urbis et Orbis sub ritu duplici secundae classis, de praecepto celebrandum est officio proprio Dominica tertia post Pascha; quod impeditum alio officio potioris ritus vel majoris dignitatis, transferendum est ad primam diem liberam, et tunc quoque in Missa *Credo* dicitur (S. C.). Dum hoc festum celebratur in Dominica, legitur nona Lectio homiliae, et commemoratio ubique fit Dominicae. Festo tamen Patrocinii s. Joseph praefertur quodcumque festum sive occurrens sive concurrens primae classis, aut similiter festum primarium secundae classis (S. C.).

Si hoc festum extra tempus paschale transferatur, Antiphonae Nocturnorum omnes dicuntur ut in ejus festo principali 19. Martii, caeteris autem partibus Missae aut officii retentis, mutatisque tantum mutandis prout tempus non paschale exigit.

5. In quinta hebdomada post Pascha, fiunt Litaniae seu Rogationes.

Feria secunda Rogationum est major; de ea fit officium, nisi novem Lectionum vel translatum, occurrat. Tunc fit de eo cum commemoratione feriae Rogationum, in Laudibus et Missis, ante commemorationem Simplicis, si occurrat, et cum nona Lectione homiliae, ejusque Evangelio in fine Missae (R.). Fit item in illa de die infra octavam, cum commemoratione et nona Lectione feriae, sed in hoc casu Missae erunt de feria. Non fit tamen de officio votivo semel in hebdomada concesso. Haec feria habet tertium Responsorium, quia non dicitur *Te Deum;* quod in duabus vero sequentibus feriis dicitur. Si fit officium de feria, Vesperae dicuntur ut in Psalterio tempore paschali. Antiphona *ad Magnificat, Ipse enim Pater,* Oratio Dominicae praecedentis cum commemoratione crucis. Ad Horas preces feriales non dicuntur, sed tantum fit commemoratio de cruce (R.). Si festum novem Lectionum occurrat, in primo Nocturno leguntur Lectiones de Communi, aut initium Epistolae primae s. Petri, si lectum non fuit. Idem est de die

infra octavam, et si dies octava fuerit, Lectiones die festi lectae repetuntur (R.).

Sequitur Missa officium. Feria secunda et tertia Rogationum, si festum duplex aut semiduplex occurrat vel concurrat, Vesperae sunt de eodem sine commemoratione feriae Rogationum. Si feria tertia festum simplex occurrat, Vesperae sunt feriales et a Capitulo de Simplici sine commemoratione feriae.

Feria tertia Rogationum est minor. Si festum quodcumque, vel simplex in ea occurrat, officium fit de festo sine commemoratione feriae, excepta Missa, in qua semper fit commemoratio feriae.[1] Si nec festum simplex occurrat, officium fit de feria, ut in Breviario, cum Oratione Dominicae praecedentis; sed omnes Missae dicuntur de Rogationibus in colore violaceo sine *Gloria in excelsis*, licet in officio dictum sit *Te Deum*, et cum Oratione ut in Missa Rogationum, sine commemoratione feriae, quamvis in officio dicta sit Oratio Dominicae praecedentis.

Hac feria tertia, si festum duplex aut semiduplex non occurrat vel concurrat, Vesperae integrae sunt feriales cum commemoratione Simplicis sequentis, si habeatur.

In feria quarta Rogationum incidit Vigilia Ascensionis. Hac feria quarta, si occurrat festum novem Lectionum etiam translatum, officium fit de eodem cum nona Lectione Vigiliae, ejusque commemoratione in Laudibus ac Missa, nisi festum occurrens sit duplex primae classis (R.). Si occurrat dies infra octavam, cfr. supra. Si festum novem Lectionum non occurrat, fit de Vigilia, ut in Breviario et Missali notatur, cum commemoratione Simplicis, si occurrat; sed sine ejus Lectione. In Missa fit commemoratio Rogationum, etiamsi in ecclesia Missa Rogationum solemniter cantetur (S. C.).

Processio Rogationum, in quantum potest, prius fieri debet et deinde Missa celebrari de Rogationibus (S. C.), etiam in Dominicis et infra octavam Paschatis, licet una tantum Missa celebretur (S. C.). Excipe, si esset vel festum Patroni, tunc enim Missa de Patrono cantatur cum commemoratione Rogationum

[1] Occurrente tamen festo I. classis, non fieret commemoratio de Rogationibus (S. C.).

sub unica conclusione (S. C.), vel cantatur Missa Rogationum cujus in aliis Missis commemoratio amplius non fit (S. C.). Item casum excipe, quo in festo s. Marci in ecclesia eidem dicata processio terminetur (R.). Haec autem Missa processionis Rogationum, etiam in festo s. Marci, vel in Dominicis aut infra octavam Paschatis celebranda est de feria, ut in Missali praescribitur post Dominicam quintam post Pascha, in colore violaceo, sine *Gloria* et *Credo*. In hac Missa tantum fit commemoratio festi occurrentis aut Vigiliae, si in hac ecclesia Missa de festo vel de Vigilia celebrata non fuerit (S. C.). Idem servetur in ecclesiis cathedralibus, ubi capitulum Missam festi aut Vigiliae non cantavit (S. C.). Quando in hac Missa fit commemoratio alicujus octavae Praefationem propriam habentis, tunc Praefatio octavae dicatur (S. C.).

Ab illis, qui non intersunt processioni, Litaniae cum suis Precibus et Orationibus, in festo s. Marci ac triduo Rogationum, de praecepto eadem die recitentur (R.) absque repetitione (S. C.); pridie autem recitari nequeunt, quia sunt addictae diebus praescriptis (S. C.). Numquam tamen transferuntur Litaniae seu processio, nisi festum s. Marci occurrat in die Paschatis, tunc processio transfertur in feriam tertiam immediate sequentem. Per decreta vero specialia conciliorum provincialium a s. Sede approbatorum illae regulae mutantur saepius.

6. *Ascensio D. N. J. C.* — Festum primae classis cum octava de praecepto in universali ecclesia celebrandum. Octava Ascensionis non est privilegiata; si tamen dies octava Ascensionis concurrat cum festo duplici majori, Vesperae integrae dicuntur de die octava (R.). Officium ac Missa propria. Omnes Hymni ejusdem metri terminantur per *Jesu, tibi sit gloria, Qui victor* etc., et in Responsorio brevi ad Primam dicitur: *Qui scandis super sidera,* usque ad primas Vesperas Pentecostes, etiam in officiis occurrentibus, nisi haec propria habeant. In Missa *Credo,* Praefatio et *Communicantes* de Ascensione propria[1]

[1] Finito Evangelio Missae solemnis festi Ascensionis Domini extinguitur cereus paschalis (R.), nec ulterius accenditur, nisi in Vigilia Pentecostes in benedictione fontis. Qui cereus paschalis accendi debuit in Missis ac Vesperis solemnibus, sabbato sancto,

per totam octavam, nisi habeatur Praefatio propria. Matutinum Ascensionis Domini dicitur cum singulis Antiphonis ad unumquemque Psalmum, licet adhuc currat tempus paschale; in occurrentibus tamen festis infra octavam, Nocturna dicuntur sub una Antiphona ritu paschali, ut ante Ascensionem. Si infra octavam Ascensionis occurrant festa trium Lectionum, fit tantum commemoratio, cum nona Lectione de eis (R.).

Dominica infra octavam Ascensionis officium ut in festo Ascensionis et proprio loco, fit commemoratio Ascensionis mutato versu, si opus fuerit. Ad Primam, Psalmus *Quicumque* non dicitur.

Feria sexta post octavam Ascensionis officium fit sicut infra octavam Ascensionis, exceptis Lectionibus, quae habentur propriae, et Responsorio octavo, Capitulis, Antiphonis ad *Benedictus* et *Magnificat*, et Oratione, quae dicuntur de Dominica infra octavam Ascensionis. Et non dicuntur Preces ad Primam et Completorium, nec commemoratio de cruce (R.), quia quodam modo octava continuatur (AA.). Si hac feria sexta occurrat festum duplex vel semiduplex etiam translatum, fit de festo cum commemoratione feriae sextae in Laudibus, Missa et secundis Vesperis, sine nona Lectione homiliae et sine ejus Evangelio in fine Missae; imo si festum sit primae classis, nihil fit de hac feria sexta, neque in secundis Vesperis; si autem sit secundae classis, nihil pariter de eadem fit in Laudibus et Missis, sed tamen ejusdem commemoratio fit in secundis Vesperis. Haec feria sexta cedit etiam diei infra octavam (S.C.).

Si hac feria sexta celebretur festum semiduplex occurrens aut translatum, juxta Gav. et plures alios, secundae Vesperae sunt integrae de festo cum commemoratione feriae, sed juxta Guyetum et Cav., a Capitulo fit de feria cum commemoratione festi semiduplicis. Utraque haec opinio est probabilis et casu occurrente, eligi potest. Eadem difficultas, si hac feria sexta celebrare contingat festum secundae classis, habetur, utrum scilicet fieri debeat ubique commemoratio feriae.

Dominica Paschatis, cum duabus sequentibus feriis, atque in omnibus Dominicis, non autem in aliis solemnitatibus, nisi consuetudo vigeat (S. C.).

In Vigilia Pentecostes, si festum simplex occurrat, de eo recitatur nona Lectio et commemoratio in primis Vesperis et Laudibus tantum. Hac Vigilia prohibentur festa duplicia et semiduplicia; prohibentur etiam Missae defunctorum, corpore non praesente, atque Missae votivae solemnes pro re gravi, vel pro publica Ecclesiae causa. In officio, ut heri, adhibetur color albus usque ad Nonam inclusive. Ab hac Vigilia omnes octavae prohibentur (R.) a Laudibus (G. Gu. By. Cav.) usque ad Dominicam ss. Trinitatis inclusive (R.).

Hodie fit benedictio fontis ut sabbato sancto, praecedentibus Prophetiis ac sequentibus Litaniis in colore violaceo.

In Missa adhibentur paramenta rubea, et una tantum Oratio dicitur (R.), sicque omittitur Oratio Simplicis (S. C.) vel Oratio ab Episcopo imperata (AA.). Praefatio et reliqua ut in festo Pentecostes. In Missa solemni Introitus non dicitur. Introitus autem pro Missis privatis assignatur in fine Missae hujus Vigiliae. Per Missas autem privatas hic intelliguntur omnes, quibus non praemittuntur Prophetiae et Litaniae.

7. *Dominica Pentecostes,* festum duplex primae classis cum octava. Officium proprium. Pentecostes et ejus octavae eadem sunt privilegia ac Dominicae Resurrectionis D. N. J. C. Ad Matutinum, unum tantum Nocturnum. Ad Completorium, post primas Vesperas Pentecostes, Hymnus concluditur *Deo Patri... Et Filio, qui a mortuis... In saeculorum saecula.* Idem servatur ad reliquas Horas ac per totam octavam. Hodie et infra octavam, Missa, Antiphonae ad *Benedictus* et *Magnificat* sunt propriae. Similiter Praefatio, *Communicantes, Hanc igitur* propria. In festo et per octavam Pentecostes dicitur Hymnus: *Veni Creator* loco *Nunc sancte* ad Tertiam, et sub prima stropha Hymni *Veni Creator* in choro genuflectitur (S. C.). Celebrans vero non genuflectit, nisi postquam Hymnum intonaverit (M.).

Infra hanc octavam Quatuor Tempora occurrunt. Non dicitur: *Flectamus genua,* propter Tempus paschale ac octavam.

A feria quarta infra octavam Pentecostes fit commemoratio festi simplicis, si occurrat, et tunc omittitur Oratio *Ecclesiae.*

Post Nonam sabbati infra octavam Pentecostes, celebrata Missa, terminatur tempus paschale (R.).

§. VI. De Dominicis a Pentecoste usque ad Adventum.

1. I[a] Dominica post Pentecosten incipit tempus anni commune vel ordinarium, viginti tres ad viginti octo hebdomadas continens. Officium in Dominicis et feriis, paucissimis exceptis, idem est ac in Dominicis post Epiphaniam. In fine officii Antiphona B. M. V. *Salve regina* dicitur, ac suffragia communia resumuntur.

In Breviario huic tempori dispositio specialis assignatur. Homiliae cum Orationibus uniuscujusque Dominicae separantur a Lectionibus de Scriptura et a secundo Nocturno. Homiliae ponuntur ante Proprium Sanctorum, Lectiones autem de Scriptura in Proprio de Tempore post Psalterium. Usque ad primam Dominicam Augusti, id est, proximiorem kalendis Augusti, nulla adest difficultas, cum Lectiones de Scriptura ac homiliae sumantur ex Dominicis eumdem titulum habentibus: sic Lectiones Dominicae quintae post Pentecosten inservient, dum homilia ejusdem quintae Dominicae legetur. Ast ubi juxta computum ecclesiasticum, perventum erit ad primam Dominicam Augusti, Lectiones in primo et secundo Nocturno interrumpuntur, prout ordo Dominicarum fert, et sumuntur Lectiones mensi assignatae. Si videlicet Dominica septima post Pentecosten venerit in die 30. Julii, omissis Lectionibus de libris Regum (septimae Dominicae post Pentecosten assignatis) ponuntur de libris Salomonis in Dominica 1. Augusti; Oratio autem et homilia ex Dominica septima post Pentecosten semper sumuntur.

2. *Dominica prima post Pentecosten,* festum ss. Trinitatis duplex secundae classis, cum privilegiis primae classis. Hodie prohibentur Missae votivae solemnes pro re gravi, vel pro publica Ecclesiae causa, quia est Dominica primae classis; non tamen prohibentur Missae solemnes de Requiem, praesente corpore (S. C.). Officium ac Missa propria. Nona Lectio homilia, et commemoratio Dominicae in Laudibus, Missa et Vesperis, et in fine Missae Evangelium Dominicae. Ad Primam

additur Symbolum *Quicumque,* sed tantum hodie, si hoc festum octavam habeat (S. C.). Si octava ss. Trinitatis concurrat cum octava ss. Corporis Christi: octava ss. Corporis Christi utrasque Vesperas integras habet (S. C.), sed dies octava festi ss. Trinitatis gaudet privilegiis octavarum festorum Domini (S. C.).

3. *Feria quinta post Dominicam ss. Trinitatis,* festum ss. Corporis Christi, cujus solemnitas in aliquibus regionibus in Dominicam sequentem vi Concordati transfertur, duplex primae classis cum octava. Infra hanc octavam semiduplicia transferuntur post octavam, nec fit de duplici translato, quod non sit primae aut secundae classis. In die autem octava ss. Corporis Christi, non fit nisi de duplici primae classis occurrente (S. C.); hinc festum duplex primae vel secundae classis transferri poterit infra octavam, in diem, a qua festum semiduplex occurrens transferendum est (S. C.).

Hac octava Missae defunctorum ac votivae non solemnes etiam prohibentur. De eadem octava ubique commemoratio fit. Officium ac Missa propria. Omnes Hymni ejusdem metri per totam octavam concluduntur *Jesu ... Qui natus es de Virgine* etc., excepto Hymno *Verbum supernum;* et in Responsorio brevi ad Primam, dicitur *Qui natus es de Maria virgine,* atque in Responsoriis Horarum, praeterquam ad Primam et Completorium, duo *Alleluja* adduntur.

In festo ss. Corporis Christi prohibetur cantari Missa exequialis, etiam corpore praesente.

Infra octavam ss. Corporis Christi, de simplici fit tantum commemoratio, absque nona Lectione de eo, dum fit officium de supradicta octava (S. C.). Non idem dicendum de Vigilia, cujus nona Lectio legitur (AA.). Debetne, Dominica infra octavam ss. Corporis Christi, legi nona Lectio Simplicis? Merati partem negativam recte sustinet (S. C.).

Si per hanc octavam, vi alicujus indulti, fit tantum de festo duplici primae vel secundae classis, fieri etiam potest de festo translato (S. C.); non autem de aliqua octava (S. C.).

Dies octava ss. Corporis Christi in concurrentia cedit tantum festis secundae classis.

4. *Dominica secunda post Pentecosten,* et infra octavam

ss. Corporis Christi, semiduplex. Omnia ut in festo et proprio loco. Missa propria. Fit ubique commemoratio octavae. Ad Primam dicitur Psalmus *Quicumque* (R.).

Ubi hac Dominica solemnitas ss. Corporis Christi celebratur, in ecclesiis parochialibus, et in oratoriis publicis, Missa solemnis principalis cantatur de festo ss. Corporis Christi, cum commemoratione Dominicae, sub distincta conclusione, ac festi duplicis, si occurrat, et Evangelio s. Joannis in fine. In ecclesiis autem cathedralibus et collegiatis, ubi celebratur altera Missa conventualis de officio occurrente, unica dicitur Oratio in Missa solemni principali. Vesperae etiam solemnius cantari possunt, imo de ipso festo Corporis Christi (S. C.).

Ob hanc solemnitatem Missa, exequialis, corpore etiam praesente, prohibetur (S. C.).

5. Quoad caeteras Dominicas post Pentecosten, nihil in illis specialiter observandum, quod non fuerit annotatum. Sic si Dominicae post Pentecosten fuerint plures viginti quatuor, tunc post vigesimam tertiam Dominicam resumuntur, quae eo anno superfuerunt post Epiphaniam, quoad Orationem, Homiliam et Antiphonas ad *Benedictus* et *Magnificat*, prout alias dictum fuit. Si Dominica vigesima tertia post Pentecosten fuerit ultima post Pentecosten, ejus loco ponitur Dominica vigesima quarta, et officium hujus Dominicae ponitur in sabbato praecedenti, non impedito festo novem Lectionum, alioquin feria sexta, vel alia similiter non impedita, prout pro Dominica secunda post Epiphaniam explicatum est.

6. Festum ss. Cordis Jesu feria sexta post octavam ss. Corporis Christi, duplex majus, nunc de praecepto pro tota ecclesia, ex decreto 23. Augusti 1856. Si hoc festum non transferatur, in primis Vesperis de eo non fit commemoratio. Officium illud est, quod regno Poloniae ac clero romano concessum fuit 2. Maii 1765, cum Missa *Miserebitur* correspondente; conclusiones Hymnorum istius festi non variantur; ad Primam autem Responsorium breve, *Qui passus es pro nobis* dicitur.

Concessio tamen generalis indultis specialibus, quoad ritum, diem, officium, non officit (Decret. gen.). Itaque qui officium Missae *Egredimini* correspondens recitant, Hymnos

concludere debent per *Jesu tibi sit* (S. C.). Cum hoc festum obliget, transferendum est, si impeditum sit; qui vero alia die celebrant, non possunt in hacce feria illud festum denuo celebrare (S. C.).

Caput tertium.

De festis specialibus.

§. I. De Patrono et Titulari.

1. Etsi per extensionem Patroni nomine Titularis appellari possit, tamen haec duo vocabula, in sua stricta et praecisa acceptione, notabiliter inter se differunt, qua scilicet praetermissa diversitate, facile est, in errorem versari. *Patronus* est alicujus loci protector, *Titularis* vero est vocabulum ecclesiae particularis. Haec radicalis et fundamentalis est inter eos differentia, et ex illa fluunt sequentia consectaria. 1° Patronus directe respicit locum sub sua protectione commissum, ac incolas istius loci, Titulus autem seu Titularis respicit tantum ecclesiam sub sua invocatione dedicatam. 2° Sanctus aliquis potest esse Patronus loci, licet nulla ecclesia nomine ejusdem Sancti vocetur, sicque s. Genoveva Lutetiae Patrona fuit ultra quinquaginta annos, absque eo quod ecclesia ipsi dedicata fuerit. Similiter aliquis Sanctus esse potest Titularis ecclesiae, quin simul sit Patronus loci; sicque Parisiis s. Eustachius, s. Rochus, B. M. V. sunt Titulares harum trium ecclesiarum, minime vero Patroni seu Protectores ejusdem civitatis. 3° Si ecclesia totaliter destruatur, perit etiam Titulus (S. C.); Patronus e contra jura sua servat, etiamsi plures sint ecclesiae, aut novae parochiae erigantur. 4° Novae parochiae erectae, aut post decretum a C. Caprara institutae, non habent Patronum, illisque tantum Titulus seu vocabulum conceditur. Sanctus vel mysterium, cui ecclesiae dedicata est, est simpliciter Titulus, minime vero Patronus loci. 5° Procul dubio, in Titulum assumi potest mysterium in universali Ecclesia celebratum vel

persona ss. Trinitatis, videlicet Nativitas Domini, Annuntiatio B. M. V., Quinque Plagae D. N. J. C., sanctus Salvator, ss. Trinitas; dubitatur autem, utrum illi in Patronos eligi possint, cum sacrorum Rituum Congregatio sanctas Spinas D. N. J. C., loci Patronum non admiserit (S. C.). 6° Antiquae civitates Patronos habent, multi autem pagi aut recentiores civitates nullos Patronos habent, aut saltem de eo dubitatur; saepiusque ecclesiis parochialibus praedictorum pagorum ac recentiorum civitatum Titulares tantum dati sunt. Parochiae recens erectae, uti factum fuit per novam circumscriptionem dioecesium et parochiarum in toto territorio reipublicae gallicanae, aut ob aliam causam, antiquum loci Patronum servant; protectioni enim Patroni nihil omnino subtractum fuit per erectionem novae parochiae. Ast quomodo cognosci potest, qualis sit iste Patronus? 7° Patronus habet feriationem in populo, non vero Titulus, saltem post bullam Urbani VIII.

2. Quoad Patronos locorum eligendos sacrorum Rituum Congregatio, annuente ss. Domino Urbano VIII., 23. Martii 1630, decrevit 1° quod in Patronos ii solum eligantur, qui ab ecclesia universali titulo Sanctorum coluntur, non autem beatificati dumtaxat; 2° quod de Patrono civitatis electio fieri debeat a populo, mediante consilio generali illius civitatis vel loci, non autem ab officialibus solum, et quod accedere debeat consensus expressus Episcopi et Cleri illius civitatis: idemque servari debeat in Patrono regni, qui pariter eligi debeat a populo singularum civitatum provinciae, non autem a repraesentantibus regnum, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, et pariter cum consensu Episcopi, et Cleri dictarum civitatum; 3° quod causae electionis novorum Patronorum debeant in S. R. C. deduci et examinari; ac demum causa cognita ab eadem Congregatione approbari et confirmari.

Electio igitur Patroni loci aliter facta, id est non servato decreto Urbani VIII. praedicto, ipso jure nulla est (S. C.).

Titulus ecclesiae eligitur in benedictione primarii lapidis pro ecclesia aedificanda, ex privato etiam fundatorum vel aliorum, ad quos spectat, beneplacito; de facto autem constituitur in ipsa benedictione seu consecratione (Cav.). Patronus loci et

Titularis ecclesiae, legitime electi et constituti, ab Episcopo, sine indulto et facultate apostolica, immutari nequeunt (S. C.).

3. Quinam tenentur ad officium Patroni principalis loci, et sub quo ritu?

[A] Omnes Clerici saeculares ad horas canonicas obligati, ejusdem loci incolae, sive adscripti servitio alicujus ecclesiae sive non, ad hoc tenentur sub ritu duplici primae classis cum octava. Si Patronus loci non habeatur, tenentur simili modo ad officium Patroni dioecesis seu civitatis episcopalis. Regulares autem, sive sint monachi et mendicantes, sive Clerici regulares atque moniales ad horas obligatae, sive utentes Breviario Romano, sive proprio, sive Ordinario subjectae, sive non; tenentur sub ritu duplici primae classis in die festo, sed sine octava (S. C.). Atque si regulares et moniales ad octavam, vi concessionis apostolicae vel constitutionis religionis a Sede apostolica approbatae teneantur, ad octavas omnium principaliorum Patronorum tenentur (S. C.).

[B] In locis, ubi peculiaris Patronus regni, provinciae, civitatis aut pagi colitur, ad officium Patroni civitatis episcopalis seu dioecesis, saltem vi patronatus, non tenentur. Idem est quoad titulum ecclesiae cathedralis. Si tamen in locis, ubi peculiaris Patronus habeatur, de Patrono dioecesis officium recitari soleat, attenta consuetudine fieri potest officium a Sacerdotibus saecularibus, etiam sub ritu duplici primae classis cum octava.

[C] In regno, provincia etc., ubi Patronus antiquus vel legitime electus et constitutus, colitur, omnes tam regulares quam saeculares, ad ejus officium tenentur, quia proprie est Patronus loci, uti 20. Martii 1683. et 23. Martii 1709. sacrorum Rituum Congregatio decrevit. Regulares autem ad octavam non tenentur (S. C.).

[D] Jure communi, ordini, congregationi regulari et monasterio Patronus non datur (S. C.).

4. Quinam tenentur, et sub quo ritu, ad officium Titularis Ecclesiae?

[A] Omnes, qui sunt stricte adscripti ecclesiae, aut in ea beneficium licet tenue sed residentiam requirens possident, aut

ad officium publicum obligati sunt, tenentur sub ritu duplici primae classis cum octava (S. C.), etiamsi ecclesia parochialis non fuerit (S. C.).

[B] Alii autem Clerici, qui ecclesiae adscripti non sunt, nec in ea tale beneficium possident, non tenentur, neque possunt recitare officium Titularis, etiamsi intra limites parochiae istius ecclesiae habitent et munia quaedam pastoralia exerceant, v. g. concionando, instruendo populum, aliqua Sacramenta administrando etc. Neque etiam regulares in parochia commorantes officium Titularis recitare possunt (S. C.).

[C] Regulares et moniales ad chorum obligatae tenentur recitare sub ritu duplici primae classis cum octava officium Titularis illius conventus, in quo morantur; similiter Seminarii praeses, professores, atque alumni in majoribus ordinibus constituti, festum Titularis ecclesiae Seminario annexae celebrare tenentur (S. C.).

[D] Festum[1] Titularis capellarum publicarum et oratoriorum, quae existunt in aedibus episcopalibus, seminariis, hospitalibus, domibus regularium, domibusque privatis, celebrari non debet sub ritu duplici primae classis cum *Credo* et octava. Similiter festum Titularis ecclesiarum ab ecclesia parochiali dependentium, in quibus Missa celebratur, concionatur, et aliqua Sacramenta administrantur, celebrari non debet nec potest sub ritu duplici primae classis cum *Credo* et octava (S. C.). Porro inter oratoria et capellas publicas et ecclesias hoc discrimen est, quod ecclesiae praecipue usui fidelium destinentur; capellae autem publicae, licet pateant, non tam usui libero populi quam commoditati alicujus familiae aut collegii inserviant (S. C.).

[E] Sacerdos duabus ecclesiis adscriptus tenetur de utriusque Titulari recitare officium sub ritu duplici primae classis cum octava (S. C.). Similiter possunt haberi Titularis et Patronus; et si sint in eadem ecclesia duo Tituli, aeque principales legitime constituti, de illis ab iisdem eodem ritu debet fieri officium (S. C.).

---

[1] Excipe, si Sacerdotes his capellis publicis et oratoriis ab ipso Episcopo adscripti sint, ibique resideant, tunc enim Titulari gaudent (S. C.).

[F] Si autem plures Tituli aut Patroni non sint aeque principales, de principali tantum debet fieri sub ritu duplici primae classis cum octava; de secundario seu minus principali Titulari aut Patrono loci vel ecclesiae, debet fieri officium sub ritu duplici majori (R.). De hoc Titulari aut Patrono minus principali tenentur officium recitare iidem Clerici sacculares, qui tenentur de principali; regulares autem et moniales de secundario Patrono non tenentur, nisi aliunde obligentur (S. C.). De Patrono secundario octava non fit (S. C.).

[G] Tituli festum celebratur ea die, qua ab Ecclesia recolitur, aliter in die obitus, si agatur de Sancto (S. C.). Casu, quo semper impediatur a festo digniori, ad aliam diem amandari debet, et tunc octavae privilegio gaudet (S. C.).

Si ecclesia dedicata fuerit in honorem plurium Sanctorum, qui non per modum unius, sed divisim coluntur, tum ambo in respectivis eorum diebus colendi sunt sub ritu primae classis cum octava, ab iis, quorum ecclesiae sunt titulares (S. C.).

[H] Si ecclesia totaliter destruatur aut in perpetuum profanatur, loci sacri qualitate amissa, perit etiam titulus, et de eo nihil amplius fieri debet, nisi sub eodem titulo (quod maxime decet) restituatur. Quod si sub alio titulo erigatur, tunc priore omisso, de posteriori tantum fieri debebit (S. C.). Quod si priori titulo alius adjunctus sit, non cessat neque perit jus prioris, licet posterior novam ecclesiae tribuat denominationem, quapropter de posteriori titulari qua tali regulariter nihil fieri potest (S. C.).

5. Decretum Em. ac Rev. Domini Cardinalis Caprara, quoad feriationem et translationem in Dominicam sequentem solemnitatis festi Patroni parochiarum et dioecesum, intelligendum est juxta mox explicata, videlicet quod si Patronus loci non habeatur, solemnitas Patroni dioecesis in Dominicam sequentem sit transferenda, nisi olim in populo feriatio locum non habuerit. Tituli autem ecclesiae solemnitas transferri nequit, cum Titulus juxta decretum Urbani VIII. feriationem non habeat (S. C.).

6. Cum festum Patroni aut Tituli sit primae classis,

quaecumque sunt praescripta in rubricis generalibus[1] pro hujusmodi festis servanda sunt. Quod si forte sit Titulus alicujus ecclesiae, Sanctus, cui inBreviario socii adjunguntur, et dubium subsit, utrum ejus socii sint etiam Titulares, deficientibus documentis, officium de uno Martyre fieri debet (S. C.). Pro sancto Gervasio, dicatur Missa ut in ejus festo, die 19. Junii, cum Orationibus et Graduali ex Missa *Laetabitur*. Pro sancto vero Vito, dicatur Missa eadem *Laetabitur* cum Evangelio festi (S. C.). Unus ex septem fratribus, a caeteris sejunctus, Patronus esse potest (S. C.).

In primo Nocturno Lectiones leguntur de Communi; pariterque in secundo Nocturno, si in Breviario Romano festum non assignetur. Ad cognoscendum utrum *primo* vel *secundo loco* Lectiones sumi debeant, Oratio aut Homilia attendenda est. Si vero nec festum in Breviario Romano assignetur, nec officium proprium approbatum habeatur, omnia de Communi et regulariter *primo loco* dicantur. In tertio Nocturno, infra totam octavam, eaedem Lectiones legantur; Lectiones autem in secundo Nocturno varientur, Lectionibus in Breviario *primo* et *secundo loco* assignatis alternatim mutatis (nisi adhibeatur Octavarium Romanum, cujus usus permittitur absque tamen obligatione), atque in die octava, in secundo ac tertio Nocturno, Lectiones ut in festo legantur. Si vero Lectiones in Breviario non assignentur, ex eodem Octavario etiam legi possunt (S. C.). Notandum est, quod officium aliquod in Breviario non assignatum, pro loco approbari debeat, quodque prohibeatur sub poena de non satisfaciendo praecepto, uti officio pro alio loco, aut pro ordine seu Congregatione regulari, tantum approbato (S. C.).

7. Si festum Patroni seu Tituli occurrat cum festo primae classis in Ecclesia universali celebrato, huic festo primae classis cedat ac transferatur (R.). Non vero ratio sufficiens est mutandi diem Patroni, quod ei diversa dies in dioecesano

---

[1] Si Patrono in Breviario socius adjungatur (vide 1. Maii pag. 516); si autem res fuerit de Patrono secundario seu minus principali, infra praescripta observanda sunt (pag. 611).

kalendario assignetur (S. C.). Patroni festum, cum octava gaudeat, nonnullis privilegiis supra relatis in translatione festorum ditatur. Si tamen festum fuerit Patroni cum feriatione, feriatio festo ipsimet adscribitur, nec cum officio transfertur, uti nec octava, cujus tot dies amittuntur, quot festum Patroni amandari debuit, excipe tamen casum, quo in perpetuum ab Episcopo translatum fuerit, quia tunc censetur dies propria (S. C.). Notanda sunt tempora, quibus octavae prohibentur. Notandum etiam est 1° festum Dedicationis occurrens cum festo Patroni, praeferri festo Patroni; 2° si festum alii festo praeferatur, solemnitatem festi praelati solemnitati alterius festi etiam anteponi (S. C.).

8. Quando solemnitas festi Patroni in Dominicam sequentem transferenda est, una Missa tantum solemniter cantanda est. Vesperae tamen solemnius cantari possunt, imo ipsae Vesperae festi (S. C.). Insuper in festo ipso, Missa, Vesperae etc., ac omnia officia dicantur ut ante reductionem festorum, atque Missa parochialis pro populo applicetur (Caprara, S. C.). In festo autem suppresso duas Missas eidem Sacerdoti celebrare ac Episcopo hanc facultatem concedere licet, si indultum habeatur (S. C.). Quae modo de festo Patroni dicta sunt, non spectant festum Tituli, qui, nunc saltem, feriationem non habet, prout superius dictum fuit.

9 [A] Si festum Patroni in Adventu occurrat, adveniente 17. Decembris octava cessat; ita, ut si 16. Decembris sit dies infra octavam, fit adhuc in Vesperis commemoratio octavae; si autem dies octava incidat in diem 17. Decembris, certum est, ex communi sententia, officium octavae cessare post Nonam diei ante octavam, ita ut post Nonam nihil amplius fiat de octava, nec etiam commemoratio in Vesperis; et Vesperae, si festum non occurrat nec concurrat, dicuntur feriales, quia officium diei octavae, eo quod incipit a primis Vesperis, cum terminari nequeat, inchoari non potest. Qui ultimus casus locum habet in locis, ubi s. Melchiades est Patronus. Idem agendum, si octava incidat in feriam quartam Cinerum (S. C.).

Quamvis octavae Patronorum prohibeantur a feria quarta Cinerum, usque ad Dominicam in Albis, et a Vigilia Pentecostes usque ad festum ss. Trinitatis, et a die decima septima

Decembris usque ad diem festum Epiphaniae, ubique inclusive, in Dominica tamen post festum Patroni, de illo solemnitas celebrari potest Missa, cum unum alterum necessario non contineat. In rubricis Missalis (cap. I. §. 5), Dominicas, in quibus Missa solemnis de Patrono cantari prohibetur, indicavimus. Tunc Missa votiva transferatur in primam Dominicam sequentem non impeditam.

[B] Infra octavam Nativitatis Domini, Psalmi et Antiphonae ad Vesperas de Nativitate semper dicuntur, Capitulum autem et Hymnus de Patrono (praeterquam in primis Vesperis sancti Stephani), sed de Patrono non fit octava. Solemnitas Patroni in dioecesibus Galliae in Dominicam sequentem transfertur. Si vero solemnitas Patroni in festo Epiphaniae occurrat, tunc ad octo dies transferatur.

[C] A feria quarta Cinerum usque ad Dominicam in Albis inclusive, festum Patroni octava non gaudet. Imo si in praedicta feria quarta incidat, quoad officium in primam diem non impeditam transferendum est. Idem fieri debet pro quindena paschali.

[D] Octava Patroni prohibetur etiam a Vigilia Pentecostes usque ad festum ss. Trinitatis inclusive. Si festum Patroni tunc occurrat, ejus officium ad primam diem non impeditam transferri debet; Missa autem, Vesperae seu Laudes vespertinae in festi die cantentur, ac solemnitas octo diebus post solemnitatem ss. Corporis Christi transferatur. Supervacaneum est, notare, feriationem festo annexam remanere, illamque cum officio non transferri. Si festum Patroni in feria tertia majoris hebdomadae occurrat, Missa solemnis de feria cantetur ac populo applicetur, et Vesperae cantentur etc., atque solemnitas festi Patroni Dominica secunda post Pascha celebretur; officium vero in primam diem non impeditam, post Dominicam in Albis transferatur, juxta regulas translationis festorum.

§. II. De dedicatione ecclesiarum.

1. Nomine dedicationis ecclesiae comprehenduntur tum festum solemne celebratum in ecclesia dum consecratur, tum ejusdem festi perpetuum anniversarium; ideoque de ecclesiis non consecratis non fit dedicatio (S. C.). Praeterea si sit dubium fundatum, ecclesiam haud esse consecratam, non potest celebrari anniversarium dedicationis, nisi ab immemorabili consuetudine celebretur, praecipue si agatur de ecclesia cathedrali (S. C.), quae jure consecrata esse debet; sicque quod faciendum erat factum fuisse praesumatur (AA.).

2. Officium dedicationis, quod officio Tituli multum affine est, celebratur sub ritu duplici primae classis cum octava a Clericis ad officium Titularis obligatis, non autem ab aliis Clericis. Quoad officium dedicationis capellarum, et oratoriorum consecratorum, idem dicendum est ac de Titulari, scilicet quod de illis, licet consecratis, etiam dedicatio non celebratur (S. C.). Si ecclesia totaliter destruatur, perit Titulus, item de dedicatione nihil amplius fieri debet; non autem si ecclesia tantum polluatur (S. C.).

3. Anniversarium dedicationis celebrandum est singulis annis ea die, qua consecratio fuit peracta, nisi, ob occursum festi solemnis, octavae Paschae et Pentecostes, ob tempus Adventus et Quadragesimae, ob votum populi aliasque rationabiles causas, consecrator in actu consecrationis designaverit alium diem ad celebrandum illud anniversarium dedicationis (S. C.). Extra actum autem consecrationis alium diem assignare nequit, inconsulta Sede apostolica (S. C.). In toto territorio reipublicae gallicanae, ex indulto pro reductione festorum 9. Aprilis 1802., et declaratione Em. Cardinalis Legati 21. Jan. 1804., anniversarium omnium ecclesiarum consecratarum celebrari debet in Dominica, quae subsequitur diem octavam Omnium Sanctorum, ita ut praeterea nullum aliud anniversarium dedicationis, sive cathedralis, sive alicujus particularis ecclesiae celebrari possit, eo quod cujusvis particularis ecclesiae dedicatio intelligatur comprehensa et celebrata in festo anniversarii consecrationis omnium ecclesiarum. Haec dispositio

comprehendit etiam ecclesias, quae postea consecrantur; verba enim indulti et declarationis Cardinalis legati generalia sunt (S. C.).

4. Sacrorum Rituum Congregatio die 19. Septembris 1750. decrevit, teneri saecularem Clerum ad formam rubricarum, et quidem sub ritu duplici primae classis, in civitate episcopali cum octava, in dioecesi vero sine octava, celebrare festum dedicationis ecclesiae cathedralis. Regulares et moniales in ipsa civitate episcopali degentes, tenentur sub ritu duplici secundae classis, sed sine octava; degentes autem extra civitatem episcopalem, non tenentur ulla obligatione, nisi ex convenientia, uti si adsit consuetudo, et quatenus laudabilem illam consuetudinem retinere velint, eo casu sub ritu, quo consueverint; aut si festum dedicationis propriae ecclesiae non agatur (S. C.).

5. Vi indulti pro reductione festorum 9. Aprilis 1802., et declarationis Em. Cardinalis Legati 21. Junii 1804., modo sequenti anniversarium dedicationis omnium ecclesiarum celebratur. Cum decretum anni 1802. pro reductione festorum nihil immutaverit quoad uniuscujusque obligationes, sed tantum statuerit illud anniversarium dedicationis eadem die celebrandum esse ad uniformitatem in toto Clero obtinendam, omnes Clerici ecclesiae consecratae adstricti anniversarium ecclesiae cathedralis et omnium ecclesiarum, quod in cumulo celebratur in Dominica post octavam Omnium Sanctorum, celebrent sub ritu duplici primae classis cum octava absque ulla speciali commemoratione ecclesiae cathedralis (S. C.); alii autem Clerici, qui ecclesiae consecratae adscripti non sunt, tantum celebrent in dicta Dominica post octavam Omnium Sanctorum, exceptis in civitate episcopali degentibus aut privilegio gaudentibus, anniversarium dedicationis ecclesiae cathedralis sub ritu duplici primae classis.[1] Ex dictis facile concluditur, ad quale officium et sub quo ritu regulares teneantur.

6. Pauca observanda sunt circa officium dedicationis

[1] Nunc vero praxis communis est, ut omnes Clerici, saltem sacculares, eodem modo festum Dedicationis cum octava celebrent, absque commemoratione.

ecclesiae post Commune non Virginum in Breviario positum. Oratio, *Deus, qui nobis per singulos annos,* semper dicitur. In ipsa tamen die consecrationis, vel si alterius dedicationis commemoratio fieri debeat, altera Oratio, *Deus, qui invisibiliter* dicitur. Si contigerit, ut fieri debeat commemoratio de duplici dedicatione, videlicet de cathedrali et de dedicatione calendarii universalis, unica Oratio non sufficit; sed commemoratio fieri debet de utraque (S. C.). In die octava dedicationis, semper in primo Nocturno repetendae sunt Lectiones, quae jam lectae fuerunt in primo Nocturno diei dedicationis. Item similiter repetendae forent Lectiones tertii Nocturni, quae in die dedicationis ponuntur; verum quando aliquae Lectiones homiliae ob occurrentia festa non fuerunt lectae, tunc in die octava legi possunt illae Lectiones homiliae, quae primum post diem festi dedicationis infra octavam impeditae et omissae fuerunt (S. C.).

Notandum est 1° extra ecclesiam dedicatam omitti parenthesim Secretae (R.), 2° duodecim cruces, quae in dedicatione ecclesiae pinguntur in parietibus, vel inciduntur, omnino perpetuis futuris temporibus remanere debere in testimonium consecrationis ecclesiae (S. C.).

7. Hic addantur nonnulla circa officium ac Missam in ipso die consecrationis alicujus ecclesiae. Pridie dedicationis ecclesiae, reliquiae Sanctorum, Altari consecrando inserendae, vasculo inclusae, in aliqua proximiori ecclesia vel oratorio, vel sub tentorio parato et ornato inter luminaria exponuntur; et coram eisdem celebrandae sunt Vigiliae et canendi Nocturni, et Matutinae Laudes in honorem Sanctorum, quorum reliquiae condendae sunt, juxta Pontificalis rubricas. Notandum est, in Oratione de Communi Sanctorum, nomen Sancti, cui ecclesia dedicatur esse, omittendum (R.). Deinde omisso officio descripto in Ordinario seu Directorio, officium dedicationis tantum inchoandum est, peracta et completa consecratione[1] ab Hora minori tertia (S. C.). De dedicatione ecclesiae celebratur octava,

[1] Vesperae pridie consecrationis, Matutinum, Laudes et Prima consecrationem praecedentes recitandae fuerunt vel de feria, vel de Sancto, prout descriptum est in Ordinario seu Directorio (G.).

cujus prima dies est dies consecrationis, etiamsi Matutinum dedicationis non sit recitatum. Si autem consecratio fiat in diebus, in quibus officium dedicationis transferri debet, Missa tamen solemnis de dedicatione celebranda est, nisi occurrat in diebus exceptis per rubricas generales Missalis (sect. 2. c. 1. §. 5). In diebus exceptis dicenda est Missa officii currentis cum commemoratione dedicationis sub una conclusione.

Notandum, jejunium pridie consecrationis ecclesiae a Pontificali Romano praescriptum, esse strictae obligationis pro Episcopo celebrante, et pro iis tantum, qui petunt sibi ecclesiam consecrari (S. C.).

§. III. De officiis particularibus, concessis, votivis, aut ad libitum.

1. Officia dicuntur concessa, quae, licet non sint de praecepto in Ecclesia universali, conceduntur sub clausula *fieri posse, recitari posse,* absque expressa notula *ad libitum.* Hujusmodi sunt pro Belgio, officia s. Gabrielis, s. Raphaelis, Desponsationis B. M. V. etc. Quae officia usu semel recepta, sunt de praecepto (S. C.). Cum fuerit concessum officium alicui dioecesi et simul ordini regularium, isti ritum majorem et officium proprium, si habetur, sumere debent, modo formaliter non excludantur (S. C.). Officia igitur particularia, affixa Dominicis vel certis feriis, uti officium Patrocinii s. Joseph celebrandum in Dominica tertia post Pascha, ac officia mysteriorum et instrumentorum dominicae Passionis, quae in pluribus locis celebrantur infra hebdomadas post Septuagesimam et tempore Quadragesimali, sine speciali facultate transferri nequeunt; et si facultas transferendi concessa sit, numquam haec tamen transferri possunt ultra Quadragesimam, etiamsi nulla reperiatur dies libera ante Quadragesimae finem. Si vero praedicta officia sint de praecepto, id est, si indultum contineat terminum praeceptivum, transferri possunt et debent (S. C.).

2. Cum istiusmodi officia concessa pluries in anno ac non dissimili intervallo, v. g. in quolibet mense, recitare queunt; tunc vocantur *votiva.* Ita officium ss. Sacramenti, pro qualibet feria quinta, Immaculatae Conceptionis B. M. V. in sabbato. Illa

officia nunquam transferuntur, et si impediuntur, omittuntur. Porro salvo ampliori privilegio, recitari nequeunt tempore Adventus, aut Quadragesimae, Vigiliarum et Quatuor Temporum; item si occurrat festum duplex aut semiduplex, dies infra octavam (R.), feria secunda Rogationum, vel officium anticipatum Dominicae (S. C.). In occurrentia cum officio *ad libitum*, alterum recitatur pro libitu, alterum penitus omittitur. Qua vero forma recitari debeat hujusmodi officium dicitur in Indultu concessionis; notamus tamen, absque *Alleluja* recitari officium ss. Sacramenti, extra tempus paschale. Missa dicitur cum *Gloria in excelsis*, sed absque Sequentia aut Symbolo.

3. Officia *ad libitum* facilius distinguuntur clausula *ad libitum* indultis semper annexa, et transferri nequeunt. Dies impediti pro festis *ad libitum*, licet duplicibus, sunt 1° dies octava et dies infra quamcumque octavam, nisi aliter indultum sit; 2° festum de praecepto occurrens, etiam semiduplex, licet illud *ad libitum* sit duplex etiam majus; 3° Dominica quaecunque; 4° sabbatum, in quo anticipatur officium Dominicae ante Septuagesimam; 5° probabilius dies, in quo anticipatur officium Dominicae cujuscumque (Rev. theol.). Liberum est officium *ad libitum* omittere, et officium translatum aut votivum recitare (S. C.). Notandum, quod si festum *ad libitum*, ut s. Remigii, in Breviario sit simplex de praecepto; ac de illo sub ritu *ad libitum* fieri nequeat, ejusdem fieri debere commemorationem cum nona Lectione, ut de aliis Simplicibus; festum autem translatum numquam mutari seu fixe reponi potest in die festo *ad libitum* (S. C.), etsi hoc fiat per octavam, qua impeditur festum *ad libitum*. In casu fit de die infra octavam, translatum ultra amandatur, et penitus omittitur festum *ad libitum* (S. C.).

§. IV. De officio Beatae Mariae in Sabbato.

1. In omnibus sabbatis per annum extra Adventum et Quadragesimam, nisi Quatuor Temporum aut Vigiliae occurrant, vel nisi fieri debeat de Dominica anticipata, vel de octava,

semper fit officium de s. Maria, eo modo, quo fit de festo simplici, quemadmodum circa finem Breviarii disponitur. De festo autem simplici in sabbato occurrente fit tantum commemoratio (R.).

2. Cum vero supradictis diebus fieri non potest officium de sancta Maria, nulla etiam fit commemoratio de ea propter sabbatum, sed tantum in semiduplicibus (quando ejus officium parvum non dicitur), fit consueta ejus commemoratio per annum, cum aliis suffragiis positis in Psalterio post Vesperas sabbati (R.).

3. Ejus officium in sabbato incipit feria sexta ad modum festi simplicis, a Capitulo, et terminatur ad Nonam sabbati. Si autem feria sexta occurrat officium novem Lectionum, in Vesperis fit tantum commemoratio de s. Maria cum Antiphona, Versu et Oratione, quae habentur in officio ejus in sabbato, nisi tamen illud officium novem Lectionum sit de eadem beata Maria, quia tunc nulla alia commemoratio de ea facienda est (R.).

4. Ad Matutinum post Invitatorium et Hymnum de sancta Maria, dicitur unum Nocturnum cum duodecim Psalmis ferialibus, ut in Psalterio. Versus de s. Maria, prima et secunda Lectio ex Scriptura de tempore occurrente, tertia Lectio, et alia omnia tam in Matutino, quam in Laudibus et Horis, ut in officio s. Maria in sabbato assignantur (R.).

5. Dicuntur Preces dominicales ad Primam et Completorium; et fiunt Suffragia consueta de Apostolis et de Pace; et tempore paschali sola commemoratio de Cruce, ut in secunda feria post octavam Paschae. Post Nonam nihil fit de ea, tamen sequenti die fiat de officio Dominicae, consueta ejus commemoratio cum aliis suffragiis habetur (R.).

§. V. De officio in honorem Sanctorum, quorum habentur reliquiae.

1. De Sancto, cujus adest reliquia insignis, possunt in ejus die festo recitari officium et Missa cum *Credo* sub ritu duplici in illa ecclesia, ubi asservatur; id tamen intelligi debet „de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano descriptis, et dummodo constet de identitate corporis, seu reliquiae insignis illiusmet Sancti, qui reperitur in Martyrologio Romano descriptus.“

Ita decretum generale 11. Aug. 1691., initio Missalis et Breviarii positum. Hinc requiritur, 1° ut reliquia sit insignis, 2° ut sit Sancti canonizati, 3° descripti in Martyrologio Romano, et 4° ut constet de identitate reliquiae.

2. De caeteris Sanctis in Martyrologio Romano non descriptis, modo a Sede apostolica non fuerit specialiter concessum, officium recitare et Missam celebrare vetitum est, non obstante, quod eorum corpora aut insignes reliquiae in ecclesiis asserventur; sub poenis de non satisfaciendo praecepto recitandi officium, aliisque in constitutione Pii V. latis (S. C.). Consuetudo tamen anterior decreto Pii V., seu ante annum 1568, teneret locum concessionis apostolicae (S. C.).

3. De reliquiae identitate constare debet. Identitatis vero reliquiae certitudo moralis sufficit (AA.). Identitas reliquiae probatur 1° per bullam summi Pontificis aut instrumentum a notario publico conscriptum; 2° per litteras ab ecclesiae Superiore ac duobus testibus subsignatas; 3° per litteras non authenticas, item vetus scriptum prope reliquiam repertum; 4° per traditionem constantem; 5° per lapidem seu inscriptionem nomen Sancti, in loco, ubi reliquia jacet, indicantem; 6° per juramentum unius aut alterius probi (Mon. Bord.), quod tamen non sufficere putat Bened XIV. Caeterum haec identitas ab Ordinario recognosci non debet: sufficit si adsit (Cav.).

4. Insignes Sanctorum reliquiae habentur, si sit vel corpus integrum, aut magna pars ejusdem, aut caput, modo sit integra et non parva, et legitime ab Ordinariis approbata. Unde non sunt reliquiae insignes ossa femoris, nec sola tibia (S. C.), nec proinde crines, dentes, maxilla etc. (AA.). Non requiritur, ut reliquia adeo magna sit, modo sit pars corporis, in qua passus est Martyr, etsi ista pars sufficienter magna esse debeat, *non parva,* uti maxilla s. Apolloniae, pes, tibia etc.; dens autem non sufficeret (Cav.). Reliquiae vero Domini, aut B. M. V., quantumvis parvae, reliquiae insignes habentur (Gob. Cav. Pav.).

5. De Sancto dumtaxat in Martyrologio Romano descripto, potest recitari officium in ejus die festo, scilicet in die martyrii vel obitus, nisi alius dies per decretum apostolicum, aut S. R. C. vel in Martyrologio Romano assignetur. Nec Episcopus

alium diem assignare potest (S. C.). De hoc autem officio fieri potest in ecclesia tantum, ubi reliquia asservatur, et ab adscriptis illius ecclesiae, aut in illa quaedam munia obeuntibus (S. C.). Si reliquia sit insignis, officium fit sub ritu duplici minori; si vero reliquia tantum notabilis fuerit, sub ritu semiduplici (S. C.).

6. Si Sanctus, cujus reliquia insignis asservatur, in Martyrologio socios habeat, de illis simul et non separatim officium fieri debet sub ritu duplici, etiamsi unius tantum reliquia habeatur. Sic Romae pro reliquia unius ex sociis s. Ursulae, fit officium s. Ursulae et ejus sociarum; pro brachio s. Marcellini, fit officium ss. Marcellini et Marci (S. C.). Si isti sint diversi ordinis, officium fieri debet de ordine altiori, videlicet de Communi Martyrum pro Martyribus et Confessoribus, ac pro Martyribus et Virginibus etc. (Tet. Pav.). Quando nomen Sancti, cujus reliquia insignis est, ignoratur, officium fit de Communi, nomine non addito (AA.).

7. Unum tantum festum intuitu reliquiarum insignium celebrari potest, ita ut, si jam festum illius Sancti celebretur, aliud ratione reliquiae institui nequeat. Idem enim Sanctus jus plurimum habere potest ad celebrationem alicujus festi, licet, attentis ecclesiae usibus, unum tantum habeat festum. Caeterum juxta decreta, unicum tantum festum intuitu reliquiarum insignium celebrari potest, *in die festo,* atque ultra decreta iri nequit. Fieri tamen potest, ut festum in Breviario positum ad altiorem ritum elevetur, sicque de ritu semiduplici aut simplici evehatur ad ritum duplicis (Cav. Tet. Pav.). Dicitur Symbolum in Missa festi principalis, in ecclesia, ubi reliquia asservatur, et infra octavam, si in Breviario octava assignetur (Cav. Pav. Tet.); Symbolum autem non dicitur in festis secundariis seu minus principalibus, neque in ecclesia, ubi reliquia non asservatur (S. C.). Quando vero ex indulto celebratur festum omnium reliquiarum, quae habentur, in toto regno vel dioecesi, licet praeterea festa particularia die propria celebrare de Sanctis, quorum corpora vel reliquiae insignes asservantur (S. C.).

§ VI. De officiis in fine Breviarii positis.

1. Exceptis officio defunctorum in solemni commemoratione fidelium defunctorum 2. Novembris, et Litaniis in festo s. Marci et tribus diebus Rogationum, nulla iis, qui Breviario Romano utuntur, datur obligatio, privatim seu extra chorum recitandi officium parvum B. M. V., officium defunctorum, Psalmos graduales, poenitentiales et Litanias, juxta Bullam Pii V. Breviario praefixam. In choro, si eo tempore, quo eadem Bulla data est, fuisset consuetudo eadem recitandi, obligatio perseverat, quae perimi non potuit per posteriorem in contrarium consuetudinem (S. C.).

2. Officium parvum Beatae Mariae non dicitur, quando fit officium novem Lectionum (R.), nisi consuetudo contraria vigeat, nec in feriis majoris hebdomadae, nec infra octavas Paschae et Pentecostes, nec in sabbatis, quando fit officium de s. Maria. Quibus diebus omittitur a primis Vesperis. Cum dicitur in choro, in Matutinis, et in Vesperis praeponitur officio diei, in aliis Horis postponitur. Prima dicitur post *Benedicamus Domino*, antequam legatur Martyrologium (R.). Tempore paschali, Antiphonae, Versus, Responsoria sine *Alleluja* dicuntur (S. C.). Ad Matutinum tantum tres Psalmi et tres Lectiones (R.). Sufficit, in omnibus casibus, dici *Ave Maria* ante officium, quod concluditur ut in Breviario, nunquam addito *Alleluja* (S. C.).

De officio parvo B. M. V. sequentia notanda veniunt ex menaeo *Rev. théol.* A) Si transferatur festum Purificationis B. M. V. non ideo transfertur mutatio officii. B) Nihil in officio mutandum tempore paschali, Passionis, imo ultimo triduo hebdomadae sanctae; in hoc triduo tamen non recitatur, nisi privatim. C) In festo Annuntiationis idem recitatur officium, quod in Adventu. D) Extra chorum in festis duplicibus, semiduplicibus et per octavas dicitur *Te Deum*, loco tertii Responsorii. E) Item in duplicibus, duplicantur Antiphonae ante Psalmos. F) Extra chorum concluditur ut in Breviario, nempe per *Dominus vobiscum, Benedicamus, Fidelium, Pater noster, Dominus det,* et Antiphonam B. M. V. G) Si a Laudibus sepa-

retur Matutinum, concluditur per Orationem, *Benedicamus* etc. ut caeterae Horae. H) Nulla absque speciali Indulto s. Sedis apostolicae, potest fieri commemoratio alicujus Sancti, fundatoris, Patroni etc. I) Num vero edi possit parvum officium lingua vernacula etc., solius Ordinarii licentia et approbatione, disputatur: negative respondit modo S. Rit. C.

3. Diximus, loquendo de exequiis, quomodo in iisdem Officium defunctorum cantandum sit. Invitatorium dicitur etsi unum cantetur Nocturnum; sed extra hunc casum, solum quando tria Nocturna dicuntur. Antiphonae duplicantur in commemoratione fidelium defunctorum, in die depositionis etiam absente corpore, in diebus tertio, septimo, trigesimo et anniversario, etiamsi unum tantum Nocturnum dicatur. Psalmi *Lauda anima* in Vesperis et *De profundis* in Laudibus, tantum omittuntur in commemoratione fidelium defunctorum, ac in die obitus seu depositionis, corpore praesente (S. C.). Si aliquando Laudes non subsequantur Matutinum, Psalmus *Lauda anima* convenientius recitatur (S. C.). Preces post Antiphonam ad *Magnificat* dicuntur flexis genibus, similiter et *ad Laudes* (R.). Tolerari potest usus cantandi officium defunctorum, in festis duplicibus etiam majoribus, imo absque dispositione alicujus testatoris, et deinde Missam de die (S. C.). Haud tamen licitum videtur ita agere in majoribus solemnitatibus, quae exequias excludunt, quarum ipsum officium est pars majoris momenti.

4. Officium defunctorum dicitur extra tempus paschale prima cujusque mensis die, non impedita festo novem Lectionum, alioquin alia sequenti die similiter non impedita. In Adventu autem et Quadragesima, feria secunda cujuslibet hebdomadae similiter non impedita, praeterquam in majori hebdomada. In choro dicitur post officium dici, id est, Vesperae[1] post Vesperas, et Matutinum post Laudes diei, nisi alia sit consuetudo ecclesiarum; extra chorum vero pro opportunitate temporis (R.). Dicitur tantum unum Nocturnum, cum Laudibus, hoc ordine: feria secunda et quinta, primum Nocturnum; feria

[1] Scilicet primae Vesperae, quia hoc officium non habet secundas Vesperas.

tertia et sexta, secundum Nocturnum; feria quarta et sabbato, tertium Nocturnum.[1] Antiphonae non duplicantur, sed Psalmus *Lauda anima mea,* in Vesperis, similiter et Psalmus *De profundis* in fine Laudum dicuntur (R.). Invitatorium ad Matutinum omittitur (S. C.).

5. Psalmi graduales dicuntur in Quadragesima feria quarta cujuslibet hebdomadae, non impedita aliquo festo novem Lectionum; in choro ante Matutinum diei; extra chorum pro opportunitate temporis. Primi quinque Psalmi dicuntur sine *Gloria Patri.* Sed in fine ultimi dicitur *Requiem aeternam.* Post Orationem *Absolve, quaesumus Domine,* statim dicuntur alii quinque Psalmi graduales, *Qui confidunt, In convertendo* etc., et in fine cujuslibet Psalmi dicitur *Gloria Patri.* Similiter post Orationem *Deus, cui proprium est* etc., statim dicuntur alii quinque Psalmi, *De profundis, Domine non est exaltatum* etc., et in fine cujuslibet Psalmi dicitur *Gloria Patri* (R.).

6. Septem Psalmi poenitentiales cum Litaniis dicuntur flexis genibus in omnibus sextis feriis Quadragesimae, quando fit officium de feria. Dicuntur autem in Quadragesima in choro, post Matutinum et Laudes diei, dicto *Benedicamus Domino,* extra chorum pro opportunitate temporis.

7. Quamvis non sit obligatio recitandi officium parvum B. M. V. et defunctorum, Psalmos poenitentiales et graduales, juxta rubricas Breviarii, tamen sanctus Pontifex Pius V. hortatur, ut recitentur eadem, propositis indulgentiis dierum centum recitantibus officium parvum B. M. V. et defunctorum; quinquaginta recitantibus Psalmos poenitentiales et graduales, in illis diebus, quibus rubricae ea praescribunt.

---

[1] Nunquam omittitur Invitatorium, cum dicuntur tria Nocturna, nec in exequiis corpore praesenti, dum dicitur primum Nocturnum, cum in hoc ultimo casu, ita Rituali formaliter disponat. Item Antiphonae duplicantur in diebus privilegiatis a Rituali. „Duplicatio Antiphonarum, praeter diem commemorationis omnium fidelium defunctorum, et diem depositionis defuncti, fiat in diebus 3, 7, 30, et anniversario tantum. Die 8. Martii 1738., in *Ulixbonen,* ad 3.“ Psalmi *Lauda* et *De profundis*, non omittuntur, nisi die 2. Novembris et in exequiis. V. *Defunct*, §. II.

Sectio quinta.

Rubricae Ritualis Romani.

Caput primum.

De iis, quae in Sacramentorum administratione generaliter servanda sunt.

1. Ut ea, quae ex antiquis catholicae Ecclesiae institutis, et sacrorum Canonum summorumque Pontificum decretis, de Sacramentorum ritibus ac caeremoniis Rituali praescribuntur, qua par est diligentia ac religione custodiantur, et ubique fideliter observentur; illud ante omnia scire et observare convenit, quod sacrosancta Tridentina Synodus de iis ritibus decrevit in haec verba: „Si quis dixerit, receptos et approbatos „Ecclesiae catholicae ritus in solemni Sacramentorum admi„nistratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato „a ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quem„cumque ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.“ (Sess. 7. can. 13 (R.). Nulli igitur Praelato, quantacumque dignitate insignitus sit, licet quidquam mutare in solemni Sacramentorum administratione, absque indulto Sedis apostolicae (S. C. Ind.). Aliud autem est, si agatur de administratione eorumdem privata, in casu necessitatis, in qua aliquae caeremoniae omitti possunt et debent (Brff.).

2. Cum igitur in Ecclesia Dei nihil sanctius aut utilius, nihilque excellentius aut magis divinum habeatur, quam Sacramenta ad humani generis salutem a Christo Domino instituta; parochus, vel quivis alius Sacerdos, ad quem eorum

administratio pertinet, meminisse in primis debet, se sancta tractare; atque omni temporis momento ad tam sanctae administrationis officium paratum esse oportere. Quamobrem illud perpetuo curabit, ut integre, caste, pieque vitam agat; nam etsi Sacramenta ab impuris coinquinari non possint, neque a pravis ministris eorum effectus impediri; impure tamen et indigne ea ministrantes, in aeternae mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo, si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit), ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde poeniteat; sed si habeat copiam confessarii, et temporis locique ratio ferat, convenit confiteri (R.); non tamen praecipitur (AA), quidquid censuerint Baruffaldi et quidam alii (Misc. theol.).

3. Quacumque diei ac noctis hora ad Sacramenta ministranda vocabitur, nullam officio suo praestando (praesertim si necessitas urgeat) moram interponat (R.). Parochus, et idem de vicepastore dicendum, tenetur residere intra limites parochiae, et ab hac abesse nequit, nisi sibi substituerit alium Sacerdotem, et etiam hac posita conditione, quod non possit ultra tres dies abesse, absque Ordinarii licentia (S. C. C.). Quandocumque exibit, sciat famulus famulave locum, ubi facilius inveniatur, si opus fuerit (d'Abreu), ac propterea populum saepe, prout sese offert occasio, praemonebit, ut cum sacro ministerio opus fuerit, se quamprimum advocet, nulla temporis aut cujuscumque incommodi habita ratione (R.). Quod et praesertim intelligitur de aegrotis, cum pro Sacramentis bene valentibus administrandis, congruenter dies determinari soleant (AA.). Saeviente peste, parochus strictius ad residentiam tenetur (S. C. C.), et omnia Sacramenta ipsemet aut saltem per alium administrare curet (S. C. C.).

4. Ipse vero antequam ad hujusmodi administrationem accedat, paululum, si opportunitas dabitur, orationi, et sacrae rei, quam acturus est, meditationi vacabit, atque ordinem ministrandi et caeremonias pro temporis spatio praevidebit (R.), et perleget, nisi optime illas noverit (Brff.).

5. In omni Sacramentorum administratione sit superpelliceo indutus (R.) non linea tunica brevibus ac substrictioribus mani-

eis, neque pluviali (S. C.), et desuper stola ejus coloris, quem Sacramenti ritus exposcit (R.). Quae autem stola non sit ex sacris paramentis Missae, alias deterior fieret ac macularetur detrimento paramentorum Altari inservientium (Brff.). Stola utendum et superpelliceo, nisi in Sacramento poenitentiae ministrando occasio, vel consuetudo vel locus interdum aliter suadeat (R.). Simili modo Baptismus, necessitate urgente, confertur absque superpelliceo et stola (Brff.).

6. Adhibebit quoque unum saltem, si habeat, vel plures Clericos, prout loci et Sacramenti ratio postulabit, decenti habitu et superpelliceo pariter indutos (R.). In multis locis, si Clericus desit, adhiberi potest laicus idoneus, vel custos ecclesiae, cui Episcopus concessit jus induendi superpelliceum (Cav.);[1] numquam autem femina (Possev. Quint.), sed tantum in monasteriorum claustro (Brff.).

7. Curabit etiam, ut sacra supellex, vestes, ornamenta, linteamina et vasa ministerii integra, nitidaque sint et munda (R.), et tempestive disposita.

8. In Sacramentorum administratione, eorum virtutem usum, ac utilitatem, et caeremoniarum significationes, ut concilium Tridentinum praecipit (R.), ad captum eorum, quos alloquitur, et etiam vulgari sermone, si opus fuerit (Conc. Trid.) ex sanctorum Patrum et Catechismi Romani doctrina, ubi commode fieri potest, diligenter explicabit (R.). Hujus enim Catechismi auctoritas quam maximi ponderis est, quippe cum sanctissima Sedes illum commendaverit ut regulam certam ac uniformem fidei (Clemens XIII.).[2]

9. Dum Sacramentum aliquod ministrat, singula verba quae ad illius formam et ministerium pertinent, attente, distincte et pie, atque clara voce pronuntiabit. Similiter et alias orationes et preces devote ac religiose dicet; nec memoriae, quae

---

[1] Censet Baruffaldi, non licere laico superpelliceum induere; sed utut sit de jure usus praedictus ita in nostris invaluit regionibus, ut in jus facile transiisse videatur.

[2] In sua constitutione *In apostolico agro* Clemens XIII. Episcopis commendat, ut omnibus praescribant usum Catechismi Romani, utpote regulam fidei catholicae et disciplinae ecclesiasticae continentis, ut sit in docendo unitas ac vitentur dissensiones, quibus laeditur charitas.

plerumque labitur, facile confidet; sed omnia recitabit ex libro. Reliquas praeterea caeremonias ac ritus ita decenter gravique actione peraget, ut astantes ad coelestium rerum cogitationem erigat et attentos reddat (R.).

10. Ad ministrandum procedens, rei, quam tractaturus est, intentus sit, nec de iis, quae ad ipsam non pertinent, quidquam cum alio colloquatur, in ipsaque administratione actualem attentionem habere studeat, vel saltem virtualem, cum intentione faciendi quod in eo facit Ecclesia (R.).

11. Illud porro diligenter caveat, ne in Sacramentorum administratione aliquid quavis de causa vel occasione, directe vel indirecte, exigat, aut petat; sed ea gratis ministret, et ab omni simoniae atque avaritiae suspicione, nedum crimine longissime absit. Si quid vero nomine eleemosynae, aut devotionis studio, peracto jam Sacramento, sponte a fidelibus offeratur, id licite pro consuetudine locorum accipere poterit, nisi aliter Episcopo videatur (R.). Quod autem ad jura attinet, quae authoritate Superiorum aut legitima consuetudine sunt statuta, haec etiam exigi possunt a parocho (AA.).

12. Fidelibus alienae parochiae Sacramenta non ministrabit, nisi necessitatis causa, vel de licentia parochi, seu Ordinarii (R.), nempe extra parochiam, imo in propria parochia pro aliquibus Sacramentis uti infra dicetur (AA.). Ordinarii delegatione ejus actio legitimari potest. Attamen Episcopo non licet arbitrio suo parochum juribus suis privare (S. C.).

13. Omnes autem, qui Sacramenta suscipiunt, loco et tempore opportuno monebit, ut remoto inani colloquio et habitu actuque indecenti, pie ac devote Sacramentis intersint, et ea qua par est reverentia suscipiant (R.).

14. Librum Ritualem (ubi opus fuerit) semper cum ministrabit, secum habebit, ritusque et caeremonias in eo praescriptas, diligenter servabit (R.). Graviter peccaret, qui praetermitteret ritus essentiales vel integrantes, veluti unctiones in Baptismo (AA.). Abstineat igitur uti alio Rituali, nam plura Ritualia a privatis composita fuerunt damnata a s. Congregatione Indicis (Brff.).

15. Postremo quisquis Sacramenta administrare tenetur,

habeat libros necessarios ad officium suum pertinentes, eosque praesertim, in quibus variarum parochialium functionum notae ad futuram rei memoriam describuntur (R.). Hi vero libri sunt quinque, scilicet: liber baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, defunctorum ac status animarum (R.). Modus, quo hi libri tenendi sunt, explicabitur in fine hujus sectionis.

Caput secundum.

De Sacramento Baptismi.

§. 1. De necessariis in administratione Baptismi.

1. Materia hujus Sacramenti est aqua vera et naturalis. Aqua vero solemnis Baptismi sit eo anno benedicta in sabbato sancto Paschatis vel sabbato Pentecostes, quae in fonte mundo nitida et pura diligenter conservetur. Baptisterium sit decenti loco et forma, materiaque solida, et quae aquam benedictam bene contineat, decenter ornatum et cancellis circumseptum, sera et clave munitum, atque ita obseratum, ut pulvis vel aliae sordes intro non penetrent; in eoque, ubi commode fieri potest, depingatur imago sancti Joannis Christum baptizantis. Si aqua (alterutro sabbato praedicto) benedicta tam imminuta sit, ut minus sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest, in minori tamen quantitate (R.), etsi ex iterata repetitione major sit quantitas totalis non benedictae. Si vero corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit (nec refert qua de causa), parochus in fontem bene mundatum ac nitidum recentem aquam infundat, eamque benedicat ex formula, quae infra praescribitur (R.).[1] Si aqua conglaciata sit, curetur, ut liquefiat; sin autem ex parte congelata sit, aut nimium frigida, poterit parum aquae naturalis non benedictae calefacere et admiscere aquae baptismali in vasculo ad id

---

[1] Cantantur Litaniae vel Sanctorum vel sabbati sancti, quibus additur versiculus proprius; post formulam benedictionis, incensatur aqua benedicta, cui adduntur sacra olea uti in Missali notatur (R.).

parato, et ea tepefacta ad baptizandum uti, ne noceat infantulo (R.). Cum fontes mundantur, aqua in ecclesiae aut melius in baptisterii piscinam projicitur.

2. Baptismus licet fieri possit aut per infusionem aquae aut per immersionem aut per aspersionem; primus tamen vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro ecclesiarum consuetudine retineantur; ita ut trina ablutione caput baptizandi perfundatur, vel immergatur in modum crucis uno et eodem tempore, quo verba proferuntur, et idem sit aquam adhibens et verba pronuntians (R.). Ubi vero Baptismus fit per infusionem aquae, cavendum est, ne aqua ex infantis capite in fontem, sed vel in sacrarium baptisterii prope ipsum fontem exstructum defluat, aut in aliquo vase, ad hunc usum parato, recepta, in ipsius baptisterii vel in ecclesiae sacrarium effundatur (R.). Convenit etiam, ut sacrarii ductus sit in medio lapidis in modum pelvis sculpti, largioris uno pede, ac super terram elevati ad minus tribus pedibus, quo faciliori modo inflectatur desuper baptizandorum caput (Rit. Tullon.).

3. Quoniam Baptismi forma his expressa verbis *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti,* sine *Amen* (S. C.), omnino necessaria est; ideo eam nullo modo licet mutare, sed eadem verba uno et eodem tempore, quo fit ablutio, pronuntianda sunt. Si quis reiteret Baptismum in dubio an fuerit validus necne, explicet conditionem hoc modo: *Si non es baptizatus, ego te* etc. Hac tamen conditionali forma non passim aut leviter uti licet; sed prudenter, et ubi re diligenter pervestigata, probabilis subest dubitatio, infantem non fuisse baptizatum (R.). Qui solemniter rebaptizaret etiam sub conditione, non adhibitis investigationibus ad veritatem detegendam necessariis, committeret sacrilegium incurreretque irregularitatem (Cath. Rom. Bened. XIV.).

4. Legitimus quidem Baptismi minister est Parochus, vel alius Sacerdos a Parocho vel ab Ordinario loci delegatus (R.). Qui sine licentia baptizaret infantem alienae parochiae,[1] pec-

[1] Si parentes iter agerent et adhuc aliquibus diebus abesse deberent, posset eorum infans baptizari in loco nativitatis, si nimium difficile foret illum transferre in locum domicilii paterni (Lacroix, Gobat.).

catum grave committeret, excommunicationem probabiliter incurreret (Giraldi), severiusque puniri posset ob usurpatam alterius jurisdictionem (AA.). Tollenda est consuetudo contraria, si existat (S. C. C.). Quamvis Episcopus habeat potestatem delegandi Sacerdotem ad conferendum Baptismum, Parocho nolente, hac tamen non utatur nisi rarissime et urgentioribus motivis (S. C. C.). Diaconus, qui sine licentia baptizaret solemniter, etiam in casu necessitatis, incurreret insuper irregularitatem (AA.). Quoties autem infans aut adultus versatur in vitae periculo, potest sine solemnitate a quocumque baptizari in qualibet lingua, sive laico, sive Clerico, sive fideli, sive infideli, sive catholico, sive haeretico, sive viro, sive femina, servata tamen forma et intentione Ecclesiae (R.). Sed si adsit Sacerdos, Diacono praeferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus laico et vir feminae; nisi pudoris gratia deceret, feminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius femina sciret formam et modum baptizandi. Pater aut mater propriam prolem baptizare non debent, praeterquam in mortis periculo, quando alius non reperitur, qui baptizet; neque tunc ullam contrahunt cognationem, quae matrimonii usum impediat (R.).

5. Quapropter curare debet Parochus, ut fideles, praesertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probe teneant et servent (R.). Obstetrices interrogentur a Parocho, praesente Decano, et doceantur omnia ad Baptismum pertinentia, nec admittantur ad exercendum artem, nisi receperint testimonium rite probans earum idoneitatem. Parochus ergo illis injungat, ut non baptizent, nisi in casu urgentis necessitatis, et tum semper, in quantum fieri potest, baptizent, praesente parvuli matre, et advocent sibi, si fieri possit, ad minus duos, qui testari queant de modo, quo Baptismus collatus fuerit (S. Car. Bened. XIV. Rit. Tull.). Praestent juramentum (Rit. Tull.) et quotannis examinentur (Bened. XIV.). Quibus praestitis, Parochus rationabiliter credet validitati Baptismi ab obstetricibus collati, et tantum caeremonias supplebit (Bened. XIV.). [1]

---

[1] Cum Parochus judicandum habuerit de validitate Baptismi ab obstetrice collati, prius ipsam, deinde testes separatim interroget. Haecque sunt puncta, de quibus interrogetur

6. Parochus antequam ad baptizandum accedat, ab iis, ad quos spectat, exquirat diligenter, quem, vel quos susceptores seu patrinos elegerint, qui infantem de sacro fonte suscipiant (R.), licet haec electio non sit necessaria ad officium patrini (AA.), ne plures quam liceat, aut indignos vel ineptos admittat (R.). Parochus sat tempestive inquirat, ne exponatur molestiis, vel inde oriatur scandalum (Baruff.). Porro patrinus unus tantum, sive vir sive mulier, vel ad summum unus et una adhibeantur ex decreto Concilii Tridentini; sed simul non admittantur duo viri, aut duae mulieres, neque baptizandi pater aut mater. Hos vero patrinos saltem in aetate pubertatis (R.), etsi impuberes ratione utentes contrahunt impedimentum cognationis spiritualis (S. C. C.), ac Sacramento Confirmationis consignatos esse maxime convenit (R). Sciant praeterea parochi, ad hoc munus non esse admittendos infideles aut haereticos, neque per se ipsos, neque per alium (S. C. Inq.), non publice excommunicatos aut interdictos, non publice criminosos aut infames, nec praeterea qui sana mente non sunt, nec qui ignorant rudimenta fidei. Haec enim patrini spirituales filios suos, quos de Baptismi fonte susceperint, ubi opus fuerit, opportune docere tenentur (R.). Item ab hoc munere rejiciantur illi, qui paschalem Communionem non receperunt, non confirmati, necnon ignorantes scitu necessaria necessitate praecepti (S. Carol.). Insuper Parochi ad hoc officium etiam non admittant exteros ignotos, eos, qui nondum admissi fuerunt ad primam Communionem, mulieres immodesto modo vestitas, et peccatores publicos, ut mimos, blasphematores, ebrios publicos et scandalosos (Rit. Tull.). Denique ad officium patrini etiam admitti non debent monachi, vel sanctimoniales, neque alii cujusvis ordinis regulares a saeculo segregati (R.). Parochus, qui baptizat, hoc munus

---

obstetrix: 1° An aqua fuit naturalis; 2° si in quantitate sufficienti; 3° an caput aliudve membrum ablutum fuerit; 4° an aqua tetigerit cutem vel solum crines, an nihil in forma omissum fuerit, et finaliter 5° si verba prolata fuerint tempore ablutionis et ab eodem. Quibus investigationibus peractis, dum nihil fuit omissum, solae caeremoniae supplendae sunt; si autem aliquid essentiale deerat in Baptismi collatione, Baptismus reiterandus est absolute et absque ulla conditione; et sub conditione, si aliquid dubium manserit.

patrini potest implere pro alio (Lacroix.), imo pro seipso (Rev. theol.).[1]

7. Sacrum chrisma, et sanctum oleum, quod et catechumenorum dicitur, quorum usus est in Baptismo, eodem anno sint ab Episcopo de more benedicta, feria quinta in Coena Domini. Curet Parochus, ut ea suo tempore quamprimum habeat (R.), sic ut possit ea infundere in benedictione fontis in sabbato sancto (S. C. R.), et tunc vetera in ecclesia comburat (R.), ea infundendo in lampadem sanctissimi Sacramenti, vel ea imbuendo bombacio aut stuppis et postea comburendo, ac cineres in sacrarium projiciendo (Rit. Tull.). Veteribus oleis, nisi necessitas cogat, ultra annum non utatur (R.), quae necessitas adesse judicatur, cum olea infundenda in fontes, die sabbati sancti nondum ab Episcopo acceperit (S. C.). Praeterea, si deficere videantur, et chrisma, aut oleum benedictum haberi non possit, aliud oleum de olivis non benedictum adjiciatur, sed in minori quantitate (R.). Haec autem mixtio etiam saepius fieri potest, uti de consilio selectae Cardinalium Congregationis respondit piae memoriae Pontifex Pius VI. 28. Mart. 1793., quaest. 13., scilicet „posse oleo benedicto adjungere non benedictum pluribus vicibus, ita ut oleum adjunctum consideratum separatim, et unaquaque admixtione, sit in minori quantitate quam oleum benedictum, quamvis consideratis omnibus additionibus simul, fiat quantitas major non benedicti; quemadmodum resolutum fuit a S. C. Concilii die 23. Sept. anni 1682.“ (Collect. Brevium atque Instructionum SS. D. N. Pii Papae VI. tom. II. pag. 210. quaest. 13.)

8. Chrisma et oleum sacrum sint in suis vasculis argenteis aut saltem stanneis bene obturatis: quae vascula sint inter se distincta, et propriam unumquodque inscriptionem habeat majusculis litteris incisam, ne quis error committatur (R.). Ad usum vero quotidianum minora habeantur vascula ex argento, si fieri potest, aut stanno; sive separata, sive etiam conjuncta; apte tamen distincta et bene cooperta, et cum suis

[1] Cf. Ferraris, v. *Baptisma*, n. 32—35. Caute legendus Ferraris sub n. 36—37, cum ejus doctrina discrepare videatur a principiis s. Concilii Congregationis. V. *Mel. theol.* tom. 2. pag. 86 et ss., 298 et 303.

inscriptionibus ut supra, ne Parochus aberret, et unum pro altero sumat, quod cavere debet diligenter (R.). Quod si forte erraverit, errorem reparet (Baruff.), nisi circumstantiae contrarium suadeant.[1] In ea igitur ex majoribus vasculis, chrismatis et olei, quod sufficiat infundatur, atque ut effusionis periculum caveatur, commodum erit, in his vasculis bombacium seu quid simile habere, oleo sacro et chrismate separatim perfusum, in quo pollex, cum opus est, ad inungendum immittatur (R.). Haec vascula ita parata, in loco proprio, honesto ac mundo, sub clave ac tuta custodia decenter asserventur (R.), ideoque conservari debent in ecclesia, in baptisterio aut in capsula alia, numquam autem in tabernaculo sanctissimi Sacramenti (AA.). Quae vascula decenter asserventur, ne ab aliquo, nisi a Sacerdote, temere tangantur, aut eis sacrilege quispiam abuti possit (R.). Parochus, quantum fieri potest, curet, ne per laicos, sed per se, vel per alium Sacerdotem, vel saltem per alium ecclesiae ministrum haec olea deferantur: caveat item, ne de iis quidquam ulli umquam tribuat, cujusvis rei praetextu (R.).

9. Sal, quod in os baptizandi immittendum est, sit benedictum sua peculiari benedictione, quae in Rituali praescribitur; neque utatur sale exorcizato ad benedicendam aquam; sitque prius bene confractum et attritum, siccum ac mundum. Sal ita benedictum nemini tradatur, neque etiam iis, qui benedicendum attulerint, reddatur, sed ad alios baptizandos servetur, aut in sacrarium abjiciatur (R.).

10. Cum igitur Baptismi Sacramentum jam administrandum est, haec in promptu esse debent: [A] vascula sacri chrismatis et olei catechumenorum. [B] Vasculum cum sale benedicto vel benedicendo. [C] Vasculum seu cochlear, sive urceolus aut concha, ex argento, stanno aut alio metallo, nitidum, ad aquam fundendam super caput baptizandi, satis amplum ad sufficientem aquae quantitatem hauriendam e fonte pro trina

[1] Haec verba addidimus, quia opinio Baffuraldi videtur nobis severior, cum 1° probabiliter unum oleum pro altero valide inservire potest, etiamsi sit materia Sacramenti: ergo a fortiori in casu, quo sit ritus tantum integrans. 2° Nullum nocumentum patitur infans ex non renovatis unctionibus, aut saltem minimum patietur. 3° Saepius reiteratio causa foret scandali vel murmurationis.

infusione, huic tantum usui destinatum. [D] Pelvis seu bacile ad excipiendam aquam ex capite defluentem, nisi ita constructum sit baptisterium, ut aqua statim in sacrarium defluat. [E] Gossipium seu bombacium aut stuppa ad abstergenda loca sacris oleis inuncta. [F] Medulla panis, qua inuncti Sacerdotis digiti, cum lavat manus, absterguntur (Rit. Tull.) et vas pro manuum lotione post Baptismum (R.), quod huic tantum usui deservire decet. Manuum lotio non potest omitti (Baruff.). [G] Stolae duae, ubi commode haberi possunt, una violacea adhibenda ab initio usque ad inunctionem factam oleo catechumenorum, et altera alba deinceps sumenda; sin minus, una saltem ex una parte violacei, ex altera albi coloris. [H] Alba vestis in modum pallioli seu linteum candidum infantis capiti imponendum (R.), quod vocatur gallice chremeau (Rit. T.). [I] Candela cerea baptizato ardens tradenda. [J] Denique Ritualis liber sit paratus, et item liber baptismalis, in quo baptizati describuntur (R.).

§. II. De tempore et loco administrandi Baptismum.

1. Quamvis Baptismus quovis tempore, etiam interdicti et cessationis a divinis, praesertim si urgeat necessitas, conferri possit: tamen duo potissimum ex antiquissimo Ecclesiae ritu sacri sunt dies, in quibus solemni caeremonia hoc Sacramentum administrari maxime convenit; nempe sabbatum sanctum Paschae, et sabbatum Pentecostes, quibus diebus baptismalis fontis aqua rite consecratur.[1] Quem ritum, quantum fieri commode potest, in adultis baptizandis, nisi vitae periculum immineat, retineri decet, aut certe non omnino praetermitti, praecipue in metropolitanis aut cathedralibus ecclesiis (R.). Hinc prohibitum est solemniter baptizare octo diebus festum Paschae et Pentecostes praecedentibus, in ecclesiis metropolitanis seu

[1] „Praescribitur, ut bis in anno.... sacrum Baptisma tunc solemnius celebr. tur, speciali id etiam ratione ab Episcopis exigit Caeremoniale Episcoporum; et Nos ipsis, praecipuas velut inter pontificalis ordinis actiones, non minori sollicitudine commendamus.“ (Conc. Rom. anni 1725. tit. 26. cap. 1.)

cathedralibus, infantes in mortis periculo non existentes (Caer. Episc.). Episcoporum est hoc officium, ac ut suas partes juste sibi illud vindicare debent (Bened. XIII.).

2. Opportune Parochus hortetur eos, ad quos ea cura pertinet, ut natos infantes sive baptizandos, sive baptizatos, quamprimum fieri poterit, et qua decet christiana modestia sine pompae vanitate, deferant ad ecclesiam, ne illis Sacramentum tantopere necessarium nimium differatur cum periculo salutis, et ut iis, qui ex necessitate privatim baptizati sunt, consuetae caeremoniae ritusque suppleantur, omissa forma et ablutione (R.). In hoc negligentia posset pertingere ad peccatum mortale juxta quosdam auctores (AA.). Benedictus XIV. excommunicationem in parentes, qui ultra octo dies differebant suae prolis Baptisma, tulit (Instit.).

3. Ac licet urgente necessitate ubique baptizare nihil impediat, tamen proprius Baptismi administrandi locus est ecclesia, in qua sit fons baptismalis, vel certe Baptisterium prope ecclesiam (R.). Insuper convenit baptizare in ecclesia parochiali, etiamsi mos esset baptismum administrare in ecclesia cathedrali (S. C. C.); nam oportet, ut quisque Parochus habeat in sua ecclesia fontem baptismalem ad regenerandas ac cognoscendas oves (Rota Rom.). Grave etiam peccatum committeret, qui extra casum necessitatis baptizaret prolem alienae parochiae (AA.). Attamen ob gravem causam Episcopus potest instituere fontem baptismalem in ecclesia succursali dependente a parochia (Bened. XIV., Petra.).

4. Itaque, necessitate excepta, in privatis locis nemo baptizari debet, nisi forte sint regum aut magnorum principum filii, id ipsis ita deposcentibus; dummodo id fiat in eorum capellis seu oratoriis, et in aqua baptismali de more benedicta (R.). Congregatio Rituum etiam concessit cuidam Baroni licentiam erigendi, Episcopo approbante, Altare pro Baptismo prolis (S. C.). Quibus in casibus, caeremoniae junguntur Baptismo, nam separari nequeunt, nisi urgente necessitate, alias culpa gravis foret (Bened. XIV.). Attamen, Episcopo permittente, infans domi aquis Baptismi rite abluitur, postea ad ecclesiam deferendus pro caeremoniis faciendis, aliquot post

dies, dum scilicet exspectatur patrinus magno itineris spatio distans, vel qui insigni officio fungitur, vel propter similem causam (Bened. XIV. Inst. 98. n° 13.). Aliqui vero asserunt, Congregationem negare Episcopo jus permittendi collationem Baptismi extra ecclesiam, nisi urgeat necessitas (Nicollis, *Prax. mor.*).

§. III. De Baptismo parvulorum et de reiteratione Baptismi.

1. Nemo in utero matris clausus baptizari debet (R.), nisi attingi possit et versetur in mortis periculo; tum baptizetur sub conditione (Bened. XIV.), et si natus vixerit, erit sub conditione iterum baptizandus (S. C. C.). Si infans caput emiserit et periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea, si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendeat, baptizandus, eo modo quo supra dictum est: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris* etc. Si vero baptizatus, deinde mortuus prodierit ex utero, debet in loco sacro sepeliri (R.).

2. Si mater praegnans mortua fuerit, foetus quamprimum caute extrahatur, ac si vivus fuerit, baptizetur; si fuerit mortuus et baptizari non potuerit, in loco sacro sepeliri non debet (R.). Attamen valde probabile est, coemeterium inde non pollui (Misc. theol.).

3. Infantes expositi et inventi, si re diligenter investigata, de eorum Baptismo non constat, sub conditione baptizentur (R.), etiamsi illis sit appositum testimonium collati Baptismi, et videantur esse aetatis sex vel decem mensium ad summum, nisi tamen testimonium praebeat indubitatum indicium Baptismatis rite collati (S. C. C.). Infans natus in regione catholica, sed educatus in regione infidelium, si redierit postquam pervenerit ad provectiorem aetatem, iterum baptizetur sub conditione (Ferr.); sed si christiane vixerit apud catholicos et admissus fuerit ad confirmationem, non iterum baptizetur, licet ejus parentes sint ignoti (S. C. C.).

4. Quantum ad Baptismum haereticorum, examinetur Rituale sectae; nam si hocce Rituale indicet materiam et formam

necessarias ad Sacramentum, opinandum est pro validitate Baptismi. Si e contra Rituale defecerit in materia vel forma adhibenda, casus est in particulari discutiendus (S. C. Inq.). Si subsit dubium, Baptismus reiteretur sub conditione (Bened. XIV., Constit.). Si autem fuerit certe invalidum, baptizetur absolute adhibitis caeremoniis (R.).

5. In monstris vero baptizandis, si casus eveniat, magna cautio adhibenda est; de quo, si opus fuerit, Ordinarius loci vel alii periti consulantur, nisi mortis periculum immineat. Monstrum, quod humanam speciem non prae se ferat, baptizari non debet; de quo si dubium fuerit, baptizetur sub hac conditione: *Si tu es homo, ego te baptizo* etc. (R.). Equidem non est leviter judicandum in involucris informibus, nihil humani contineri; quippe cum saepe eveniat, ut tantum exterior pellis monstruosa sit (Rit. Tull.). Illud vero, de quo dubium est, una ne, aut plures sint personae, non baptizetur, donec id discernatur. Discerni autem potest, si habeat unum vel plura capita, unum vel plura pectora; tunc enim totidem erunt corda et animae, hominesque distincti, et eo casu singuli seorsum sunt baptizandi, unicuique dicendo: *Ego te baptizo* etc. Si vero periculum mortis immineat, tempusque non suppetat, ut singuli separatim baptizentur, poterit minister singulorum capitibus aquam infundens omnes simul baptizare, dicendo: *Ego vos baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Quam tamen formam in iis solum et in aliis similibus mortis periculis ad plures simul baptizandos, et ubi tempus non patitur, ut singuli separatim baptizentur, alias numquam licet adhibere (R.).

Quando vero non est certum, in monstro esse duas personas, vel quia duo capita et duo pectora non habet bene distincta, tunc debet primum unus absolute baptizari, et postea alter sub conditione, hoc modo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti* (R.).

6. Dum infans baptizatus fuit domi, urgente necessitate, et non subest dubium probabile, hunc Baptismum fuisse invalidum, prohibitum est sub poena gravis peccati et irregularitatis incurrendae, solemniter rebaptizare etiam sub conditione (Ca-

tech. Rom.), et dispensatio a censura petenda foret a Sede apostolica (S. C. C.). Itaque Parochus diligenter inquirat, utrum infans valide baptizatus fuerit (R.). Ad hoc autem rigorose obligatur (AA.). [1]

§. IV. Ordo et caeremoniae servandae in Baptismo parvulorum.

1. Omnibus igitur opportune paratis, Sacerdos[2] ad tanti Sacramenti administrationem, lotis manibus, superpelliceo et stola violacea indutus (R.), nisi illa paramenta delata fuerint ad fontes (Baruff.), et, Clericum unum seu plures, si potest, secum adhibeat, superpelliceo pariter indutos, qui sibi ministrent, accedat ad limen ecclesiae, ubi, qui infantem detulerunt

---

[1] Non ita pridem menaeum *Rev. theolog.* quaestionem de reiteratione Baptismi sub conditione, modo novo ast non minus absoluto tractavit, tom. IV. pag. 42 et ss. In eo stabilitur, ita docentibus omnibus, nullo excepto, theologis, et quaecumque tandem sit locorum consuetudo, committi peccatum grave sacrilegii, si iteretur Baptismus sub conditione, quando non habetur dubium prudens et fundatum de nullitate prioris Baptismi. Hinc concluditur vetitum esse, indiscriminatim rebaptizare sub conditione parvulos, qui domi ab obstetrice baptizati fuerunt, cum plures ex iis mulieribus probe noverint formam et modum Baptismi. Utique non negamus, illas nonnunquam in baptizando non errare; at non singulis vicibus errant; ergo, ad dignoscendum, utrum erraverint, quilibet casus in particulari est examinandus, interrogandaeque personae, quae Baptismo interfuerint.

Oppositum vero concludunt adversarii. „Plures, inquiunt, obstetrices, non rite baptizant; ergo Baptismus ab obstetricibus collatus est dubius, ergo sub conditione reiterandus.“ Ast in hoc ratiocinio vitium manifestum continetur. Ut dubium *juris* absolutum ac universale, traditur dubium *de facto* particulari. In casu agitur tantum de modo, quo talis determinata obstetrix Baptismum tali infanti contulit: porro dubium hoc est plane facti, quod unice per investigationem de facto tolli potest: itaque, cum sit illicitum operari cum dubio, quod solvi potest, necessarium erit, ut Parochus in casum particularem inquirat testesque interroget. Omnes indiscriminatim sub conditione rebaptizare, idem est, ac si quis confessarius audiens pueros sex ad octo annos natos *omnes sub conditione* absolveret, eo quod inter ipsos nonnulli sint absolutionis capaces, aut velut si post praelium *omnes* vel mortuos vel moribundos extrema unctione munires, non inquirens de eis, qui adhuc certo vivunt, et de illis, qui certo mortui sunt.

Ad consuetudinem in casum aufugies? A jure divino rebaptizare prohibitum est, a jure naturali cogeris in dubio veritatem inquirere, porro contra jura illa nihil valet consuetudo. Caeterum a Ritualibus dioecesanis exivit illa consuetudo, est ergo ut abusus prorsus eliminanda.

[2] Si Episcopus, vel S. R. E. Cardinalis parvulos vel adultos baptizare voluerit, parantur et servantur omnia, ut superius de ordine Baptismi dictum est, atque haec praeterea quae infra notantur. Adsint Capellani, vel alii Presbyteri, et Clerici superpelliceis induti, qui ei assistant ac ministrent. Ipse vero super rochettum, sive superpelliceum, si est regularis, accipiat albam, et cingulum et stolam, et pluviale violacei coloris, ac mitram. Si autem Pontifex quempiam a Presbytero jam catechizatum, tantum baptizare voluerit, sic paratus vestibus albis incipiat, postquam ad baptisterium deventum fuerit: *Quo nomine vocaris?* Respondet catechumenus, N.: Episcopus interrogat: N. *Credis in Deum . . .* etc., et prosequitur usque in finem juxta ordinem Baptismi, ut supra.

exspectant foris (R.) aut in vestibulo, si adsit, nunquam vero intra ecclesiam (Ben. XIII.).[1] Sit infans inter brachium dextrum illius, qui illum defert (R.), patrinus stat a dextris, matrina autem a sinistris, prope pedes (Rit. Tull.). Sacerdos interroget (nisi de his bene sibi constet), an sit suae parochiae, masculus an femina, an sit domi baptizatus, et a quo, et quam rite, et qui sint compatres, qui infantem teneant, pro eoque respondeant; quos pie ac decenter assistere, ac, prout opus fuerit, pro baptizando ad interrogationes respondere admoneat (R.). Et quoniam iis, qui baptizantur, tanquam Dei filiis in Christo regenerandis, et in ejus militiam adscribendis, nomen imponitur, curet, ne obscoena, fabulosa aut ridicula, vel inanium deorum, vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur; sed potius, quatenus fieri potest, Sanctorum, quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitentur, et patrociniis protegantur (R.).

2. His igitur expeditis, Sacerdos interroget infantem nomine: *N., quid petis ab Ecclesia Dei?* Patrinus respondet: *Fidem.* Sacerdos prosequitur: *Fides, quid tibi praestat?* Patrinus: *Vitam aeternam.* Sacerdos: *Si igitur vis ad vitam ingredi... sicut teipsum* (R.). Interrogationes itemque monitio non possunt fieri vernacule, aut vernacule iterari, postquam latine factae fuerint (S. C.); non unum tamen Rituale dioecesanum aliter statuit. Deinde ter exsufflet leniter in faciem infantis, et dicat semel: *Exi ab eo (ea) immunde spiritus et da locum Spiritui sancto Paraclito.* Postea pollice faciat signum crucis in fronte et in pectore infantis, dicens: *Accipe signum crucis tam in fronte, quam incorde* etc. (R.).

3. Dicta Oratione: *Preces nostras,* imponat manum super infantis caput (R.), quod leviter tangit (Rit. Tull.) aut non tangit (Baruff.), ac simul dicat Orationem sequentem: *Omnipotens* etc. Qua Oratione dicta, Sacerdos benedicit sal, nisi adsit antea benedictum ac immittat modicum salis benedicti in

---

[1] „Sciant Parochi, non nude a Romano Rituali praescribi, ut baptizandorum catechismus ad ecclesiae januam, *his cum patrinis extra existentibus,* peragatur. Ipsis itaque districte praecipimus, ut ritum omnino servent eumdem." (Conc. Rom. a. 1725. tit. 26. cap. 3.)

os infantis (R.), v. g. unum aut alterum granum, quia nimia quantitas salis posset infantulo nocere (Baruff.), dicens: *N., accipe* etc. Deinde dictis duabus sequentibus Orationibus et exorcismo, manibus junctis (R. T.), Sacerdos imponit extremam partem stolae super infantem (R.), et attrahens illum angulis fasciae (Rit. Tull.), introducit in ecclesiam, illumque nominans, dicit: *Ingredere* etc. Cum fuerint ecclesiam ingressi, Sacerdos procedens ad fontem cum susceptoribus conjunctim clara voce dicit: *Credo* etc., *Pater* etc. (R.). Cum pervenerint ad fontem, absolvant has Orationes, erecti, conversi ad Altare (Rit. Tull.). Antequam ingrediatur fontem, Sacerdos se vertat ad infantem et illum exorcizet: *Exorcizo te* etc. Postea Sacerdos accipiat de saliva oris sui, et tangat aures et nares infantis; tangendo aurem dextram, dicat: *Ephpheta;* tangendo aurem sinistram, dicat: *Quod est adaperire* etc. (R.). Quae ultima verba explicativa possunt nihilominus omitti (Baruff.); deinde tangit nares duas, unam post alteram, dicens: *In odorem* etc. (R.).

4. His ita peractis, adhuc ante fores baptisterii (Ben. XIII.), Sacerdos interrogat: *N., Abrenuntias Satanae?* etc. Deinde intingit pollicem in oleo catechumenorum, infantem ungit in pectore, et inter scapulas, dicens: *Ego te linio* etc. Subinde pollicem et inuncta loca abstergit bombacio vel re simili, deponit stolam violaceam ac sumit aliam albi coloris (R.), et interrogat (Baruff.), intrans in baptisterium, expresso nomine baptizandum, patrino respondente: *N., credis* etc. Subinde expresso nomine baptizandi, Sacerdos dicit: *N., vis baptizari?* patrino respondente: *Volo* (R.).

5. Tunc patrino, vel matrina, vel utroque (si ambo admittantur) infantem tenente,[1] Sacerdos vasculo seu urceolo accipit aquam baptismalem, et de ea ter fundit super caput infantis in modum crucis, et simul verba proferens, semel tantum distincte et attente dicit: *Ego te baptizo in nomine Patris,†* fundat primo, *et Filii†* fundat secundo, *et Spiritus† sancti,* fundat

[1] Declaratum fuit patrinum physice tangere debere infantem, sive tempore collationis Baptismi, sive immediate post illius collationem, cum accipit infantem e manibus Sacerdotis vel obstetricis (S. C. C. ap. Giraldi).

tertio (R.). Sacerdos curet, ut caput abluatur, ac postea abstergatur albo linteo ad hunc usum solum destinato (Baruff.). Ubi autem est consuetudo baptizandi per immersionem, Sacerdos accipit infantem, et advertens ne laedatur, caute immergit, et trina mersione baptizat, et semel tantum dicit: *Ego te* etc., moxque patrinus, vel matrina, vel uterque simul infantem de sacro fonte levant, suscipientes illum de manu Sacerdotis (R.).

6. Deinde intingit pollicem in sacro chrismate, et ungit infantem in summitate capitis in modum crucis, dicens: *Deus omnipotens...*, et inungens dum dicit: *te liniat chrismate* (R.). Errant igitur, qui ungunt frontem (AA.). Tum bombacio aut re simili abstergit pollicem et locum inunctum, et imponit capiti infantis linteolum candidum loco vestis albae, dicens: *Accipe vestem* etc. Postea dat ei, vel patrino, aut matrinae, candelam accensam (R.), ex cera alba, nisi consuetudo sit offerendi candelam ex cera virgine (Baruff.), dicens: *Accipe lampadem* etc. Postremo dicit: *N., Vade in pace et Dominus sit tecum. Amen* (R.). Curet Sacerdos, colligi bombacium ad illud comburendum. Lotas manus super fontis piscinam, abstergat linteolo albo (Rit. Tull.).

7. Sacerdos admoneat susceptores de spirituali cognatione, quam contraxerunt cum baptizato, baptizatique patre et matre; quae cognatio impedit matrimonium, ac dirimit (R.). Equidem non inutiliter quandoque susceptores de hoc monerentur antequam admittantur, ne inviti contrahant impedimentum (Baruff.). Curet quoque Parochus parentes infantis admoneri, ne in lecto secum ipsi parvulum habeant, propter oppressionis periculum, sed eum diligenter custodiant et opportune ad christianam disciplinam instituant. Commonendi sunt etiam parentes, et alii, si opus fuerit, ne filios hebraeis aliisque infidelibus, vel haereticis mulieribus ullo modo lactandos aut nutriendos tradant. Finaliter antequam infans ex ecclesia asportetur, aut susceptores discedant, eorum nomina, et alia de administrato Baptismo ad praescriptam formam in baptismali libro Parochus accurate describat (R.).

8. Si vero fuerint plures baptizandi (R.), quod non facien-

dum, nisi adsit urgentissima causa (Baruff.),[1] masculi statuantur ad dextram, feminae vero ad sinistram; et omnia pariter dicantur ut supra in proprio genere et numero plurali. Verum prima nominis interrogatio, exsufflatio (salis impositio), crucis impressio, seu signatio, tactus aurium et narium cum saliva, abrenuntiationis interrogatio, unctio olei catechumenorum, interrogatio de fide seu symbolo, et ipse Baptismus, inunctio chrismatis, candidae vestis impositio, atque accensae candelae traditio, singulariter singulis, et primum masculis, deinde feminis fieri debent (R.).

§. V. De Baptismo in necessitate et de caeremoniis supplendis.

1. Si infans, vel adultus aegrotus adeo graviter laboret, ut periculum immineat, ne pereat, antequam Baptismus perficiatur, Sacerdos, omissis quae Baptismum praecedunt, eum baptizet, ter vel etiam semel infundens aquam super caput ejus in modum crucis, dicens simul: *Ego te* etc. Si non habeatur aqua baptismalis, Sacerdos utatur aqua simplici (R.). Quo in casu non induatur stola violacea (S. C.).[2] Deinde si habeat chrisma, liniat eum in vertice, postea dat ei linteolum album, ac demum dat ei ceream candelam, dictis Orationibus correspondentibus. Si supervixerit, suppleantur alii ritus omissi, in ecclesia (R.), nec unquam domi (S. C.).

2. Ubi convaluerit, vel cessaverit periculum et ad ecclesiam delatus fuerit, omnia omissa suppleantur (R.), et sine mora (Bened. XIV.); idemque ordo ac ritus servetur, qui in

---

[1] Exceptis paucissimis precibus, major pars caeremoniarum fit separatim pro unoquoque infantulo. Quod ipse Baruffaldi agnoscit: *In plurali numero pauca, imo paucissima fieri possunt.* Hinc petimus, utrum rationabile sit, requirere causam gravem, *urgentissima causa,* in diversitate tam minima. Ad quod nobis videtur nullam causam requiri. Rituale enim nullam supponit his verbis: *si fuerint plures baptizandi sive masculi* etc. Ergo licite fieri potest.

[2] Prohibet illud decretum tantum, ne deferatur in casu stola violacea. Si ergo potuisset Parochus secum sumere stolam albam, quam deferendam jubet Rituale, dum abluitur infans, probabiliter habere debuisset.

Baptismo parvulorum, si fuerit parvulus (R.), seu in Baptismo cujusvis in infantia in partibus catholicorum baptizati (S. C.), sed ritus Baptismi adultorum, si fuerit adultus (R.), seu in adolescentis Baptismo collato sub conditione, ob dubium de validitate prioris Baptismi (S. C.). Excepto quod interrogatio, an velit baptizari, formaque Baptismi, et ablutio praetermittuntur, dum caeremoniae tantum supplentur (R.). In adulto jam baptizato caeremoniae omittuntur, si Episcopo ita videatur (R.).

3. Quaedam etiam mutanda sunt in Orationibus; sicque in Oratione *Omnipotens,* dicatur: *Ut idoneus sit frui gratia Baptismi tui, quem suscepit, salis percepta medicina.* In Oratione *Deus Patrum;* post *serviens,* dicatur, *et quem ad novae regenerationis lavacrum perduxisti;* in sequenti Oratione: *Aeternam,* dicatur etiam, *ut dignus sit frui.... quem suscepit.... ut aptus sit ad retinendam gratiam Baptismi tui.* In Baptismo autem adultorum, praeter illa, quae supra notata sunt, quando supplentur omissa, haec mutari debent. Primum in exorcismo, *Audi, maledicte satana,* ubi dicitur, *habitaculum perficiat,* dicatur *habitaculum perfecit.* Deinde in exorcismo, *Nec te latet,* ubi dicitur *ut fiat,* dicatur, *ut fieret.*

4. Si autem conferatur Baptismus sub conditione, nihil in precibus mutetur, unicaque forma conditionalis adhibeatur (R.), si vero valide collatus fuerit, tantum suppleantur caeremoniae praetermissae (S. C.).

5. In Baptismo privato patrinum admittere prohibetur, quippe cum de illo nullam mentionem faciat Rituale, sed exigi debet dum caeremoniae supplentur. Caeterum in uno alterove casu, patrinus non contrahit impedimentum cognationis spiritualis, licet idem hoc duplici officio functus fuisset. (Misc. theol. sed S. C. C. apud Feye, declaravit, contrahi in baptismo privato). Parochus accurate describat in libro baptismali quaecumque acta sunt, scilicet utrum Baptismus collatus fuerit sine conditione, vel simpliciter suppletae fuerint caeremoniae omissae (AA.).

§. VI. De Baptismo adultorum.

1. Si quis adultus sit baptizandus, debet prius secundum apostolicam regulam in christiana fide ac sanctis moribus diligenter institui, et per aliquot dies in operibus pietatis exerceri, ejusque voluntas et propositum saepius explorari, et nonnisi sciens et volens, probeque instructus baptizari. At vero si quis, dum instruitur, in mortis periculum incidat, baptizarique voluerit, habita ratione periculi vel necessitatis baptizetur. Adultorum Baptismus, ubi commode fieri potest, ad Episcopum deferatur, ut si illi placuerit, ab eo solemnius conferatur; alioquin Parochus ipse baptizet, stata caeremonia (R.).

2. Decet autem hujusmodi Baptismum ex apostolico instituto, in sabbato sancto Paschatis vel Pentecostes, solemniter celebrari. Quare si circa haec tempora catechumeni sint baptizandi, in ipsos dies, si nihil impediat, Baptismum differri convenit. Verum si circa, seu post tempus Pentecostes aliqui conversi fuerint, qui aegre ferant suum Baptismum in longum tempus differri, et ad illud festinent, instructique ac rite parati esse noscantur, citius baptizari possunt (R.).

3. Catechumenus instructus baptizetur in ecclesia seu baptisterio. Patrinus ei assistat, et ipse catechumenus ad Sacerdotis interrogationes respondeat; nisi mutus fuerit, aut omnino surdus, vel ignotae linguae, quo casu vel per patrinum, si illam intelligat, aut alium interpretem, vel nutu consensum explicet suum (R.).

4. Pro hujus autem veneratione Sacramenti, tam Sacerdotem, qui adultos baptizabit, quam ipsos adultos, qui sani sunt, convenit esse jejunos. Quare non post epulas aut prandia, sed ante meridiem (nisi ex rationabili causa aliter faciendum esset) eorum Baptisma celebretur. Admonendus est catechumenus, ut peccatorum suorum poeniteat (R.).

5. Amentes et furiosi non baptizentur, nisi tales a nativitate fuerint; tunc enim de iis idem judicium faciendum est, quod de infantibus; atque in fide Ecclesiae baptizari possunt. Sed si dilucida habeant intervalla, dum mentis compotes sunt, baptizentur, si velint. Si vero antequam insanirent, suscipiendi

Baptismi desiderium ostenderint, ac vitae periculum immineat, etamsi non sint compotes mentis, baptizentur. Idemque dicendum est de eo, qui lethargo aut phrenesi laborat, ut tantum vigilans et intelligens baptizetur, nisi periculum mortis impendeat, si in eo prius apparuerit Baptismi desiderium (R.).

6. Paratis his, quae supra de observandis in administratione Sacramenti Baptismi parvulorum dicuntur, Sacerdos indutus superpelliceo et stola, vel etiam pluviali violacei coloris, si voluerit, cum suis Clericis accedit ad gradus Altaris, et genibus flexis, pia mente ad Deum preces effundit, ut tantum Sacramentum digne valeat ministrare, et ad implorandum divinum auxilium, surgens, se signat, et si temporis ratio ferat, dicit: *Deus in adjutorium* etc., Antiphonam *Effundam*, et Psalmos *Domine, Dominus noster* (8) *Afferte* (28) et *Quemadmodum* (41). Repetita Antiphona Sacerdos dicat *Kyrie eleison, Pater noster* et Orationes in Rituali notatas. Si plures fuerint baptizandi, haec tertia Oratio *Da quaesumus, Domine, electo* etc., dicatur in plurali (R.).

7. Deinde Sacerdos procedit ad fores ecclesiae (R.), Clericis comitantibus, uno salem, altero autem ceream candelam deferente (Rit. Tull.), et stat in limine, facie ad viam conversa, catechizandus vero extra limen. Si sint plures baptizandi, mares et feminae, illi ad dextram Sacerdotis, hae vero ad sinistram statuantur, et Sacerdos interrogat: *Quo nomine vocaris? Quid petis ab Ecclesia Dei* etc., et rursus interrogat: *Abrenuntias satanae* etc., et demum interrogat de symbolo fidei, dicens: *Credis in Deum* etc. Tunc Sacerdos exsufflat ter in faciem ejus, semel dicens: *Exi ab eo;* dein in modum crucis halet in faciem ejus et dicat: *N., accipe spiritum* etc. Deinde facit crucem cum pollice in ejus fronte et in pectore (R.), absque eo, quod baptizandus vestibus exuatur (Rit. Tull.), dicens: *Accipe* etc. Hic advertendum est, quod dicta verba: *Horresce idola, respue simulacra*, dicantur catechumeno, qui venit de gentilitatis errore, seu de ethnicis et idololatris. Catechumeno vero Judaeo, sive ex hebraeis venienti, loco horum verborum, dicatur: *Horresce judaicam perfidiam, respue hebraicam superstitionem.* Saraceno autem, vel Turcae, aut Persae,

sive alii ex Mahumetanis ad fidem venienti catechumeno, loco eorumdem verborum dicatur: *Horresce mahumeticam perfidiam, respue pravam sectam infidelitatis.* At haeretico ad catholicam Ecclesiam venienti, qui, si in ejus Baptismo debita forma servata non est, baptizari debet, dicatur: *Horresce haereticam pravitatem, respue nefarias sectas impiorum,* exprimens proprio nomine sectam, de qua catechumenus venit. Inde prosequatur: *Cole Deum* etc. Si plures sunt electi, omnia supradicta dicuntur singillatim super singulos (R.).

8. Sacerdos dicta Oratione *Te deprecor,* signet unumquemque electum signo crucis cum pollice in fronte, dicens: *Signo tibi frontem †, ut suscipias Crucem Domini.* In auribus: *Signo...* etc. In oculis: *Signo* etc. In naribus: *Signo* etc. In ore: *Signo* etc. In pectore: *Signo* etc. In scapulis: *Signo* etc. In toto corpore, illud non tangens, manu producit signum crucis et dicit: *Signo te* etc. Recitatis duabus sequentibus Orationibus, Sacerdos imponit manum super caput electi et dicit: *Oremus. Omnipotens, sempiterne Deus* etc., deinde benedicit sal,[1] pollice et indice accipit de ipso sale et immittit in os catechumeni, dicens: *N., Accipe...* etc. Sacerdos dicit: *Pax tibi,* et postea Orationem *Deus Patrum* etc. Si plures sint, dicatur singulis: *N., accipe sal* etc. et praecedens Oratio *Deus Patrum nostrum,* in plurali numero. Deinde Sacerdos dicat super masculum tantum: *Ora, electe, flecte genua* et *dic Pater noster.* Et electus genuflexus orat et dicit: *Pater noster,* et cum oraverit et dixerit *Pater noster,* usque ad: *Sed libera nos a malo* inclusive, Sacerdos subjungit: *Leva, comple Orationem tuam et dic, Amen.* Et ille respondet: *Amen.* Et Sacerdos dicit patrino: *Signa eum.* Deinde electo: *Accede.* Et patrinus pollice signat eum in fronte, dicens: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Tum quoque Sacerdos facit crucem in fronte ejus, ita dicendo: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Deinde imponit manum super eum (unumquemque successive) et dicit Orationem *Deus Abraham* etc., et exorcismum *Ergo maledicte* etc.,

[1] Si catechumenus fuerit gentilis, sive ex idololatris venerit ad fidem, benedicto sale, antequam ejus medicinam gustet, Sacerdos addat sequentem Orationem *Domine sancte* etc., quae tamen pro venientibus ex Hebraeis vel aliis non dicitur (R.).

in numero plurali. *Pater noster* ter recitatur et post unumquodque *Pater* dicuntur Oratio et exorcismus. Quantum ad feminas idem fit, Orationes vero ac exorcismi differunt. Quo facto Sacerdos imponit manum super electum, vel, si sint plures, super singulos tam masculos, quam feminas, et dicit: *Oremus. Aeternam.* Si plures fuerint electi, sive mares, sive feminae, praecedentes Orationes et exorcismi dicantur in numero plurali et in genere proprio, ut superius dictum est (R.).

9. His peractis, Sacerdos sinistra manu apprehendens dextram electi prope brachium, vel ei porrigens extremam partem stolae, introducit eum in ecclesiam, dicens: *N., ingredere* etc. (R.). Si fuerint plures electi, Sacerdos non porrigeret extremam stolae partem nisi uni, quem secundus manu teneret, et sic caeteri. Convenit, ut Sacerdos masculis manum porrigat, feminis autem stolam (Baruff.). Et electus ingressus procumbit, seu prosternit se in pavimento, et adorat. Deinde surgit, et Sacerdos imponit manum super caput ejus, et electus cum eo recitat Symbolum Apostolorum et Orationem Dominicam. Ita etiam, si plures fuerint, omnes surgunt et simul recitant: *Credo* etc., *Pater noster* etc. Tunc rursus Sacerdos imponat manum super caput electi, et dicat exorcismum: *Nec te latet* etc. Similiter si plures fuerint, imponit manum super capita singulorum, et dicit eumdem exorcismum in numero multitudinis et genere suo (R.).

10. Postea Sacerdos pollice accipit de saliva oris sui, et tangit aures et nares electi; tangendo vero aurem dextram et sinistram, dicat: *Ephpheta* etc.; deinde tangendo nares dicat: *In odorem* etc. Deinde interrogat electum: *Quis vocaris* etc. etc. Tunc Sacerdos intingit pollicem dextrae manus in oleo sancto catechumenorum, et inungit electum primum in pectore, deinde inter scapulas, in modum crucis dicens: *Ego te linio* etc. Mox bombacio vel re simili tergit pollicem et loca inuncta, et subjungit, dicens: *Exi, immunde spiritus* etc. Quando plures sunt electi, idem fit circa singulos eorum. Hic Sacerdos deponat stolam et pluviale violaceum, et sumat aliud albi coloris. Et ducitur electus ad baptisterium. Et cum fuerit prope fontem, Sacerdos interrogat: *Quis vocaris?* etc. etc. Tunc patrino,

vel matrina, vel utroque (si ambo admittantur) admota manu, tenente seu tangente electum vel electam, aperto capite, et laxatis a collo vestibus inclinatum (R.), et ex adverso stantem et manibus junctis (Rit. Tull.), Sacerdos baptizat eo, quo dictum est, modo. Si aqua, quae ex capite baptizati defluit, non dilabitur in sacrarium baptisterii, recipiatur in subjecta aliqua pelvi, et in illud postmodum projiciatur. Cum plures sunt electi, singillatim singuli interrogantur et baptizantur, ut supra. Si sunt mares et feminae, primum mares, deinde feminae. Deinde Sacerdos intingat pollicem dextrum in sacrum chrisma, et perungat verticem electi in modum crucis, dicens: *Deus omnipotens* etc. Tunc bombacio, vel re simili pollicem tergit, et imponit capiti electi chrismale seu candidum linteolum, et dat illi vestem candidam, dicens: *Accipe vestem candidam* etc. Et electus deponit priores vestes et induitur novis albi coloris, vel saltem exteriore candida, quam a Sacerdote accepit. Postea dat ei Sacerdos cereum, seu candelam accensam in manu dextra, dicens: *Accipe lampadem ardentem* etc. Ipse vero neophytus eumdem cereum accensum manibus teneat usque in finem. In ecclesiis autem, ubi Baptismus fit per immersionem, sive totius corporis, sive capitis tantum, Sacerdos accipiat electum per brachia prope humeros, et superiore parte corporis nudatum, reliqua honeste contectum, ter illum vel caput ejus mergendo, et toties elevando, baptizet sub trina immersione, sanctissimam Trinitatem semel tantum sic invocando: *Ego te baptizo* etc., patrino vel matrina vel utroque cum tenente vel tangente. Et cum electus surrexerit de fonte, patrinus vel matrina cum linteo in manibus suscipit eum de manu Sacerdotis, et Sacerdos intincto pollice dextro in sacro chrismate, illum in vertice in modum crucis perungit, dicens: *Deus omnipotens* etc. etc. ut supra (R.).

11. Si adsit Episcopus, qui id legitime praestare possit, ab eo neophyti Sacramento Confirmationis initiantur; deinde si hora congrua fuerit, celebratur Missa, cui neophyti intersunt et sanctissimam Eucharistiam devote suscipiunt (R.). Antequam neophytus (vel neophyti) et susceptores discedant ex ecclesia, accurate scribatur in registro actus Baptismi (vel baptizatorum),

haud omissis omnibus circumstantiis, nomine antiquo baptizati, secta seu religione, cui addictus erat, aetate ejus, patrinis, ministro, tempore, hora et quibuscumque necessariis ad conversionem testandam. Optimum quoque esset ad hoc haberi libros speciales (Baruff.). Si vero ob baptizatorum multitudinem, ut in India et novo orbe quandoque contingit, in singulorum Baptismo praescripti ritus adhiberi non possunt, tunc vel pluribus simul adhibeantur, vel, si urget necessitas, omittantur (R.).

Caput tertium.

De Sacramento Poenitentiae.

§. I. Animadversiones generales.

1. Sanctum Poenitentiae Sacramentum, ad eos, qui post Baptismum lapsi sunt, in gratiam Dei restituendos, a Christo Domino institutum, eo diligentius administrandum est, quo frequentior est ejus usus, et quo plura requiruntur ad illud recte digneque tractandum ac suscipiendum. Cum autem ad illud constituendum tria concurrant, materia, forma et minister: illius quidem remota materia sunt peccata, proxima vero sunt actus poenitentis, nempe contritio, confessio et satisfactio. Forma autem, illa absolutionis verba: *Ego te absolvo* etc. Minister denique est sacerdos, habens potestatem absolvendi vel ordinariam vel delegatam. Sed si periculum mortis immineat (R.), quod et de periculo probabili, intelligitur (AA.), approbatusque desit confessarius, quilibet Sacerdos (R.), etiam excommunicatus (AA.), potest a quibuscumque censuris et peccatis absolvere. In ejus ministro requiritur etiam bonitas, scientia atque prudentia, cum sigillo secretae confessionis sub exacto perpetuoque silentio. Quibus et aliis ad id opportunis, ut optime sint instructi, omni studio curare debent confessarii (R.).

2. Imprimis meminerit confessarius, se judicis pariter et medici personam sustinere, ac divinae justitiae simul et misericordiae ministrum a Deo constitutum esse, ut tanquam

arbiter inter Deum et homines, honori divino et animarum saluti consulat. Ut ergo recte judicare queat, discernens inter lepram et lepram, et tanquam peritus medicus animarum morbos prudenter curare, et apta cuique remedia applicare sciat, quantum potest, maximam ad id scientiam atque prudentiam, tum assiduis ad Deum precibus, tum ex probatis auctoribus, praesertim e Catechismo Romano et prudenti consilio peritorum, studeat sibi comparare. Sciat casus et censuras Sedi Apostolicae vel Ordinario suo reservatas, et suae cujusque ecclesiae constitutiones, easque diligenter observet. Denique hujus Sacramenti doctrinam omnem recte nosse studebit, et alia ad ejus rectam administrationem necessaria (R.).

3. Videat autem diligenter Sacerdos, quando et quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio; ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces; quales sunt, qui nulla dant signa doloris, qui odia et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata relinquere, et vitam in melius emendare nolunt; aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum tollant; neque etiam eos absolvat, quorum peccata sunt superioribus reservata (R.), sine speciali licentia (AA.).

4. Si vero quis confiteatur in periculo mortis constitutus, absolvendus est ab omnibus peccatis et censuris, quantumvis reservatis (cessat enim tunc omnis reservatio); sed prius, si potest, cui debet, satisfaciat; ac si periculum evaserit, et aliqua ratione superiori, a quo alias esset absolvendus, se sistere teneatur, cum primum poterit, coram eo se sistat, quidquid debet praestiturus (R.).

5. Meminerit porro Sacerdos, aegris non esse injungendam gravem aut laboriosam poenitentiam; sed indicendam tantum illam (R.), per modum consilii (Baruff.), quam, si convaluerint, opportuno tempore peragant. Interim juxta gravitatem morbi, aliqua oratione aut levi satisfactione imposita, et acceptata, absolvantur, prout opus fuerit. Quod si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox et loquela aegrum deficiat, nutibus et signis conetur, quoad ejus fieri

poterit, peccata poenitentis cognoscere, quibus utcumque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium sive per se sive per alios ostenderit, absolvendus est (R.). Absolvendus est etiam saltem sub conditione, qui destituitur usu rationis, licet non ostenderit desiderium confitendi, modo non fuerit destitutus usu rationis in statu evidenti peccati (AA.).

§. II. De modo administrandi Sacramentum Poenitentiae.

1. Sacerdos ad audiendam Confessionem vocatus, promptum facilemque se praebeat; ac priusquam ad audiendum accedat, si tempus suppetat, ad hoc ministerium recte sancteque obeundum, divinum auxilium piis precibus implorabit. In ecclesia, non autem in privatis aedibus (R.), neque in sacristia (Miscel. theol.), Confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quae cum inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti loco praestare (R.). Non decet Confessiones, ante vel post lucem diei audire; et saltem, si ob justas rationes audiantur, lumen prope confessionale apponatur (Miscel. theol.).

2. Sacerdos habeat in ecclesia sedem confessionalem, in qua sacras Confessiones excipiat, quae sedes patenti, conspicuo, et apto ecclesiae loco posita, crate perforata inter poenitentem et Sacerdotem sit instructa (R.). Numerus sedium confessionalium respondeat populationi loci, duae ad minus habeantur, una virorum, altera autem mulierum, et non apponantur in sanctuario, sed in minoribus capellis (Baruff.). Confessarius utatur superpelliceo et stola violacei coloris, prout tempus, vel locorum feret consuetudo (R.). Religiosi mendicantes aut monachi, ast non alii ((S. R. C.) sunt immunes ab induendo superpelliceo ad audiendas Confessiones (S. C. C.).

3. Poenitens, si opus fuerit, admoneatur, ut qua decet humilitate mentis et habitus accedat, ac flexis genibus signo crucis se muniat (R.). Confessarii igitur est, non admittere mulieres indecenter ornatas; quod si faciat, juste punietur (Baruff.). Mox confessarius inquirat de poenitentis statu (nisi aliter notus fuerit) et quampridem sit confessus, et an impositam

poenitentiam adimpleverit, num rite atque integre alias confessus fuerit; num conscientiam suam, ut debet, prius diligenter discusserit. Quod si poenitens aliqua censura vel casu reservato sit ligatus, a quo ipse non possit absolvere, non absolvat, nisi prius obtenta facultate a Superiore. Si vero confessarius, pro personarum qualitate, cognoverit poenitentem ignorare christianae fidei rudimenta, si tempus suppetat, eum breviter instruat de articulis fidei, et aliis ad salutem cognitu necessariis, et ignorantiam ejus corripiat, illumque admoneat, ut ea postmodum diligentius addiscat (R.).

4. Tum poenitens confessionem generalem latina vel vulgari lingua dicat: scilicet, *Confiteor* etc. Vel saltem utatur his verbis: *Confiteor Deo omnipotenti, et tibi Pater.* Peccata sua exinde confiteatur (R.), ore, excepto necessitatis casu (Jus can.), adjuvante, quotiescumque opus fuerit, Sacerdote, qui confitentem non reprehendet, nisi finita, ut dicetur, confessione: neque interpellabit, nisi opus fuerit aliquid melius intelligere, proinde fiduciam ei praebeat, et humaniter suggerat, ut omnia peccata sua rite et integre confiteatur, remota stulta illa quorumdam verecundia, qua praepediti, suadente diabolo, peccata confiteri non audent (R.). Multis in locis, poenitens prius petit benedictionem, quam confessarius ei dat his verbis: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut rite confitearis omnia peccata tua, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (Rit. Tull.).

5. Si poenitens numerum, et species, et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum sacerdos prudenter interroget. Sed caveat, ne curiosis aut inutilibus interrogationibus quemque detineat, praesertim juniores utriusque sexus, vel alios, de eo, quod ignorant, imprudenter interrogans, ne scandalum patiantur, indeque peccare discant. Demum, audita confessione, perpendens peccatorum, quae ille admisit, magnitudinem ac multitudinem, pro eorum gravitate, ac poenitentis conditione, opportunas correptiones ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna charitate adhibebit, et ad dolorem et contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam ac melius instituendam inducet, remediaque peccatorum tradet (R.).

6. Postremo salutarem et convenientem satisfactionem, quantum spiritus et prudentia suggesserit, injungat, habita ratione status, conditionis, sexus, et aetatis, et item dispositionis poenitentium. Videatque, ne pro peccatis gravibus levissimas poenitentias imponat: ne si forte peccatis conniveat, alienorum peccatorum particeps efficiatur (R.). Non imponat poenitentias plus aequo majores, ne fideles a Sacramentis removeantur (AA.). Id vero ante oculos habeat, ut satisfactio non sit tantum ad novae vitae remedium, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum castigationem. Quare curet, quantum fieri potest, ut contrarias peccatis poenitentias injungat: veluti avaris eleemosynas, libidinosis jejunia vel alias carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia. Rarius autem vel serius confitentibus, vel in peccata facile recidentibus, utilissimum fuerit consulere, ut saepe, puta semel in mense, vel certis diebus solemnibus confiteantur, et si expediat, communicent. Poenitentias pecuniarias sibi ipsis confessarii non applicent, neque a poenitentibus quidquam tanquam ministerii sui praemium petant vel accipiant. Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifestam poenitentiam non imponant (R.).

7. Cum igitur poenitentem absolvere voluerit, injuncta ei prius, et ab eo acceptata salutari poenitentia, primo dicit (R.), capite aperto (Bi. S. Franc. Sales): *Misereatur tui* etc.; deinde dextra versus poenitentem elevata, dicit: *Indulgentiam* etc. Deinde addit, caput birreto tegens (Bi. R. T.): *Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius, te absolvo ab omni vinculo excommunicationis (suspensionis), et interdicti, in quantum possum et tu indiges. Deinde ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris,† et Filii, et Spiritus sancti. Amen.* Si poenitens sit laicus, omittitur verbum, *suspensionis.* Manu demissa (Rit. Tull.) demum dicit: *Passio D. N. J. C. merita B. M. V. et omnium SS., quidquid boni feceris et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae et praemium vitae aeternae. Amen.* In confessionibus autem frequentioribus et brevioribus (R.), si multae confessiones sint excipiendae (Baruff.), omitti potest, *Misereatur* etc. et satis erit dicere:

Dominus noster J. C. (R,), usque ad illud *Passio* exclusive (S. C.) Urgente vero aliqua gravi necessitate in periculo mortis, breviter dicere poterit: *Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine Patris † et Filii et Spiritus sancti. Amen.*

§. III. De modo absolvendi ab excommunicatione, suspensione etc.

1. Si potestas absolvendi ab excommunicationis censura Sacerdoti commissa fuerit a Superiore, et in mandato certa forma sit praescripta, illa omnino servanda est: si vero in mandato seu commissione dicatur; *in forma Ecclesiae consueta absolvat,* haec servanda sunt. Primo, ut excommunicatus ei, ob cujus offensam in excommunicationem incurrit, prius, si potest, satisfaciat. Quod si tunc non possit, sufficientem cautionem praebeat, aut saltem, si eam praestare non potest, juret se, ut primum poterit, satisfacturum. Secundo, si crimen, ob quod in excommunicationem incidit, sit grave, juramentum ab eo exigatur de parendo mandatis Ecclesiae, quae illi fient pro tali causa: ac praecipue, ne deinceps delinquat contra illum Canonem vel Decretum, contra quod faciendo, censuram incurrit (R.).

2. Denique hunc absolvendi ritum observabit. Poenitentem coram se utroque genu flexo, in humero (si vir fuerit) usque ad camisiam exclusive denudato, virga aut funiculis sedens leviter percutit, dicendo totum Psalmum, *Miserere mei Deus* etc., cum *Gloria Patri.* Deinde surgit, et aperto capite dicit *Kyrie eleison, Pater noster,* Versiculos *Salvum fac, Nihil proficiat, Esto ei,* et Orationem *Deus, cui proprium . . . . . ut hunc famulum tuum, quem excommunicationis sententia constringit* etc. Mox sedet et cooperto capite dicit: *Dominus noster J. C. te absolvat, et ego auctoritate ipsius et SS. D. N. Papae (vel RR. Episcopi, vel talis superioris), mihi commissa, absolvo te a vinculo excommunicationis, in quam incurristi (vel incurrisse declaratus es), propter tale factum (vel causam* etc.*) et restituo te communioni et unitati fidelium, et sanctis Sacramentis Ecclesiae, in nomine Patris †* etc. Quodsi Sacerdoti nulla sit a Superiore praescripta forma, nec sibi mandatum, ut in

forma Ecclesiae communi vel consueta absolvat, tunc nihilominus pro rei gravitate praedictam caeremoniam et preces adhibeat; at vero, si res non fuerit adeo gravis, absolvere poterit, dicens: *Dominus noster* etc. In foro autem interiori confessarius habens facultatem absolvendi excommunicatum, absolvat juxta formam communem supra praescriptam in absolutione sacramentali (R.).

3. Si Sacerdoti sit commissa facultas absolvendi aliquem a suspensione vel interdicto, quamvis nulla verba sint praecipue determinata, uti poterit hac formula: *Auctoritate mihi ab N. tradita, ego te absolvo a vinculo suspensionis* vel *interdicti, quem (vel quod) propter tale factum (vel causam) incurristi (seu incurrisse declaratus es) in nomine Patris* † etc. Si vero Confessario, sive in foro conscientiae, sive extra, data est potestas dispensandi super irregularitate, tunc postquam absolverit a peccatis, addat consequenter: *Et eadem auctoritate dispenso tecum super irregularitate* (vel *irregularitatibus), in quam* (aut *in quas) ob talem causam* (eas exprimendo) *incurristi, et habilem reddo et restituo te executioni ordinum et officiorum tuorum. In nomine Patris* † etc. Si nullum habet ordinem, dicatur: *habilem reddo te ad omnes ordines suscipiendos,* vel etiam ad alia, juxta tenorem mandati. Quod si necesse sit titulum beneficii restituere, et fructus male perceptos condonare, subjungat: *Et restituo tibi titulum beneficii* (vel *titulos beneficiorum), et condono tibi fructus male perceptos. In nomine Patris* † etc. (R.)

4. Si quis excommunicatus ex hac vita decedens dederit signum contritionis, ne ecclesiastica careat sepultura, sed ecclesiae suffragiis, quatenus fieri potest, adjuvetur, absolvi potest hoc modo. Si corpus nondum sepultum fuerit, verberetur, et absolvatur, ut infra; deinde absolutum in loco sacro sepeliatur. Si vero fuerit sepultum in loco profano, si commode fieri poterit, exhumabitur, et eodem modo verberabitur, et post absolutionem in loco sacro sepelietur: sed si commode exhumari non potest, locus sepulturae verberetur, postea absolvatur. Quod si in loco sacro sit sepultus, non exhumabitur, sed verberabitur sepulchrum. Dum autem corpus sive sepulturam verberat, Sacerdos dicat Antiphonam: *Exsultabunt Domino ossa humiliata,* Psalmum *Miserere mei Deus* etc. Quo

facto absolvatur, dicendo: *Auctoritate mihi concessa, ego te absolvo a vinculo excommunicationis, quam incurristi* (vel *incurrisse declaratus es) propter tale factum, et restituo te communioni fidelium. In nomine Patris* † etc. Deinde dicatur Psalmus: *De profundis,* ℣. *Requiem* etc. *Kyrie* etc. *Pater noster* etc. et Oratio *Da quaesumus, Domine, animae famuli tui, quem excommunicationis sententia constrinxerat, refrigerii sedem, quietis beatitudinem et superni luminis claritatem. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. Amen (R.).

Caput quartum.

De Sacramento Eucharistiae.

§. I. De generaliter observandis in administratione hujus Sacramenti.

1. Omnibus quidem ecclesiae catholicae Sacramentis religiose sancteque tractandis, magna ac diligens cura adhibenda est, sed praecipue in administrando ac suscipiendo sanctissimae Eucharistiae Sacramento, quo nihil dignius, nihil sanctius et admirabilius habet Ecclesia Dei; cum in eo contineatur praecipuum et maximum Dei donum, et ipsemet omnis gratiae et sanctitatis, fons auctorque Christus Dominus. Parochus igitur summum studium in eo ponat, ut cum ipse venerabile hoc Sacramentum, qua decet reverentia, debitoque cultu tractet, custodiat, et administret; tum etiam populus sibi commissus religiose colat, sancte frequenterque suscipiat, praesertim in majoribus anni solemnitatibus. Ideo populum saepius admonebit, qua praeparatione, et quanta animi religione ac pietate, et humili etiam corporis habitu ad tam divinum Sacramentum debeat accedere: ut praemissa sacramentali Confessione, omnes saltem a media nocte jejuni, et utroque genu flexo Sacramentum humiliter adorent, ac reverenter suscipiant, viris, quantum fieri potest, a mulieribus separatis. Moneantur praeterea communicantes, ut sumpto Sacramento non statim ab ecclesia discedant, aut colloquantur, ne statim vagis oculis circumspiciant, aut

exspuant, neque de libro statim orationes recitent, ne Sacramenti species de ore decidant: sed, qua par est devotione, aliquantisper in oratione permaneant, gratias agentes Deo de tam singulari beneficio, atque etiam de sanctissima Passione Dominica, in cujus memoriam hoc mysterium celebratur et sumitur (R.).

2. SS. Eucharistae Sacramentum continuo asservari potest et debet in solis ecclesiis parochialibus, seu quae subditum habent populum (Jus can.). In aliis autem ecclesiis asservari nequit, quantumvis longe distarent ab ecclesia parochiali, eaque utiliores forent (S. C. C.), nisi pro brevissimo tempore et urgentibus de causis, cum licentia Ordinarii (Cav. Misc. theol.). Item asservari potest in cathedralibus et conventualibus (S. C. Ep.), non vero in collegiatis, nisi habeatur speciale indultum Sedis apostolicae (S. C. C.); etiam in ecclesiis monachorum, non autem in eorum aedibus ruralibus (S. C. C.) ac demum in ecclesiis monalium, si monasterium canonice sit erectum, sin minus, et agatur de monialibus improprie dictis, requiritur indultum Summi Pontificis (S. C. C.). Ab his principiis, tres casus sequentes excipiuntur: 1° si habeatur indultum sanctae Sedis, cum licentia Episcopalis non sufficiat (S. C. C. Ben. XIV. bull.); 2° si Venerabile tantum paucis diebus asservetur, occasione solemnitatis in ecclesia celebratae, cum licentia Ordinarii (AA.): denique 3°, si ab immemorabili consuetudine asservetur in quadam ecclesia (S. C. C.), modo indultum, si adhuc existat, non fuerit concessum ab Episcopo (S. C. C. Misc. theol.). Continuo autem asservari potest in uno tantum loco cujuscumque ecclesiae (S. C. C. et R.), in Altari majori vel in alio commodiori ac decentiori (R.), in ecclesiis parochialibus et regularium, in Altari autem laterali in cathedralibus (Caer. Ep. et S. C. Ep.). Asservatio tamen ad tempus ss. Sacramenti in duobus Altaribus non semper prohibetur (Cav.). Apud moniales non intra chorum vel septa monasterii, sed in publica ecclesia tantum asservari potest, non obstante quocumque indulto aut privilegio (Con. Trid.) Hinc latiorem et abusivam indultis interpretationem tribuere videntur, in nostris partibus Ordinarii, qui in domusculis, ubi habitant tres quatuorve tantum foeminae religiosae, permanenter asservari Sacram Eucharistiam concedunt.

3. Tabernaculum in Altari majori vel in alio, quod venerationi et cultui tanti Sacramenti commodius ac decentius videatur, collocatum (R.), ex materia solida constructum (AA.), regulariter debet esse ligneum ad majorem siccitatem, extra deauratum, intus vero aliquo panno serico decenter contectum (S. C. Ep.), satis amplum, ut contineat duas pyxides cum ostensorio, ostiolumque ejus ita aperiatur, ut pyxis facilius introduci vel extrahi possit. Insuper, tabernaculi superior pars sit forma rotunda vel turbinata, in summitate crucem habens (Misc. theol.). Nec quidquam contineat, nisi vasa sacra (R.), ab eoque extrahantur vascula sacrorum oleorum (S. C. Ep.). Obseretur clave (R.) a solo Parocho (S. C. C.) custodienda (Misc. theol.), atque in loco tuto deponenda (AA.). In parte exteriori sculpi vel pingi possunt imagines, quae ad devotionem et fidem impellunt, ut imago Domini nostri J. C. crucifixi aut resurgentis aut vulneratum pectus exhibentis, calix cum hostia etc. (Misc. theol.). Ante illud poni non potest vas florum vel quid simile (S. R. C.). Cooperiatur velo conopaeove (R.) albo (Baruff.) vel coloris antipendii Altaris (Gav. By. Bi. Cav.) quo a summo usque deorsum integrum tabernaculum circumdetur ac tegatur (Misc. theol.). Intus ornetur panno serico (S. C. Ep.) ditiori ac pretiosiori (Misc. theol.), ac juxta usum universalem, mentem ecclesiae ac ordinationes dioecesium omnium, ibi collocetur corporale aut palla, infra pyxidem, quae corpus D. Salvatoris continet (Misc. theol.).

4. Pyxis sit ex solida decentique materia, eaque munda, et suo operculo bene clausa, albo velo cooperta, et quantum res feret, ornata, in tabernaculo clave obserato (R.). Sitque non eburnea ligneave, sed argentea intus deaurata (S. C. Ep.), si facultates ferant (S. Car.). Quod ubique praescribitur (Misc. theol.). Non est necesse, neque equidem licet collocari in interiori pyxidis parte corporale, quo tegatur ejus pars interior (AA.). Praeterea pyxis etsi maxime sit congruum (Miscel theol.), non debet benedici de praecepto, (Tamb. Pasq.), ac purificata tangi potest, sine culpa, a laico (Miscel. theol.). Quod de pyxide dicitur, pariter intelligatur de parva lunula inserviente ad corpus Domini ex-

ponendum in ostensorio; ipsum vero ostensorium non benedicitur (AA.)

5. Lampades coram ss. Eucharistiae Sacramento plures, vel saltem una, die noctuque perpetuo colluceat; curabitque Parochus, ut omnia ad ipsius Sacramenti cultum ordinata, integra mundaque sint et conserventur (R.). Praeceptum grave juxta plures eruitur ex consuetudine universali ac decretis omnium dioecesanarum synodorum, adeo ut qui culpabiliter in hoc deficeret, vel uno die integro, posset peccare mortaliter (Misc. theol.). Insuper maxime dubitatur, utrum Episcopus possit in hac re dispensare, imo, si facultates non suppetant ad conservandum decenter ss. Sacramentum, potius parochia alio transferatur ((S. C. C.). Quae lampas retinenda est ante Venerabile, non autem in loco laterali aut in ecclesia (S. R. C.). In ea nutrienda generatim utendum est oleo olivarum; ubi vero haberi nequit, remittitur prudentiae Episcoporum, ut nutriatur ex aliis oleis, quantum fieri potest, vegetabilibus (S. C.). Curate invigilet Parochus, ut continuo colluceat, nec ad hoc praestandum alium sibi subsituat. Expensae lampadis prius fabricae, et si ejus facultates non tulerint, communitati incumbunt. Si autem communitas renuat, primo Parochus, fruens redditibus sufficientibus, deinde parochiani tenentur subvenire expensis ad id necessariis. De caetero ad hunc finem assignare perutile foret certos reditus (Misc. theol.).

6. Parochus ss. Eucharistiae particulas frequenter renovabit (R.), singulis octiduis (S. R. C.), ad minus singulis quindenis (Bened. XIV.), uti semper Ecclesia praescripsit (Misc. theol.). Hostiae vero seu particulae consecrandae sint recentes (R.), nec sint confectae, nisi a quindecim diebus vel ad summum ab uno mense (Misc. theol.), in quo Sacerdos deficiens mortaliter peccare posset (Gard.). Utut sit, abusus omnino tollendus ex ecclesiis est consuetudo consecrandarum hostiarum a tribus mensibus confectarum in hieme, et sex mensibus in aestate. Quod si Parochus istum abusum toleraret, vicepastores, aliique Sacerdotes isti ecclesiae addicti, non possunt uti talibus hostiis (S. C.). Continuo serventur hostiae consecratae ad usum aegrotorum, aliorumve fidelium communicare cupien-

tium (R.). In eoque Parochus summo studio invigilet (AA.) et ubi hostias consecraverit, veteres primo distribuat vel sumat (R.). Convenit etiam, ut sacra pyxis toties purificetur, quoties s. species renovantur (AA.). Omnia fragmenta in fundo pyxidis diligentissime collecta cum purificatorio (L.) vel fragmenta ad labium pyxidis indice deducta, sumi possunt, ore eidem admoto (Gav. Cors.); at hic modus quantum ad fragmentorum sumptionem, tanquam indecens et reliquiarum perditionis periculo obnoxius rejiciendus est, ideoque melius erit, particulas immitti in calicem, deinde purificari pyxidem cum vino (Coninck, Quarti), vel illas particulas immitti in primam ablutionem (Aversa, Merati). Notandum autem est, vinum, ante sumptionem, transfundendum esse in calicem, ac toties ex vino immittendum, quoties necesse sit, ut quaecunque fragmenta rite colligantur. Quibus peractis sacra pyxis purificatorio extergitur (AA.).

7. Fideles omnes ad sacram Communionem admittendi sunt, exceptis iis, qui justa ratione prohibentur. Arcendi autem sunt publice indigni; quales sunt excommunicati, interdicti, manifesteque infames; meretrices, concubinarii, foeneratores, magi, sortilegi, blasphemi et alii ejus generis publici peccatores; nisi de eorum poenitentia et emendatione constet, et publico scandalo prius satisfecerint (R.). Attamen peccatori publico, qui prius confessus esset peccata, quandoque liceret secreto Communionem concedere (AA.). Occultos vero peccatores, si occulte petant, et non eos emendatos agnoverit, repellat (R.); nisi eorum mala indispositio seu indignitas ex Confessione nosceretur (Bened. XIV.), non autem si publice petant, et sine scandalo ipsos praeterire nequeat (R.). Amentibus praeterea seu phreneticis communicare non licet; licebit tamen, si quandoque habeant lucida intervalla, et devotionem ostendant, dum in eodem statu manent; si nullum indignitatis periculum adsit. Ita etiam iis, qui propter aetatis imbecillitatem nondum hujus Sacramenti cognitionem et gustum habent, administrari non debet (R.). Ordinarie pueri sufficienter instructi, aetatis circiter decem vel undecim annorum, ad Communionem admittuntur (Misc. theol.).

8. Curet autem Parochus, ut in Quadragesima per se vel per alios concionatores populo opportune denuntietur Constitutio Concilii Lateranensis sub Innocentio III., quae sic habet: *Omnis utriusque sexus* etc. Ut igitur hoc salutare Concilii decretum inviolabiliter servetur, descripta Parochus habeat nomina suorum parochianorum; et qui dicto tempore non communicaverint, et post octavam Paschae eos, qui propriae salutis immemores saepius admoniti non obtemperaverint, Ordinario suo denuntiet. Dabit quoque operam Parochus, quoad ejus fieri poterit, ut in ipso die sanctissimo Paschae communicent; quo die ipse per se, nisi legitime impediatur, parochiae suae fidelibus hoc Sacramentum ministrabit (R.), nec ad hoc officium praestandum alios sibi substituat (S. Car. Baruff.). Alienae vero parochiae fideles ad proprium Parochum remittet, praeter peregrinos et advenas, et qui certum domicilium non habent; quibus ipse sacram praebebit Communionem, si ad illum accesserint rite parati; vel ubi est ea consuetudo, eos ad cathedralis ecclesiae Parochos remittet. Aegroti quoque parochiales, etiamsi Communionem extra praescriptos paschales dies sumpserint, in paschalibus diebus communicare adhuc debebunt (R.). Unica tamen Communione satisfieri potest duobus praeceptis Viatici et Communionis paschalis, eodem tempore obligantibus (Misc. theol.). Parochus ergo ad illos aegrotos, in paschalibus diebus Communionem deferet ac ministrabit (R.), quodque si non faciat, graviter peccabit (Baruff.).

§. II. De caeremoniis servandis in distributione sacrae Communionis

1. In ecclesia, vel in oratorio publico (AA.) aut privato, si habeatur Episcopi licentia (Bened. XIV. Constit.), sint paratae hostiae seu particulae pro populi multitudine consecratae vasculumque unum, vel plura, decenti et commodo loco exposita, cum vino et aqua ad purificationem eorum, qui Communionem sumpserint, et ante eos linteum album [1] extenda-

[1] Prohibitum est, loco illius lintei, uti velo calicis, manutergio (S. C. Visit.), superpelliceo, casula etc. (Cav. aP.). In Missis solemnibus licet Diacono, supponere communicantium mento patenam, quam tamen Sacerdoti inter digitos tenere non licet (S. C.). In

tur (R.), ad cancellos, quia laicis in presbyterium ingredi non licet (AA. Conc. rom.). Tunc Sacerdos (R.) vel Diaconus in casu necessitatis, aut si fuerit delegatus (AA.), lotis prius manibus, et superpelliceo indutus, ac desuper stola coloris officio illius diei convenientis (R.), praecedente Clerico seu alio ministro (R.), cotta induto (Cav. P.) vel non induto (Baruff.), cum clave tabernaculi (AA.), procedit ad Altare (R.), capite tecto (Hg. Bi. B. P. Cav.), manibus junctis (R.), deferens bursam cum corporali (S. C.).

2. Cum pervenerit ante Altare, detegit caput, tradit birretum ministro, genuflexioneque in plano facta, ascendit ad Altare super cujus suppedaneo Orationi vacat (Bi.). Deinde extendit corporale extractum ex bursa (AA.), quam collocat ut in Missa (B. Bi.), deponitque purificatorium prope corporale ad cornu Epistolae (Bi.). Interea minister accendit cereos (R.) duos (AA.) ac cereum elevationis (G. Cav.), quod item praestat, si Communio distribuatur ante Missae initium (S. C. Visit. CC.). Postea genuflexus ad cornu Epistolae nomine populi facit confessionem generalem, dicens: *Confiteor Deo...*, ibique persistit dum ss. species distribuuntur (S. C.). Sacerdos autem (R.) aperto tabernaculo ac genuflexione facta, extrahit sacram pyxidem, quam super corporale deponit (R.). Tabernaculo clauso (P.), vel aperto relicto (Cav.), amovet e pyxide operculum, et iterat genuflexionem (B.). Operculum autem super corporale (Baruff. B. Cav.) vel extra illud deponitur (V.).

3. Dicto *Confiteor* Sacerdos iterum genuflectit (R.), modo non fuerit facta confessio ante secundam genuflexionem, nam eo casu non genuflecteret (B. CC. Bi. M. Hg. By.), et, manibus junctis ante pectus, vertit se ad populum (advertens ne terga vertat Sacramento) et stans in cornu Evangelii (R.), facie inter cornu Epistolae et populum versa (AA.), dicit: *Misereatur vestri... Amen,* deinde *Indulgentiam... Amen.* Quam dicens, manu dextra in formam crucis signat communicandos (R.).

Communione monialium servari quoque potest consuetudo laudabilis apponendi laminam argenteam deauratam ad recipienda fragmenta (S. C.), itemque licet communicantibus, sibi mento supponere patenam, quam unus alteri porrigit, modo tamen non sit patens in Missa adhibita (S. C.).

Crucis signum sit circiter duarum palmarum (M. P.). Orationes semper dicuntur in plurali numero, licet unus esset communicandus (AA.).

4. Rursus junctis manibus, eodem latere ad Altare (AA.) se convertit, genuflectit, manu sinistra pyxidem capit (R.) per nodum (B. P. Cav.) cum purificatorio (P. V. Lacroix) distincto a purificatorio Missae (L.), vel sine purificatorio (R. Q.), et manus dexterae pollice et indice, Sacramentum accipit et elevat (R.), uno vel duobus digitis desuper pyxidis labium (P. V.), cui manum superponit (P. V.), conversusque omnino (R.), etsi ss. Sacramentum expositum foret (P. Bi. Cav. M. aP. By. CC. T.), dicit semel: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi,* et ter: *Domine, non sum dignus.... mea,* semper in masculino genere, licet solum mulieres essent communicandae, ac clara voce (R.), atque oculis in ss. Sacramentum intentis (P. Cav.). Dum proferuntur haec verba, quae dici nequeunt lingua vulgari (S. C. adversus L. CC. Hg.), licet fidelibus ter sibi percutere pectus (P. adversus M. By.).

5. Postea ad communicandum accedit (R.), semper per gradus anteriores (S. R. C.), incipiens ab iis, qui sunt a parte Epistolae (R.). Particulae sint forma rotundae ac solita magnitudine (AA.), nec distribuatur sive hostia major (Innoc. XI.), sive particula hostiae, quae exposita fuerit in ostensorio (AA. Instr. Clem.). Si Sacerdotibus vel aliis ex Clero danda sit Communio (R.), iis uti et ministro (Cav. M.), ad gradus Altaris genuflexis primo praebeatur, vel si commode fieri potest, inter cancellos et Altare, ita ut sint a laicis distincti. Sacerdotes vero communicent cum stola (R.) coloris officii diei (P.), sed Diaconis non licet induere stolam (Cav. P. Tet.). Sacerdos unicuique particulam porrigens, et faciens cum ea signum crucis super pyxidem, altitudinis palmae ac latitudinis pyxidis (P. J. By. Hg.), simul dicit: *Corpus Domini* etc. (R.), et admota pyxide simul ac manu (M. P.), imponit Sacramentum super lingua communicantis, tribus ultimis digitis bene clausis (P.). Non tenetur Sacerdos, distribuere primo communicanti hostiam, quam in Altari manu tenuerat, sed aliam dare potest; unicuique autem communicantium utatur forma integra: *Corpus Do-*

mini. Si plures sunt communicandi, postquam discesserint, qui prius communicaverunt, Sacerdos rursus incipiat ab iis, qui sunt a parte Epistolae, et si necesse sit, ut tempus accedendi praebeatur secundo communicandis, convertat se ad Altare (RT.). Si hostiae dividendae sint, quod, si opus fuerit, licet (S. C.), dividantur in Altari (R. T.). Non licet Sacerdoti, neque infra Communionem, neque post illam, abstergere statim digitos purificatorio, sed si Communio diu duret, vel si digiti saliva fuerint madefacti, illos perfricet super pyxidem, ut in eam decidant particulae, antequam illos purificatorio abstergat (V. Hg. M. Lacroix), aut lavet digitos in Altari, vel saltem, in vase a ministro delato (S. Car. Cav.).

6. Ubi vero omnes communicaverint, Sacerdos reversus ad Altare (R.), per gradus anteriores (Cav.), genuflectit Sacramento (S. C.). Tunc et non ante (Cav. P.), dicere poterit: *O sacrum... datur,* Versiculum *Panem de coelo* etc., omnia sine *Alleluja*, excepto tempore paschali (R.) et durante octava, ss. Sacramenti (B. Cav. M. adversus P.). Mox Sacerdos dicit ministro respondente: *Domine, exaudi... Dominus vobiscum* (R.), ad quod tenetur (S. R. C.), etiamsi non dixerit: *O sacrum* (Cav.), postea Orationem *Deus, qui nobis,* cum conclusione longa, tempore autem paschali *Spiritum* cum conclusione brevi (R.). Antequam reponat Sacramentum, diligenter advertat, ut si aliquod fragmentum digitis adhaeserit, illud deponat in pyxidem (R.), concussis aut confricatis digitis super pyxidem (RT.), quam claudit, et postea (M. P.) aut prius (Cav.), eosdem digitos, quibus tetigit Sacramentum, abluat abstergatque purificatorio. Quam vero ablutionem potest sumere, etiamsi celebraverit Missam, vel tunc communicantibus tradere sumendam, aut saltem injicere in sacrarium. Postea genuflectens,[1] reponit Sacramentum in tabernaculo, et clave obserat (R.). Deinde extensis et junctis, ut in Missa manibus (S. C.), se convertit ad illos, qui communicaverunt, illisque benedicit, extenta manu dextra dicens: *Benedictio Dei omnipotentis... Amen* (R.). Convertens se ad Altare, replicatum corporale reponit in bursa,

[1] Haec altera genuflexio fit immediate, antequam claudatur tabernaculum.

quam tradit ministro vel quam ipse sumit, crucique inclinatione facta, descendit, genuflectit et revertitur ad sacristiam (B. By. Cav. Hg. aP. RT.), capite cooperto (P. B.).

7. Communio autem populi intra Missam statim post Communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet (nisi quandoque ex rationabili causa post Missam sit facienda), cum Orationes, quae in Missa post Communionem dicuntur, non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent. Itaque Sacerdos, sumpto sacratissimo Sacramento, antequam se purificet (R.), removeat paululum calicem ad cornu Epistolae (Cast.), vel ad cornu Evangelii (aP. Cav.), et ponat particulas consecratas in pyxide, vel si pauci sint communicandi, super patenam, nisi in principio positae fuerint in pyxide (R.), vel sumat ex tabernaculo pyxidem, modo, quo supra dictum est (AA.); et genuflectit, ministro interim faciente *Confessionem*. Postea vertens se ad populum, prosequitur, uti explicavimus; verum tenet pyxidem inter indicem et tres ultimos digitos, quia pollex jungitur indici (R.). Si tamen distributio ss. hostiarum longior esset, posset disjungere pollicem ab indice, modo prius illos in vase lavaverit, aut ore absterserit (L. V.). Finita Communione revertitur ad Altare, nihil dicens, et non dat eis benedictionem, quia illam dabit in fine Missae. Deinde dicit secreto: *Quod ore sumpsimus* etc., ut in Missali, se purificat, et Missam absolvit (R.).

8. Quod si contingat, absoluta Missa, statim aliquos interdum communicare, tum Sacerdos adhuc planeta indutus, sacram Communionem eo modo, quo supra dictum est, ministrabit (R).[1] Ante Missam Communio non distribuatur sine aliqua necessitate (S. C. Visit.) et detur benedictio (M. CC.), etsi com-

---

[1] Rediens ex Altari collaterali, in quo celebravit Missam pro defunctis, sufficit, si Celebrans paramenta nigri coloris deponat, ac sumat stolam albam. *Rev. theol.* tom. I. pag. 622.

Non liceret Missam in capella aut oratorio interrumpere, ad deferendam s. Communionem in aliquam cameram, sive plano solo, sive supra positam. Ubi adest necessitas, Sacerdos deferat s. Eucharistiam post Missam. 7. Dec. 1844., *in Januen.* Videsis Collectionem meam alphabeticam, **V**. *Communio*, §. I. n 6.

Minister, tempore quo distribuitur Communio, non debet Celebrantem cum face comitari, sed si mappam non tenet, manet genuflexus in cornu Epistolae. 12. Aug. 1854., *in Lucionen.* Ibid. §. II.

municati Missam sint audituri (Cav.), cum praescriptis ritibus quidquam mutare haud liceat.

9. Communio distribui potest singulis diebus, horis, quibus celebratur Missa, ab aurora usque ad meridiem (S. C.), exceptis feria VI. majoris hebdomadae (R.), feria V. in coena Domini post Missam, et sabbato sancto ante Missam (S. C.), imo licet in Missa sabbati sancti, si talis vigeat consuetudo (S. C.). Item in nocte Nativitatis Domini non licet christifideles communicare, qualiscumque sit consuetudo contraria (S. C.), nisi habeatur privilegium (S. C.). Cum paramentis nigris, in Missa et immediate post Missam, imo ante eam, si habeatur causa rationabilis, licet sacram distribuere Communionem (S. C.).

§. III. De Communione infirmorum.

1. Viaticum sacratissimi corporis Domini nostri Jesu Christi summo studio ac diligentia aegrotantibus opportuno tempore procurandum est, ne forte contingat illos tanto bono, parochi incuria, privatos decedere. Cavendum autem in primis est, ne ad indignos cum aliorum scandalo deferatur, quales sunt publici usurarii, concubinarii, notorie criminosi, nominatim excommunicati aut denuntiati, nisi se prius sacra Confessione purgaverint, et publicae offensioni, prout de jure, satisfecerint (R.).

2. Hortetur Parochus infirmum, ut sacram Communionem sumat, etiam si graviter non aegrotet aut mortis periculum non immineat, maxime si festi alicujus celebritas id suadeat, neque ipse illam ministrare recusabit. Pro Viatico autem ministrabit, cum probabile est, quod eam amplius sumere non poterit. Quod si aeger, sumpto Viatico, dies aliquot vixerit, vel periculum mortis evaserit, et communicare voluerit, ejus pio desiderio Parochus non deerit (R.); e contra adhortetur infirmum, ut iterum communicet, et ipse ad id potest compelli per leges synodales (Bened. XIV.).

3. Potest quidem Viaticum brevi morituris dari non jejunis (R.) vel ex morbo et pluries reiterari aliquot interpositis diebus (Misc. theol.), item ultimo supplicio afficiendis (AA.), vel illis, qui ob indispositionem habitualem, licet non gravem,

jejuni praecepto paschali satisfacere non valent (Misc. theol.). Caeteris autem infirmis, qui ob devotionem in aegritudine communicant, danda est Eucharistia ante omnem cibum et potum, non aliter ac caeteris fidelibus, quibus nec etiam per modum medicinae ante aliquid sumere licet. Id tamen diligenter curandum est, ne iis tribuatur, a quibus ob phrenesim sive ob assiduam tussim, aliumve similem morbum, aliqua indecentia cum injuria tanti Sacramenti timeri potest. Sed alicui ad adorandum solum, seu devotionis seu cujusvis rei praetextu ad ostendendum non deferatur (R.). Nec Communio licet dari sub specie vini; attamen liceret, si aliud non suppetat medium, ponere partem hostiae in cochleari cum aqua aut vino, et dare aegrotanti (Bened. XIV.).

4. Deferri autem debet hoc sanctum Sacramentum ab ecclesia (R.) parochiali, vel ab alia etiam regulari, si adsit necessitas (S. R. C.), ad privatas aegrotantium domos, quantumvis pauperes ac miserabiles (Alex. VII.), imo ad prostibula, modo absit irreverentiae periculum etc. (Misc. theol.), a Sacerdote, decenti habitu, superposito mundo velamine. Deferatur publice (R.), nunquam secreto (S. C. C.) sine causa gravissima (AA.), manifeste atque honorifice, et nunquam nocte, nisi necessitate urgente, ante pectus cum omni reverentia et timore, semper lumine praecedente (R.). Praemoneat, ut aegri cubiculum mundetur, et in eo paretur mensa linteo mundo cooperta, in quo sanctissimum Sacramentum deponatur. Parentur luminaria, ac duo vascula, alterum cum vino, alterum cum aqua; praeterea linteum mundum ante pectus communicandi ponatur, atque alia ad ornatum loci, pro cujusque facultate (R.).

5. Parochus igitur processurus ad communicandum infirmum aliquot campanae ictibus jubeat convocari parochianos, seu confraternitatem sanctissimi Sacramenti (ubi fuerit instituta) seu alios christifideles, qui sacram Eucharistiam cum cereis seu intortitiis comitentur, et umbellam seu baldachinum, ubi haberi potest, deferant. Ubi vero convenerint, qui Eucharistiam comitaturi sunt, Sacerdos indutus superpelliceo et stola, et si haberi potest, pluviali albi coloris, acolythis seu Clericis, aut etiam presbyteris, si locus feret, superpelliceo pariter indutis comi-

tatus, decenter, et de more acceptas aliquot particulas consecratas, vel unam tantum, si longius aut difficilius iter sit faciendum, ponat in pyxide seu parva custodia, quam proprio suo operculo cooperit; et velum sericum superimponit; ipse vero Sacerdos, imposito sibi prius ab utroque humero oblongo velo decenti, utraque manu accipiat vas cum Sacramento (R.), quod integrum cooperit extremitatibus humeralis (S. C.), et deinde umbellam seu baldachinum subeat, nudo capite processurus (R.).[1] Nec caput cooperire potest, etiam si rheumate laboret, nisi extra moenia urbium et ex licentia Episcopi (S. C.).

6. Praecedat semper acolythus vel alius minister deferens laternam, sequantur duo Clerici, vel qui eorum vices suppleant; quorum alter aquam benedictam cum aspersorio, et bursam cum corporali, quod supponendum erit vasculo sanctissimi Sacramenti super mensa in cubiculo infirmi, et cum linteolo purificatorio ad digitos Sacerdotis abstergendos: alter librum ritualem deferat, et campanulam jugiter pulset (R.). Succedant deinde deferentes intortitia (R.), bini et bini (Brff.), et ubi moris sit thuriferarius incensans sanctissimum Sacramentum (S. C.). Postremo Sacerdos Sacramentum gestans elevatum ante pectus sub umbella, dicens Psalmum *Miserere*, et alios Psalmos, et Cantica (R.), cantando vel recitando alta voce, aut saltem recitans Litanias Beatae Mariae Virginis aut rosarium (Baruff. Cav.).

7. Ingrediens vero locum, ubi jacet infirmus, dicat: *Pax huic domui. Et omnibus habitantibus in ea* (R.), ministro respondente (Cav. RT.). Tum depositum Sacramentum super mensa, supposito corporali, genuflexus (R.) utroque genu (Baruff.) vel uno genu (Cav. P.), adorat, exuitque velum humerale (Cav.), omnibus in genua procumbentibus, et mox accepta aqua benedicta, aspergit infirmum et cubiculum, dicens Antiphonam *Asperges me* etc., et primum versum Psalmi *Miserere mei Deus*, cum *Gloria Patri, Sicut erat.* Deinde repetitur Antiphona

[1] Sive die, sive nocte (S. C. 23. Jan. 1700; absque speciali Sedis Apostolicae gratia non licet uti pileo, neque pileolo parvo (S. C. 13. Aug. 1695). Die 12. Sept. 1857. S. C. Episcopo Molinen. et deinceps aliis Episcopis commisit, ut pro suo arbitrio et prudentia indulgeant, quod Parochi . . . capite pileo cooperto Viaticum deferre valeant.

Asperges me etc. (R.). Loco hujus Antiphonae nunquam licet dicere *Vidi aquam* (S. R. C.). Postea *Adjutorium* etc., *Domine exaudi* etc. et Orationem *Exaudi nos.* Ministro respondente *Amen* (R.). His dictis accedat ad infirmum (R.) illumque alloquatur privatim subalta voce (RT.), ut cognoscat, num sit bene dispositus ad suscipiendum sacrum Viaticum, et utrum velit aliqua peccata confiteri, et illum audiat atque absolvat; quamvis prius deberet esse rite confessus, nisi necessitas urgeat (R.).

8. Deinde facta de more Confessione generali, sive ab infirmo, sive ejus nomine ab alio, Sacerdos (R.), genuflexione facta (P. RT.), dicit: *Misereatur, Indulgentiam* (R.) in numero singulari (Baruff. Cav. P. RT.). Deinde facta genuflexione, accipit Sacramentum de vasculo, atque illud elevans ostendit infirmo, dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi,* et more solito ter dicat: *Domine, non sum dignus* etc. Et infirmus simul cum Sacerdote dicat eadem verba, saltem semel, submissa voce. Tum Sacerdos, dans infirmo Eucharistiam, dicat: *Accipe frater* (vel *soror), Viaticum corporis D. N. J. C., qui te custodiat ab hoste maligno et perducat in vitam aeternam. Amen* (R.). Qua forma utatur quotiescumque infirmus communicet in periculo mortis (Cleric.). Si vero Communio non datur per modum Viatici, dicat more ordinario: *Corpus D. N. J. C.* (R.). Postea Sacerdos abluat digitos (R.) in uno alterove vase (Cav. Baruff.), nihil dicens; et infirmo detur ablutio (R.), aut referatur ad ecclesiam, aut in ignem injiciatur (Cav. P. Baruff.). Posset quoque madefacto purificatorio lavare et simul abstergere digitos (Barufl.). Deinde dicat: *Dominus vobiscum* etc., et Orationem *Domine sancte* (R.).

9. His expletis, si altera particula Sacramenti superfuerit, superesse autem semper debet, praeterquam in casu jam dicto, genuflectit (R.), induit velum humerale, si illud exuerit (Cav.), surgit, et accipiens vas cum Sacramento, facit cum eo signum crucis super infirmum, nihil dicens (R.), sed cooperiens Sacramentum velo humerali (Cav.), sive non cooperiens nisi benedictione data (P.), et reverenter illud deferens, ordine quo venerat, revertitur ad ecclesiam, dicendo Psalmum *Laudate Dominum de coelis,* et alios Psalmos et Hymnos, prout tempus

feret. Cum pervenerit ad ecclesiam, ponit Sacramentum super Altare (R.), genuflectit super infimo gradu Altaris, in quo genibus flexus (Cav. Baruff.), illud adorat, deinde dicit: *Panem de coelo, Dominus vobiscum,*[1] et Orationem *Deus, qui nobis* (R.). Facta prius et postea genuflexione (AA.), annuntiat indulgentias a Summis Pontificibus concessas sanctissimum Sacramentum comitantibus. Ascendit ad Altare, genuflectit (AA.), et cum Sacramento in pyxide velo cooperta facit signum crucis super populum, nihil dicens. Postremo illud in loco suo reponit (R.). Si vigeat consuetudo benedicendi populum retrocedentem extra portas domus infirmi aut civitatis, servetur (S. C.).

10. Quod si longius aut difficilius iter obeundum sit, et fortasse etiam equitandum, necesse erit vas, in quo Sacramentum defertur, bursa decenter ornata, et ad collum appensa apte includere, et ita ad pectus alligare atque adstringere, ut neque decidere, neque pyxide excuti Sacramentum queat. Quod si ob difficultatem aut longitudinem itineris, vel quia ea, qua decet veneratione, Sacramentum ad ecclesiam commode reportari non potest, sumpta fuerit una tantum particula consecrata, ut dictum est, tunc ea infirmo administrata, Sacerdos praedictis precibus recitatis, eum manu benedicit (R.), dicens: *Benedictio* etc. (AA.), et una cum aliis privato habitu, extinctis luminibus, umbella demissa, latente pyxide, ad ecclesiam vel domum quisque suam revertatur (R.). Si vero adverterit particularum reliquias in pyxide, hanc purificet in domo infirmi, cui tradatur ablutio sumenda. Pyxis abstergatur purificatorio (Lug.).

11. Quod si mors immineat, et periculum sit in mora, tunc dicto: *Misereatur* etc., praedictis precibus omnibus, vel ex parte omissis, ei statim Viaticum praebeatur (R.). Si autem acciderit, infirmum post peccatorum suorum Confessionem ad exitum vitae properare, tunc cum sacro Viatico poterit et oleum infirmorum ad eum deferri, per ipsum Sacerdotem, qui defert

---

[1] Juxta plura decreta, Versus *Dominus vobiscum*, qui in Rituali Romano dicendus praescribitur ante Orationem, quae praecedit immediate benedictionem Sanctissimi Sacramenti, omittendus foret. Eodem modo agendum in hoc casu docent Caval. Pav. Barff. Gardellini huic opinioni non adversatur, etsi non reprobet usum contrarium. Quidquid sit, sacrorum Rituum Congregatio Ritualis textui standum esse nuper declaravit.

sacram Eucharistiam. Si tamen alius Presbyter vel Diaconus, qui oleum sanctum deferat, haberi possit, per ipsum deferatur; qui superpelliceo indutus, cum oleo sacro occulte delato, sequatur Sacerdotem Viaticum portantem, et postquam infirmus Viaticum sumpserit, inungatur a Sacerdote (R.). Quod si infirmus sit morti proximus ac dandum Viaticum in feria sexta majoris hebdomadae, Parochus, indutus superpelliceo et stola alba, ei deferat Viaticum, recitatis Psalmis, submissa voce et quidem cum *Gloria Patri,* sed in reditu non dabit benedictionem cum Sacramento (S. C.).

Caput quintum.

De Sacramento extremae Unctionis.

1. Extremae Unctionis Sacramentum a Christo Domino institutum, tanquam coelestis medicina, non animae solum, sed etiam corpori salutaris, omni studio ac diligentia periculose aegrotantibus adhibendum est, et eo quidem tempore, si fieri possit, cum illis adhuc integra mens et ratio viget, ut ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam, ipsi etiam suam fidem ac piam animi voluntatem conferre possint, dum sacro liniuntur oleo (R.). Cur autem rarissime nostro tempore convalescant aegroti hac unctione suscepta, duae sunt causae. Una est, quia serius quam oporteret, hoc Sacramentum exhibetur aegrotis; neque enim per hoc Sacramentum miracula exspectanda sunt, quale miraculum esset, si is, qui agit animam, continuo convalesceret. Verum, si hoc Sacramentum conferretur aegrotis, quando aegrotare incipiunt, saepe videremus effectum sanitatis, quae non quidem in momento, sed tempore suo succederet. (*Bellarminus* de arte bene moriendi lib. 2. cap. 8.) In quo illud in primis ex generali Ecclesiae consuetudine observandum est, ut si tempus et infirmi conditio permittat, ante extremam Unctionem, Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta infirmis praebeantur (R.). Alia causa est defectus fidei in infirmo.

2. Debet autem hoc Sacramentum infirmis praeberi, qui, cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur (R.); iis quoque, qui gravi morbo laborantes, versantur in periculo probabili, etiamsi non proximiori mortis (AA.); et iis, qui prae senio deficiunt, et in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate. Infirmis autem, qui dum sana mente et integris sensibus essent, illud petierint, seu verisimiliter petiissent, seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint, vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus praebeatur (R.).

Impoenitentibus vero, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, et excommunicatis, et nondum baptizatis penitus denegetur. Nec ministretur praelium inituris, aut navigationem, aut peregrinationem, aut alia pericula subituris, aut reis ultimo supplicio mox afficiendis, aut pueris rationis usum non habentibus (R.). Feminis tamen in partu laborantibus, dum periculum mortis imminet in ipso partu, dari debet, et pueris cum dubitatur de usu rationis, praebetur sub conditione (AA.).

3. Habeat igitur Parochus loco nitido et decenter ornato, in vase argenteo seu stanneo, diligenter custoditum sacrum oleum infirmorum (R.), in ecclesia aut in sacristia, aut etiam in domo sua, si longe distet ab ecclesia (S. C.), quod singulis annis feria quinta in Coena Domini ab Episcopo benedictum, veteri combusto, renovandum est. Id tamen, si forte infra annum aliquo modo ita deficiat, ut sufficere non posse videatur neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in minori quantitate superinfuso, reparari potest (R.). Quae superinfusio olei non benedicti pluries repeti potest. (Vide pag. 626.). Parochus autem, ne in casu quidem necessitatis, valide uteretur oleo a se benedicto (S. C. Inq.).

4. Quinque vero corporis partes praecipue ungi debent, quas veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit; nempe oculi, aures, nares, os et manus; attamen pedes etiam et renes ungendi sunt (R.), etiam si contrarius habeatur usus (S. C.), sed renum unctio in mulieribus, honestatis gratia, semper omittitur; atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest. Sed sive in mulieribus, sive in viris, alia corporis

pars pro renibus ungi non debet. Manus vero, quae reliquis infirmis interius ungi debent, Presbyteris exterius ungantur (R.); pedes interius exteriusve ungantur, prout moris est (S. R. C.). Dum oculos, aures et alia corporis membra, quae paria sunt, Sacerdos ungit, caveat, ne altero ipsorum inungendo, Sacramenti formam prius absolvat, quam ambo hujusmodi paria membra perunxerit. Si quis autem sit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur, eadem verborum forma (R.), etiamsi illo membro caruerit a nativitate (AA.). Si forte Sacerdos erret, sumpto uno oleo pro altero, reiteret Sacramentum sub conditione; posset etiam, urgente necessitate, uti oleum catechumenorum aut chrismatis, pro oleo infirmorum, sed sub conditione (S. Lig.).

5. Hujus autem Sacramenti forma, qua sancta romana Ecclesia utitur, solemnis illa precatio est, quam Sacerdos ad singulas unctiones adhibet, cum ait: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum, sive per auditum* etc.... *deliquisti. Amen.* Si quis autem laboret in extremis, et periculum immineat, ne decedat, antequam finiantur unctiones, cito ungatur, incipiendo ab eo loco: *Per istam sanctam unctionem* etc. ut infra. Deinde si adhuc supervivat, dicantur Orationes praetermissae, suo loco positae. Si vero dum inungitur, infirmus decedat, presbyter ultra non procedat, et praedictas Orationes omittat.[1] Quod si dubitet, an vivat adhuc, unctionem prosequatur, sub conditione pronuntiando formam, dicens: *Si vivis, per istam* etc. (R.). Equidem, urgente ultima necessitate, semel ungi potest in fronte sub hac forma: *Per istam... quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum et locutionem, tactum et gressum. Amen;* sed si infirmus vivat adhuc, reiteretur unaquaeque unctio, sub conditione (AA.).

6. Sacerdos igitur hoc Sacramentum ministraturus, quatenus fieri poterit, parari curet apud infirmum mensam mappa candida coopertam: itemque vas, in quo sit bombacium, seu

---

[1] Hac nostra aetate non infimae notae medici docent, e corpore animam non exire, simul ut cessavit cordis motus ac respiratio, sed aliquo dato intervallo,

quid simile in septem globulos distinctum, ad abstergendas partes inunctas; medullam panis ad detergendos digitos, et aquam ad abluendas Sacerdotis manus; ceream item candelam, quae deinde accensa ipsi ungenti lumen praebeat. Denique operam dabit, ut quanta poterit munditia ac nitore hoc Sacramentum ministretur. Deinde convocatis (R.), aliquibus campanae ictibus (S. Car.), clericis seu ministris, vel saltem uno clerico, qui crucem sine hasta, aquam benedictam cum aspersorio, et librum ritualem deferat, ipse Parochus decenter accipit vas sacri olei infirmorum sacculo serico violacei coloris inclusum, illudque caute defert, ne effundi possit. Quod si longius difficiliusve iter peragendum aut etiam equitandum sit, vel alias adsit periculum effusionis, vas olei sacculo aut bursa inclusum ad collum appendat, ut commodius et securius perferat. Procedat autem sine sonitu campanulae (R.), et sine lumine (S. R. C.). Superpelliceum et stola Sacerdotis atque superpelliceum ministri, ad infirmi aedes ab aliquo deferantur (RT. Brf.).

7. Cum perventum fuerit ad locum, ubi jacet infirmus, Sacerdos intrans cubiculum dicit: *Pax huic domui* etc.[1] Deinde deposito oleo super mensam, superpelliceo stolaque violacea indutus,[2] aegroto crucem pie deosculandam porrigit: mox in modum crucis eum aqua benedicta, et cubiculum et circumstantes aspergit, dicens Antiphonam: *Asperges* etc. Quod si aegrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat. Deinde piis verbis illum consoletur, et de hujus Sacramenti vi atque efficacia, si tempus ferat, breviter admoneat; et quantum opus sit, ejus animam confirmet, et in spem erigat vitae aeternae. Postea dicat Versiculos: *Adjutorium* etc., Orationes *Introeat, Oremus et deprecemur, Exaudi nos,* mutans genus, prout opus erit (S. C.). Quae Orationes, si tempus non patiatur, ex parte, vel in totum poterunt omitti. Tum de more facta confessione

---

[1] Cum immediate et successive infirmo dantur Viaticum, extrema Unctio et absolutio generalis, semel tantum dicitur *Pax huic domui* et unica tantum fit aspersio (Rev. théol. tom. I. pag. 615.).

[2] Sacerdos ad hoc Sacramentum administrandum semper induat superpelliceum ac stolam (S. C.), sub gravi, nec excusaretur a tali habitu adhibendo, nisi in urgentissima necessitate (AA.).

generali, latino vel vulgari idiomate, Sacerdos dicat: *Misereatur tui* etc., *Indulgentiam* etc. (R.).

8. Antequam Parochus incipiat ungere infirmum, moneat adstantes, ut pro illo orent, et ubi commodum fuerit pro loco et tempore, et adstantium numero vel qualitate, recitent septem Psalmos poenitentiales cum Litaniis (R.), aut saltem unum, si instet periculum (S. C.), vel alias preces, dum ipse unctionis Sacramentum administrat. Mox dicat: *In nomine Patris ... extinguatur* etc., ter faciens signum crucis in infirmum (R.). Deinde accedit ad infirmum, sinistra tenens vasculum sacrorum oleorum (RT.), intincto pollice dextero in oleo sancto (R.), vel parva spatula lignea aut argentea, si timeatur contagio (Ben. XIV.), minister vero assumat ceream candelam accensam, ut lumen Sacerdoti praebeat, cum catino septem globulos bombacii continente (RT.), qui si sit in sacris, tergere potest ipse loca inuncta (R.).

9. Sacerdos igitur pollice inungit oculos (R.), scilicet: clausis oculis in superciliis, prius oculum dextrum inungendo (Brf. RT.), in modum crucis, eodem tempore quo pronuntiat formam *Per istam* etc. Statim tergit oculos globulo bombacii eumque in vase mundo reponit, ut ad ecclesiam postea deferat, comburat, cineresque projiciat in sacrarium. Deinde inungit eodem modo aures (R.), in ima auricula non autem in alveolo (AA.), aptando verba formae tergatque prius aurem dextram quam inungat sinistram (RT.); nares (R.) super extremitates cujusque naris (Brf. RT.); os, compressis labiis (R.), aut unum labium tantum (Brf.); manus, in media palma, exceptis presbyteris; postea duos pedes et postremo renes. Haec autem unctio ad renes sive lumbos, ut dictum est, omittitur semper in feminis, et etiam in viris, qui ob infirmitatem vix, aut sine periculo moveri non possunt (R.). Peractis unctionibus, Sacerdos, fricat pollicem et digitos, quibus oleum infirmorum tetigit cum medulla panis, lavat manus et abstergit linteo albo (Brf. RT.), et prosequitur statim Orationes (Brf.).

10. Stans prope lectum infirmi et ad illum conversus (RT.), dicat: *Kyrie eleison* etc. et tres Orationes sequentes (R.). Redonit sacrum oleum in bursa, et ad extremum pro qualitate

personae, salutaria monita breviter praebere poterit, quibus infirmus ad moriendum in Domino confirmetur, et ad fugandas daemonum tentationes roboretur. Denique aquam benedictam, et crucem, nisi aliam habeat, coram eo relinquat, ut illam frequenter aspiciat, et pro sua devotione osculetur et amplectatur. Admoneat etiam domesticos et ministros infirmi, ut si morbus ingravescat, vel infirmus incipiat agonizare, statim ipsum Parochum accersant, ut morientem adjuvet, ejusque animam Deo commendet: sed si mors immineat, priusquam discedat, Sacerdos animam Deo rite commendabit (R.).

Caput sextum.

De Sacramento Matrimonii.

1. Parochus admonitus de aliquo Matrimonio in sua parochia contrahendo, primum cognoscat ex his, ad quos spectat, qui et quales sint, qui Matrimonium contrahere volunt: an inter eos sit aliquod canonicum impedimentum: utrum sponte, libere, et secundum honestatem Sacramenti velint contrahere; utrum sint in aetate legitima; ut vir saltem quatuordecim, mulier vero duodecim annos expleverit, et uterque sciat rudimenta fidei, cum ea deinde filios suos docere debeant (R.). Cumque ea requirantur ad digne hoc Sacramentum suscipiendum, si illa ignoraverint, ipsis denegetur Sacramentum (Ben. XIV.).[1] Noverit ex probatis auctoribus, quae sint canonica impedimenta Matrimonii contrahendi, et quae contractum dirimant; et qui sint gradus consanguinitatis et affinitatis, et item cognationis spiritualis ex Baptismi vel Confirmationis Sacramento contractae. Habeat in primis ipse bene

---

[1] Imo, juxta S. Alphonsum, vetantur proclamationes fieri eorum, qui rudimenta fidei ignorant, *Hom. apost.*, tract. 14, n. 6; sed prohibitio haec ultra Romanam dioecesim non extenditur. Notandum tamen, Parochum nullatenus posse, nisi forsan in periculo mortis incurrendae, assistere matrimonio illius, qui elementa fidei addiscere renuit, cum in casu, ignorantia ea naturam impedimenti impedientis induat.

cognita praecepta illa omnia, quae in Matrimoniis rite conficiendis servari oportere, sacri canones, et praecipue sancta synodus Tridentina jussit.[1] Praesertim vero meminerit, Matrimonia, inter raptorem et raptam, dum ipsa in raptoris potestate manserit, inita, nec non clandestina, et quaelibet Matrimonia quae aliter quam praesente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus contrahuntur, ex ipsius concilii decretis irrita omnino ac nulla esse (R.). Excipienda sunt Matrimonia clandestina, in locis, in quibus decretum concilii non fuit publicatum, contracta (S. C. C.), vel in quibus tempore promulgationis decreti, haeretici dominabantur (Misc. theol.). Alibi haeretici decreto subjiciuntur uti catholici (S. C. C. Misc. theol), excipe Hollandiam, ubi Matrimonia mixta aut haereticorum inter se sunt valida (Ben. XIV.), cum Matrimonia catholicorum sint invalida, dum clandestine contrahuntur. Denique, valida sunt Matrimonia clandestina contracta coram testibus, dum est impossibile aut maxime periculosum, propter perturbationes civiles vel religiosas, invenire Sacerdotes, qui assistere possint (Congr. Conc. Pius VI).

2. Est autem proprius Parochus, qui adesse debet, is, in cujus parochia Matrimonium celebratur (R.) Consuetudo tamen hujus patriae, quam pastoralia confirmant, idque ob majorem decentiam, habet, quod Parochus sponsae assistat Matrimonio (AA.). Validum est Matrimonium coram Parocho habitationis, si habitatio conjugum fuit saltem unius mensis (Bened. XIV. Bull.). Non vero haberetur tanquam habitatio sufficiens ad acquirendum domicilium, quae fieret solummodo recreationis aut rusticationis causa, aut si eo fine, ut contrahatur Matrimonium *in fraudem legis* (Congr. Conc.). Matrimoniis in perpetuum vel ad tempus damnatorum ad carceres, assistere debet Parochus, intra cujus parochiam siti sunt carceres; eorum vero, qui damnati non sunt, sed in iisdem detinentur loco custodiae,

[1] Dum sponsi statim contracturi sunt, dumque omnia parata sunt et impossibilis sit recursus ad Episcopum, si tunc detegitur impedimentum occultum et infamans, Parochus potest assistere Matrimonio (S. Lig.), sed Matrimonium erit invalidum (Misc. theol.) Si hoc impedimentum sit publicum, ne quidem Episcopus dispensare potest (S. C. C.).

Parochus, in cujus parochia illi proprium habent domicilium. Matrimonia etiam adolescentium, qui immorantur in monasteriis aut hospitalibus, celebranda sunt coram Parocho, intra cujus parochiam, hospitalia sita sunt, et non coram confessario seu capellano praedictorum monasteriorum hospitaliorumve (Congr. Conc.). Caveat praeterea Parochus, ne facile ad contrahendum Matrimonium admittat vagos, et peregrinos, et qui incertas habent sedes; neque item eos, qui antea conjugati fuerunt; ut sunt uxores militum, vel captivorum, vel aliorum, qui peregrinantur; nisi diligenter de iis omnibus facta inquisitione, et re ad Ordinarium delata, ab eoque habita ejusmodi Matrimonii celebrandi licentia, quae gratis concedatur (R.).

3. Antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho, continuis (R.) [nonnullo non festivo interjecto (AA.)] diebus festis (R.) de praecepto (S. C.), intra Missarum solemnia ad Concilii Tridentini praescriptum (R.), aut quando sit concursus populi (AA) publice denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum. Si vero vir et mulier parochiae sint diversae, in utraque parochia fiunt denuntiationes (R.): si alteruter vero duplici domicilio potiatur, in utraque parochia (S. C.); si vero plura habuerunt domicilia, in ea parochia, ubi nunc morantur (Fer.), aut in illa, ubi facilius detegantur impedimenta (Baruff.); imo potius in utraque, si nuper relictum fuerit pristinum domicilium (AA.).

Quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii procedatur (R.), saltem postridie (AA.) sed si quid obstat (R.), v. g. probabile impedimentum, aut ab uno teste revelatum (Brff.), ultra Parochus non procedat (R.). Quod si quando probabilis fuerit suspicio, vel alia rationabilis causa subsit arbitrio Episcopi, Matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denuntiationes, tunc de licentia Episcopi (R.), vel utriusque Episcopi, si sponsi sint diversarum dioecesium (S. C. C.), aut una tantum fiat denuntiatio, vel saltem Parocho, et duobus vel tribus testibus praesentibus Matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in ecclesia fiant; ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur, nisi aliter

Ordinarius ipse expedire judicaverit (R.). Notandum autem est, Episcopum non posse permittere, ut denuntiationes fiant alio die[1] (S. C. C.), aut constituere impedimentum Matrimonii dirimens denuntiationum omissionem (Ben. XIV.).

4. Has autem denuntiationes Parochus facere non aggrediatur nisi prius de utriusque contrahentis libero consensu sibi bene constet. Si vero infra duos menses post factas denuntiationes Matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur. Denuntiationes autem fiant hoc modo. Inter Missarum solemnia Parochus populum admoneat in hanc sententiam vulgari sermone: „*Notum sit „omnibus hic praesentibus, quod N. vir, et N. mulier, ex tali „vel tali familia et parochia, Deo adjuvante, intendant inter „se contrahere Matrimonium. Proinde admonemus omnes et „singulos, ut si quis noverit aliquod consanguinitatis, vel affini-„tatis, aut cognationis spiritualis, vel quodvis aliud impedi-„mentum inter eos esse, quod Matrimonium contrahendum in-„vicem impediat, illud quamprimum nobis denuntiare debeat, „et hoc admonemus primo, si fuerit prima; vel secundo, si „fuerit secunda; vel tertio, si fuerit tertia denuntiatio* (R.)." Si permittente Ordinario loci una tantum fieret denuntiatio, de hoc admoneantur assistentes, similiterque exprimantur nomen ac conditio conjugis defuncti, dum sponsus sponsave, viduus aut vidua denuntiatur in ordine ad Matrimonium contrahendum (Brff.). Notandum est, omni tempore has Matrimonii denuntiationes fieri posse, etiam dum prohibetur Matrimonium, scilicet in tempore clauso (S. C. C.).

5. Moneat Parochus conjuges, ut ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent, neque Matrimonium consumment, nec etiam simul maneant, nisi aliquibus propinquis, vel aliis praesentibus (R.). Quod est consilii, non autem obligationis (AA.). Haec benedictio a nullo alio, quam ab ipso Parocho, seu ab alio Sacerdote de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia, fieri debet (R.). Quod si

[1] Ut festivi dies, in quibus denuntiari queunt matrimonia, habentur festa, equidem suppressa quoad obligationem, sed quae coluntur adhuc in populo: v. g. Circumcisio Domini, feria secunda Paschatis etc. (S. C. Conc.).

quis Parochus, vel alius Sacerdos, sive regularis sive saecularis, etiam si id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos sine illorum Parochi aut Episcopi licentia Matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit; ipso jure erit suspensus etc. (Conc. Trid.). Sacerdos hanc benedictionem nuptialem impertietur tantum in Missa, non exceptis illis locis, ubi contraria consuetudo viget (S. R. C.); non tamen tenetur, Missam applicare pro sponsis, nisi ab iisdem eleemosynam accipiat, et in eadem Missa potest plures sponsos benedicere. Non licet sponsos benedicere in Missa defunctorum, sed potius transferenda benedictio in alium diem (S. R. C.). Haec autem benedictio nuptialis dari non potest extra ecclesiam, neque in tempore clauso, et tunc non dicitur Missa (S. R. C.). Caveat etiam Parochus, ne, quando conjuges in primis nuptiis benedictionem acceperint, eos in secundis benedicat, sive mulier, sive etiam vir ad secundas nuptias transeat. Sed ubi ea viget consuetudo, ut si mulier nemini unquam nupserit, etiamsi vir aliam uxorem habuerit, nuptiae benedicantur, ea servanda est (R.). Prohibita benedictione nuptiali, Missa pro sponsis etiam prohibetur (S. R. C.).

6. Matrimonium in ecclesia maxime celebrari decet; sed si domi celebratum fuerit praesente Parocho et testibus (R.), vel necessitate urgente aut ex Ordinarii licentia (Brff.), ac sponsi veniant ad ecclesiam benedictionem accepturi, tunc caveat Sacerdos, ne iterum a contrahentibus consensum exigat, sed tantum benedictionem illis conferat, celebrata Missa, ut infra dicetur (R.).[1] Parochus assistens Matrimonio mixto, pro quo celebrando obtinuit dispensationem, quae necessaria est (S. C. C.), non modo benedicere solemniter nequit, sed etiam sine stola et cotta, in habitu vulgari, extra ecclesiam v. g. in domo aut sacristia eorum consensum audiat mutuum, nihil

[1] Pro benedicendis nuptiis, ea die, qua non liceat Missam votivam *pro sponso et sponsa* celebrare, hujusce Oratio additur in Missa, post alias Orationes de praecepto dicendas, et sub secunda conclusione. Porro in ista Missa, haud secus ac in propria votiva, Celebrans dicere debet *Propitiare* post Orationem Dominicam, et *Deus Abraham* ante benedictionem. Quas legit preces stans in cornu Epistolae, interea sponsis in pradella genuflexis, ac post ultimam sponsos alloquitur.

Pannus seu velum, quod extenditur supra caput sponsorum, tempore celebrationis matrimonii, reprobatur a S. Congreg. v. *Benedictio*, §. II.

dicens, ac abstineat a benedictione annuli et a dicenda forma, *Ego vos conjungo;* nisi pro aliqua dioecesi habeatur speciale indultum. In ejusmodi Matrimoniis neque fiunt denuntiationes, neque litterae status liberi conceduntur (S. C. Inquis.).

7. Admoneantur praeterea conjuges, ut antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur, et ad sanctissimam Eucharistiam, atque ad Matrimonii Sacramentum suscipiendum pie accedant; et quomodo in eo recte et christiane conversari debeant, diligenter instruantur ex divina Scriptura, exemplo Tobiae et Sarae, verbisque Angeli Raphaelis eos edocentis, quam sancte conjuges debeant convivere (R.).

8. Parochus igitur Matrimonium celebraturus, publicationibus factis tribus diebus festis, ut dictum est, si nullum obstet legitimum impedimentum, in ecclesia, superpelliceo et alba stola indutus, adhibito uno saltem clerico superpelliceo pariter induto, qui librum et vas aquae benedictae cum aspersorio deferat, coram tribus aut duobus testibus, virum et mulierem, quos parentum vel propinquorum suorum praesentia cohonestari decet, de consensu in Matrimonium interroget utrumque singillatim, in hunc modum vulgari sermone (R.), nomine et cognomine, nihil adjungens, quantaecumque conditionis sint (RT.). *N. vis accipere N. hic praesentem in tuam legitimam uxorem juxta ritum sanctae matris Ecclesiae?* Respondet sponsus: *Volo.* Mox Sacerdos sponsam interroget: *N. vis accipere N. hic praesentem in tuum legitimum maritum, juxta ritum sanctae matris Ecclesiae?* Respondeat, *Volo.* Nec sufficit consensus unius; sed debet esse amborum, et expresso aliquo signo sensibili, sive fiat per se, sive per procuratorem. Mutuo igitur contrahentium consensu intellecto, Sacerdos jubeat eos invicem jungere dexteras dicens: *Ego conjungo vos in Matrimonium* etc., vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque provinciae ritum (R.). Jam dictum est (n° 5.) in Matrimoniis mixtis licitis, haec verba aut similia non esse pronuntianda. Postea eos aspergat aqua benedicta: mox benedicat annulum (R.), porrectum ei super pelvim positum (RT.), etiam in secundis nuptiis (S. C.), dicens: *Adjutorium... Domine* etc., et Orationem *Benedic, Domine* etc. in numero singulari, etsi plu-

res annuli afferantur (S. C.). Deinde Sacerdos aspergat annulum aqua benedicta in modum crucis, et sponsus acceptum annulum de manu Sacerdotis imponit in digito annulari sinistrae manus sponsae, Sacerdote dicente, *In nomine Patris* etc., mox subjungat: *Confirma hoc* etc. *Kyrie eleison, Pater noster, Salvos fac servos* etc. *Mitte eis* etc. *Esto eis* etc. *Domine exaudi* et Orationem *Respice, quaesumus* (R.).

9. His expletis, si benedicendae sint nuptiae, Parochus Missam pro sponso et sponsa, ut in Missali Romano celebret, servatis omnibus, quae ibi praescribuntur. Peractis omnibus, Parochus manu sua describat in libro Matrimoniorum nomina conjugum, et testium, et alia juxta formulam praescriptam: idque licet alius Sacerdos, vel a se, vel ab Ordinario delegatus Matrimonium celebraverit (R.).

Caeterum, si quae provinciae aliis, ultra praescriptas, laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis in celebrando Matrimonii Sacramento utuntur, eas sancta Tridentina synodus optat retineri (R.).

Caput septimum.

De functionibus pastoralibus Sacramentis adnexis.

§. I. De benedictione mulieris post partum.

1. Si qua puerpera post partum juxta piam ac laudabilem consuetudinem ad ecclesiam venire voluerit pro incolumitate sua Deo gratias actura (R.), petet a Sacerdote, cui soli jus illud tribuitur, benedictionem (Misc. theol.).[1] Quae mulieris benedictio, sine licentia Ordinarii, extra ecclesiam non fiat, nec Parochus admittat ad hanc benedictionem mulieres, quae notorie fornicatione adulteriove (Misc. theol.) conceperunt (S. C.), neque illas, quae sine indulto Sedis apostolicae con-

[1] In hoc opere stabilitum fuit ex novissimis decretis Congregationis sacrorum Rituum, Concilii et Visitationis apostolicae, uni Parocho concedi jus benedictionem impertiendi mulieribus post partum, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili (v. tomum V. pag. 369 et seq.). Non attendas igitur ad auctores, qui in oppositum opinantur.

traxerunt Matrimonium mixtum (Binterim), bene vero illam, cujus proles mortua est absque Baptismo (S. C.).

2. Sacerdos superpelliceo et stola alba indutus, cum ministro aspergillum deferente, ad fores ecclesiae accedat, ubi illam genuflectentem, et candelam accensam in manu tenentem, aqua benedicta aspergat (R.), in modum crucis, dicens: *Asperges me*, facto super illam signo crucis (Brff. Cav.), deinde dicat: *Adjutorium* etc., et Psalmum *Domini est terra* cum Antiphona *Haec accipiet* (R.).

3. Deinde porrigens ad manum (R.) dexteram (Cav. Brff.) mulieris, extremitatem (R.) sinistram (Brff. Cav.) stolae, eam introducit in ecclesiam, dicens: *Ingredere* etc. Et ipsa ingressa genuflectit coram Altari (R.), sanctissimi Sacramenti vel Beatae Virginis Mariae (Brff.) aut coram Altari proximiori (Cav.), et orat, gratias agens Deo de beneficiis sibi collatis (R.); et stans ante illam (RT.), Sacerdos dicit, *Kyrie eleison* etc., *Pater noster* et Orationem *Omnipotens* etc. Deinde illam aspergit iterum aqua benedicta in modum crucis, dicens: *Pax et benedictio* etc. (R.), et redit ad sacristiam, haud attendens si mulier absolverit gratiarum actionem (Cav.)

§. II. De visitatione et cura infirmorum.

1. Parochus in primis meminisse debet, non postremas esse muneris sui partes, aegrotantium curam habere. Quare cumprimum noverit, quempiam ex fidelibus curae suae commissis aegrotare, non exspectabit, ut ad eum vocetur, sed ultro ad illum accedat, idque non semel tantum, sed saepius, quatenus opus fuerit: horteturque parochiales suos, ut ipsum admoneant, cum aliquem in parochia sua aegrotare contigerit, praecipue si morbus gravior fuerit. Ad hoc juvabit, praesertim in amplis parochiis, aegrotorum notam seu catalogum habere, ut cujusque statum et conditionem cognoscat, eorumque memoriam facilius retinere, et illis opportune subvenire possit. Quod si Parochus legitime impeditus, infirmorum, ut quando plures sunt, visitationi interdum vacare non potest, id praestandum curabit per alios Sacerdotes, si quos habet in

parochia sua, aut saltem per laicos homines pios, et christiana charitate praeditos (R.).

2. Aegrotos visitans, ea, quae Sacerdotes Domini decet, honestate et gravitate se habeat (R.), [adhibeat etiam socium (Baruff.)], ut non aegris solum, sed sibi et domesticis verbo et exemplo prosit ad salutem. Eorum vero praecipuam curam geret, qui humanis auxiliis destituti, benigni ac providi pastoris charitatem et operam requirunt. Quibus si non potest ipse succurrere de suo, et eleemosynas illis, prout debet, si facultas suppetit, erogare, quantum fieri potest, sive per charitatis, vel alterius nominis confraternitatem, si in ea civitate vel loco fuerit, sive per privatas, sive per publicas collectas et eleemosynas, illorum necessitatibus succurrendum curabit (R.).

3. In primis autem spiritualem aegrotantium curam suscipiat, omnemque diligentiam in eo ponat, ut in via salutis eos dirigat, atque a diabolicis insidiis salutarium adjumentorum praesidio defendat ac tueatur. Accedat autem ad aegrotum ita paratus, ut in promptu habeat argumenta ad persuadendum apta; ac praesertim Sanctorum exempla, quae plurimum valent; quibus eum in Domino consoletur, excitet ac recreet. Horteturque, ut omnem spem suam in Deo ponat, peccatorum suorum poeniteat, divinam misericordiam imploret, et infirmitatis poenas, tanquam paternam Dei visitationem, patienter ferat, et ad salutem suam provenisse credat, ut vitam moresque suos melius instituat. Deinde qua par est prudentia et charitate hominem ad sacram Confessionem inducat, et confitentem audiat, etiamsi velit totius vitae peccata confiteri; ac si opus fuerit, tam infirmo, quam ejus familiaribus vel propinquis in memoriam revocet, quod Lateranensis Concilii, ac plurium Summorum Pontificum decretis cavetur sub gravibus poenis, ne medici ultra tertiam vicem aegrotos visitent, nisi prius ipsis certo constet, illos Confessionis Sacramento rite expiatos fuisse. Illud praeterea diligenter servari curabit, ne quis pro corporali salute aliquid aegroto suadeat, vel adhibeat, quod in detrimentum animae convertatur (R.).

4. Ubi vero periculum immineat, Parochus monebit aegrotum, ne daemonum astutia, neque medicorum pollicitationibus,

neque propinquorum aut amicorum blanditiis se ullo modo decipi sinat, quo minus ea, quae ad animae salutem pertinent, opportune procuret, et qua par est devotione et celeritate, sancta Sacramenta, dum sana mens est, integrique sensus, religiose suscipiat, citra fallacem illam ac perniciosam procrastinationem, quae plurimos ad aeterna supplicia perduxit, indiesque, fallente diabolo, perducit. Quod si aeger aliquis hortationibus ac monitis Sacerdotum, vel amicorum et domesticorum consiliis adduci non potest, ut velit peccata sua confiteri, tunc non omnino desperanda res est; sed quamdiu ille vixerit, repetendae sunt frequentes, variae et efficaces Sacerdotum et aliorum piorum hominum exhortationes; proponendaque aeternae salutis damna, et sempiternae mortis supplicia; ostendendaque immensa Dei misericordia, eum ad poenitentiam provocantis, ad ignoscendum paratissimi. Adhibendae sunt etiam tum privatae, tum publicae ad Deum preces, ad divinam gratiam impetrandam pro salute miseri decumbentis (R.).

5. Videbit denique Sacerdos, quibus potissimum tentationibus aut pravis opinionibus aeger sit subjectus, eique, prout opus fuerit, apta remedia prudenter adhibebit. Sacras imagines Christi Domini crucifixi, Beatae Mariae Virginis, et Sancti, quem aeger praecipue veneratur, ob oculos ejus apponi curabit. Vasculum item adsit aquae benedictae, qua frequenter aspergatur. Proponet etiam aegrotanti, prout ejus conditio feret, aliquas breves Orationes et pias mentis ad Deum excitationes; praesertim Versiculos e Psalmorum libro, vel Orationem Dominicam et salutationem Angelicam, Symbolum fidei, vel Passionis Domini nostri meditationem, et Sanctorum martyria et exempla, ac coelestis gloriae beatitudinem. Haec tamen opportune et discrete suggerantur, ne aegroto molestia, sed levamen afferatur. Consoletur infirmum, dicens, se pro eo in Missae sacrificio, et aliis precibus oraturum curaturumque, ut alii itidem pro eo faciant; idque reipsa praestabit (R.).

6. Si morbus gravior, vel cum periculo fuerit, aegroto suadeat, ut dum integra mente est, rem suam omnem recte constituat et testamentum faciat; si quid habeat alienum, re-

stituat, et ad remedium animae suae pro facultatibus, quod in Domino ei placuerit, disponat; sed haec suggerendo, omnis avaritiae nota caveatur (R.), uti si curaret institui legata in sui seu ecclesiae suae favorem, vel si infirmum adduceret ad eligendam in tali loco sepulturam (Baruff.). Hortetur denique, ut si convaluerit, ante omnia ad ecclesiam veniat, ubi Deo gratias agat de restituta valetudine, et sacram Communionem pie suscipiat, ac deinceps meliorem vitae disciplinam teneat (R). Saepius petat etiam ab ipso, utrum nihil angat conscientiam; nam, uti frequentius evenit, infirmus reticet usque ad finem vitae quaedam peccata, optimique erit consilii, si Parochus introducat ad illum alium confessarium (d'Abreu), imo in quibuscumque casibus saepius eumdem rursus absolvat (S. Lig.).

7. Sequentes preces omnes, vel ex parte, prout tempus et aegrotorum conditio feret, arbitrio Sacerdotis dici vel omitti possunt. Sacerdos igitur infirmi cubiculum ingressus, primum dicat: *Pax huic domui et omnibus habitantibus in ea.* Mox infirmum, et lectum ejus, et cubiculum aspergat aqua benedicta, dicens Antiphonam *Asperges me* etc. Deinde erga infirmum officium suum praestet, ut supra dictum est. Quo praestito, vel antequam discedat, dicere poterit supra infirmum aliquem Psalmum ex quatuor prioribus poenitentialibus, vel Psalmum 90: *Qui habitat in adjutorio* etc. cum *Gloria Patri* in fine. Deinde aspergat eum aqua benedicta. Qui sequuntur Psalmi et Evangelia, cum precibus, pro temporis etiam opportunitate, et aegrotantium pio desiderio, Sacerdotis arbitrio dici poterunt. Psalmus 6. *Domine, ne in furore tuo arguas me* etc. et in fine *Gloria Patri, Sicut erat*, ut supra, *Dominus vobiscum* etc. *Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum,* ministro respondente: *Gloria tibi, Domine.* Dum Sacerdos dicit: *Sequentia sancti* etc., faciat signum crucis de more super se in fronte, ore, et in pectore, similiter super infirmum, si fuerit masculus, et is ob infirmitatem non possit se signare. Si autem fuerit femina, dum Sacerdos se signat, illa per semetipsam in locis praedictis se signet, si potest; si vero non potest, alia mulier eam signet; et hoc idem in sequentibus Evangeliis servetur. Completa Oratione ultima *Omnipotens sempiterne Deus* etc. Sa-

cerdos imponat dexteram manum super caput infirmi, et dicat: *Super aegros manus* etc. ministro respondente *Amen*. Postea dicat: *Dominus vobiscum*, *Initium sancti Evangelii secundum Joannem*. ℟. *Gloria tibi*, *Domine*. *In principio erat verbum* etc. ℟. *Deo gratias*. Postea benedicens infirmum subjungat, dicens: *Benedictio Dei omnipotentis Patris* etc., respondente ministro, *Amen*. Deinde aspergat eum aqua benedicta. Si plures fuerint infirmi in eodem cubiculo, vel loco, preces et Orationes praedictae dicuntur super eos in numero plurali. Quae omnia etiam poterunt arbitrio Sacerdotis breviora fieri (R.).

§. III. Modus juvandi morientes. — Ordo commendationis animae.

1. Ingravescente morbo Parochus infirmum frequentius visitabit, et ad salutem diligenter juvare non desinet; monebitque instante periculo se confestim vocari, ut in tempore praesto sit morienti, sumptoque sanctissimo Viatico, et sacra Unctione adhibita, si periculum immineat, statim commendationis animae officium praestabit, de quo infra. Sed si tempus suppetat, sequentia pietatis officia praestare poterit, si ita expedire judicaverit, pro conditione personae. Ac primo, si aegrotus indulgentiam legitima auctoritate concessam consequi possit, eam illi reducat ad mentem, proponatque, quid ad eam consequendam agi debeat, praesertim, ut contrito corde, sanctissimum nomen Jesu semel vel saepius invocet (R.). Parochus hanc consuetudinem recitandi in articulo mortis nomina Jesu et Mariae diligenter inculcet decumbentibus, ut indulgentias, quae horum nominum invocationi concessae sunt, lucrentur (Baruff.)

2. Sacerdos ab Ordinario delegatus ad aegrotis impertiendam indulgentiam plenariam, concessam a Benedicto XIV., in Constitutione *Pia Mater*, excitet infirmum ad contritionem peccatorum suorum, paucis verbis, si tempus suppetat, eidem virtutem ac efficaciam istius benedictionis explicando, hortetur ad patienter sufferendum dolores ac incommoda morbi, in expiationem delictorum vitae practeritae, Deoque sese offerat paratum ad ultro acceptandum, quidquid ei placuerit, et mortem

ipsam in satisfactionem poenarum, quos peccando meruit. Quae ultima dispositio praecipue requiritur ad acquirendum indulgentiae fructum (Bened. XIV.) ac magno studio curabit Parochus illam insinuare (Misc. theol.). Prius autem infirmus suscipiat ultima Sacramenta, vel saltem conteratur, et invocet ore, aut, si non valeat, ad minus corde, nomen Jesu. Bene vero haec indulgentia conceditur eis infirmis, qui illam petierunt, dum essent sana mente et integris sensibus, seu verisimiliter petiissent, illisque etiam, qui dederint signa contritionis, licet postea linguae ceterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium, vel amentiam inciderunt (Bened. XIV. Const.). Quamvis haec benedictio concedatur pro articulo mortis, attamen valide conferri potest in periculo mortis post suscepta Sacramenta (Misc. theol.), illaque reiterari potest in eodem morbo pro altero mortis periculo (S. C. Ind.), et etiam absque ulla infirmitatis mutatione, modo adhibeatur conditio (Misc. theol.). Postremum illa etiam concedi potest pueris illis, qui primam Communionem nondum instituerunt (S. R. C.). Sacerdos servet formam a Benedicto XIV. praescriptam, non omisso *Confiteor*, etiamsi infirmus modo recepisset Sacramentum extremae Unctionis (S. C. Ind.), excepta urgente necessitate, in qua adhibeantur sola verba stricte necessaria: *Dominus noster* etc. (Bened. XIV. Const.).

3. Deinde hortetur infirmum, et excitet, ut dum mente viget, eliciat actus fidei, spei, et charitatis, aliarumque virtutum, nempe, ut firmiter credat omnes articulos fidei, et quidquid sancta romana Ecclesia catholica et apostolica credit et docet; ut speret, Christum Dominum nostrum pro sua immensa clementia sibi fore propitium, et merito ejus sanctissimae Passionis, et per intercessionem Beatae Mariae et omnium Sanctorum, se vitam aeternam consecuturum; ut toto corde diligat, et maxime diligere cupiat Dominum Deum ea dilectione, qua illum diligunt Beati Sanctique omnes; ut ob amorem Dei doleat ex corde de omni offensa, qualitercumque contra Dominum Deum et proximum commissa; ut ex corde ob amorem Dei parcat omnibus, qui sibi quoquo modo fuerint molesti aut inimici; ut ab iis veniam postulet, quos aliquando dictis aut

factis offendit; ut quem patitur dolorem et morbi molestiam, propter Deum in poenitentiam peccatorum suorum patienter toleret; ut si Dominus sibi salutem corporis praestare dignabitur, proponat de caetero pro viribus suis a peccatis cavere et ejus mandata servare. Hortetur praeterea, ut eo modo, quo potest, saltem ex corde ita per intervalla precetur: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam* etc. Hanc et his similia poterit prudens Sacerdos vulgari vel latino sermone, pro personae captu, morienti suggerere. Deinde sequentes preces (quae habentur in Ordine commendationis animae), quanta poterit majori devotione dicat, admoneatque domesticos et circumstantes, ut simul orent pro moriente (R.).[1]

4. Parochus ad decedentis animae commendationem accedens, Clericum saltem unum, si potest, secum habeat, qui deferat vasculum aquae benedictae, superpelliceum et stolam violaceam (R.), quae Sacerdos, si solus sit, deferat (Cav.), quibusque ipse ante infirmi cubiculum indutus, locum ingrediens, dicat: *Pax huic domui* etc. Deinde aspergat aegrotum, lectum et circumstantes aqua benedicta, dicens: *Asperges me* etc. Postea Salvatoris nostri crucifixi imaginem aegroto osculandam praebeat, verbis efficacibus eum ad spem aeternae salutis erigens, ipsamque imaginem coram eo ponat, ut illam aspiciens salutis suae spem sumat. Deinde accensa candela (R.) benedicta (AA.), genibus flexis cum omnibus circumstantibus breves Litanias devote recitet, in hunc modum: *Kyrie eleison, Christe eleison* etc. (R.), mutans genus, ubi oportet (S. C.).

5. Deinde cum in agone sui exitus anima anxiatur, [et non antea (Cav.)], dicantur (R.) sequentes Orationes: *Proficiscere* etc., *Deus misericors* etc., *Commendo te* etc., *Suscipe* etc., *Commendamus* etc., *Delicta* etc. Si vero diutius laboret anima, poterit legi super eum hoc Evangelium sancti Joannis: *Suble-*

---

[1] An sit specialis et gravis obligatio Pastori animarum assistendi parochianis in ultimo agone luctantibus, controvertitur, et in diversas opiniones abeunt optimae notae theologi. Utraque opinio nervose exponitur in menaeo *Nouv. Rev. théol.*; ast nobis arridet sententia negans, quae probatur tom. III. 1871, pag. 545 et ss. Nec dicas cum alterius sententiae patrono pleraque argumenta sententiae affirmantis esse *negativa:* nam si legislator taceat, ubi locus erat loquendi et praecipiendi, ejus silentium argumenta positiva utique suppeditat. Adde in nostris partibus a theologis istam obligationem nunquam agnitam fuisse.

vatis oculis etc., similiterque Passio Domini nostri Jesu Christi secundum eumdem: *In illo tempore: Egressus est Jesus* etc. Deinde *Oratio ad Dominum Jesum Christum de singulis articulis Passionis ejus* dicitur a moriente, vel ab alio pro eo: ℣. *Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi,* ℟. *Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum;* item Oratio: *Deus, qui* etc. Dici praeterea possunt sequentes Psalmi: *Confitemini, Beati immaculati, Retribue;* item *Tres piae et utiles morientibus Orationes,* cum tribus *Pater noster,* et tribus *Ave Maria,* sunt in agone mortis recitandae. Primo dicitur *Kyrie eleison* etc., *Pater noster, Ave Maria,* deinde Orationes: *Domine Jesu Christe, per tuam* etc., *Domine Jesu Christe, qui pro nobis* etc., *Domine Jesu Christe, qui per os Prophetae* etc.

Cum vero tempus exspirandi institerit, tunc maxime ab omnibus circumstantibus flexis genibus vehementer orationi instandum est. Ipse vero moriens, si potest, dicat; vel si non potest, assistens, sive Sacerdos pro eo clara voce pronuntiet *Jesu, Jesu, Jesu.* Quod, et ea, quae sequuntur, ad illius aures, si videbitur, etiam saepius repetat: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Domine Jesu Christe, suscipe spiritum meum, Sancta Maria, ora pro me, Maria mater gratiae* etc. Tum, ubi viget pia consuetudo, pulsetur campana parochialis ecclesiae aliquibus ictibus, ad significandum fidelibus in urbe, vel loco, aut extra in suburbanis existentibus, instantem mortem exspirantis aegroti, ut pro eo Deum rogare possint (R.).

6. Egressa anima de corpore, statim dicatur hoc Responsorium: *Subvenite Sancti Dei* etc., cum Versiculis et Oratio *Tibi, Domine, commendamus animam famuli tui N.* etc. Interim detur campana signum transitus defuncti pro loci consuetudine, ut audientes pro ejus anima Deum precentur (R.).

7. Deinde corpus de more honeste compositum loco decenti cum lumine collocetur; ac parva crux super pectus inter manus defuncti ponatur; aut ubi crux desit, manus in modum crucis componantur; interdumque aspergatur aqua benedicta: et interim donec efferatur, qui adsunt, sive Sacerdotes, sive alii, orabunt pro defuncto. Sacerdos, aut cujusvis ordinis Clericus defunctus vestibus suis quotidianis communibus usque ad

talarem vestem inclusive, tum desuper sacro vestitu sacerdotali vel clericali, quem ordinis sui ratio deposcit, indui debet; Sacerdos quidem super talarem vestem, amictu, alba, cingulo, manipulo, stola, et casula seu planeta violacea (R.) nigrave (Baruff.) sit indutus. Diaconus vero induatur amictu, alba, cingulo, manipulo, stola super humerum sinistrum, quae sub axilla dextra annectatur, et dalmatica violacea. Subdiaconus autem amictu, alba, cingulo, manipulo et tunicella. Alii praeterea inferiorum ordinum Clerici superpelliceo supra vestem talarem ornari debent; singuli praedicti cum tonsura ac biretis suis (R.). Valde optandum est, ut cum illis indumentis cadaver sepulturae mandetur (S. C.), attamen nihil prohibet, quin iis exuatur ad exsequias, si ita moris sit. Consuetudo vero calicem cereum cum patena ejusdem materiae in manibus Presbyteri defuncti apponendi, tolerari potest, ut definivit S. R. Congregatio.

§. IV. De sepultura ecclesiastica.

1. Sacras caeremonias ac ritus, quibus ex antiquissima traditione et Summorum Pontificum institutis sancta mater Ecclesia catholica in filiorum suorum exsequiis uti solet, tanquam vera religionis mysteria, christianaeque pietatis signa et fidelium mortuorum saluberrima suffragia, Parochi summo studio servare debent, atque usu retinere. His itaque praestandis, qua par est modestia ac devotione ita se habebunt, ut ad defunctorum salutem, simulque ad vivorum pietatem, quemadmodum vere sunt, non ad quaestum, ejusmodi ritus sancti instituti videantur (R.).

2. Nullum corpus sepelietur, praesertim si mors repentina fuerit, nisi post debitum temporis intervallum, ut nullus omnino de morte relinquatur dubitandi locus. Quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri poterit, retineatur, ut Missa praesente corpore defuncti pro eo celebretur, antequam sepulturae tradatur. Si quis die festo sit sepeliendus, Missa propria pro defunctis praesente corpore celebrari poterit; dum tamen conventualis Missa et officia divina non impediantur,

magnaque diei celebritas non obstet (R.). Hinc si exsequiae sint faciendae in festis Paschatis, Pentecostes, omnium SS. etc., aut postridie fient, aut circa Vesperam sine solemnitate (AA.).

In majoris hebdomadae ultimo triduo exsequiae non fiant solemniter, ast omnia privatim dicantur (S. R. C.), excepto Sabbato sancto ad Vesperam (Cav.). Eodem modo agendum, dum publicae venerationi exponitur ss. Sacramentum pro Oratione XL horarum aut adoratione perpetua, cum illud deponi, aut exsequiae suspendi non possunt (Misc. theol.). Nunquam noctu fiant, nisi obtenta Ordinarii licentia (S. C. C.).

3. Caveant omnino Parochi aliique Sacerdotes, ne sepulturae vel exsequiarum, seu anniversarii mortuorum officii causa quidquam paciscantur, aut tanquam pretium exigant; sed iis eleemosynis contenti sint, quae aut probata consuetudine dari solent, aut Ordinarius constituerit. Neque permittant, ut pallia aut alia Altaris ornamenta ad ornatum feretri vel tumbae adhibeantur (R.), nequidem candelabra (Baruff.). Cum autem antiquissimi ritus ecclesiastici sit, cereos accensos in exsequiis et funeribus deferre, caveant item ne ejusmodi ritus omittatur, ac ne quid avare aut indigne in eo committatur. Pauperes vero, quibus mortuis nihil aut ita parum superest, ut propriis expensis humari non possint, gratis omnino sepeliantur, ac debita lumina suis impensis, si opus fuerit, adhibeant Sacerdotes, ad quos defuncti cura pertinet, vel aliqua pia confraternitas, si fuerit, juxta loci consuetudinem (R.). Sacerdos tamen non tenetur gratis celebrare Missam (Bened. XIV.).

4. Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in coemeteriis, retineatur, et ubi fieri potest, restituatur; at vero cui locus sepulturae dabitur in ecclesia, humi tantum detur (R.). Attamen super petram sepulchralem nonnulla possunt inscribi ornamenta, modo non promineant. In ecclesiis non sepeliantur ultimo supplicio affecti (S. C. Ep.), nec cadavera prope Altaria sepeliantur (R.), quod si forte subtus Altare sepeliantur, Altare interdictum est (S. R. C.). Sepulchra Sacerdotum et Clericorum cujuscumque ordinis, ubi fieri potest, a sepulchris laicorum separata sint, ac decentiori loco sita; atque ita, ubi commodum fuerit, ut alia pro Sacer-

dotibus, alia pro inferioris ordinis ecclesiae ministris parata sint (R.).[1]

5. Caeterum nemo christianus in communione fidelium defunctus, extra ecclesiam aut coemeterium rite benedictum sepeliri debet; sed si necessitas cogat, ex aliquo eventu aliquando ad tempus aliter fieri, curetur, ut quatenus fieri poterit, corpus in locum sacrum quamprimum transferatur, et interim semper crux capiti illius apponi debet, ad significandum illum in Christo quievisse. Nullum porro cadaver perpetuae sepulturae traditum ex ulla cujusvis ordinis ecclesia asportari liceat, nisi de licentia Ordinarii. Corpora defunctorum in ecclesia ponenda sunt pedibus versus Altare majus, vel si conduntur in oratoriis aut capellis, ponantur cum pedibus versis ad illarum altaria; quod etiam pro situ et loco fiat in sepulchro. Presbyteri vero habeant caput versus Altare (R.).

6. Jus celebrandi exsequias defuncti percipiendique fructus iisdem annexis, competit Parocho, in cujus parochia defunctus habebat domicilium aut quasi domicilium, etsi exiisset ad tempus, ast cum intentione redeundi, ob bellum, vel sanitatis tuendae causa etc. Idem foret, si dum aegrotatur, translatus fuit in aliam parochiam, in qua e vita decessit (AA.). Sepelirétur tamen, ubi casu defunctus est, si commode ad suam ecclesiam asportari non posset (Jus can.).[2] Quidquid dictum est de exsequiis, dicendum est etiam de quarta parte jurium funeralium Parocho debita, casu quo defunctus elegisset alibi sepulturae locum (AA.), nam ejus haeredes cogi non possunt ad celebrandas exsequias in duabus ecclesiis (S. C. C.), sed solummodo in ecclesia loci, ubi sepelitur (S. C.). Necesse est autem, ut facta fuerit electio sepulturae, quod factum est probandum (Bened. XIV. Const.) saltem a duobus testibus fide dignis (S. C. C.), vel ut habeatur in familia sepulchrum gentilitium (Jus. can.).[3]

---

[1] Nihil obstat, quominus in iis locis, ubi talis fert consuetudo, servetur ritus projiciendi terram super corpus defuncti in sepulchro; iste enim ritus, teste Catalano, et antiquissimus et innumeris in locis usitatus est.

[2] Canonicus sepeliatur in ecclesia cathedrali, si in ea habeatur locus sepulturae canonicis inserviens: quod hodiedum ita intelligi debet, ut in ea exsequiae peragantur, si non in ecclesia parochiali, in qua habitabat, fiant.

[3] Ipsissima verba juris adhibemus, quamvis in rigore, vigenti nostra civili jurisprudentia, non amplius adsint, praesertim in urbibus, *ecclesiae tumulantes*, cum coemeteria sint

Qui jus alterius usurpat,[1] restituat fructus omnes perceptos, et etiam cadaver, si exigatur (S. C. C.).

Notandum tamen jura Parochi restringi ad exsequias stricte dictas, non autem ad Missas tertii, septimi, ac trigesimi diei, neque ad anniversarium etc., haeredesque illa celebrari curare posse, ubi maluerint. Praeterea soli Parocho competit jus strictum exsequiis assistendi, haeredibus vero licet eligere, quos voluerint Sacerdotes assistentes, pariterque secum asportare tot cereos, quot ipsis libuerit (S. C. C.).

7. Ignorare non debet Parochus, qui ab ecclesiastica sepultura ipso jure sunt excludendi (R.), et caetera, quae ad rem pertinent (Brff.), ne quidquam contra sacrorum canonum decreta umquam admittat (R.), licet, si id fiat, coemeterium non in quocumque caus polluatur[2] (AA.). Negatur igitur ecclesiastica sepultura paganis, judaeis, et omnibus infidelibus, haereticis, et eorum fautoribus; apostatis a christiana fide, schismaticis, et publicis excommunicatis majori excommunicatione (R.), nominatim interdictis, et iis, licet toleratis (Reiff.), qui sunt in loco interdicto, eo durante (R.), solis clericis exceptis (Jus. can.); se ipsos occidentibus ob desperationem, vel iracundiam (non tamen si ex insania id accidat) nisi ante mortem dederint signa poenitentiae, morientibus in duello (R.), vel ex vulnero in eo suscepto (Ben. XIV.), etiamsi ante obitum dederint signa poenitentiae (R.), et receperint Sacramenta (Ben. XIV. Const.); manifestis et publicis peccatoribus, qui sine poenitentia perierunt (R.), ut sunt concubinarii, filiae perditae, usurarii, regulares proprietarii, et alii omnes e vita decedentes in ipso actu peccati (AA.), illis etiam, de quibus publice constat, quod semel in anno non susceperint Sacramenta Confessionis et Communionis in Paschate, et absque

---

plurium diversarum paroeciarum communia. Caeterum haec vox *tumulans* intelligitur non materialiter, sed formaliter, pro illa ecclesia nempe, in qua defunctus faciendas exsequias cum jure deferendi corpus ad sepulturam mandavit. De hoc nullatenus dubitare licet.

[1] Jus canonicum prohibet Sacerdotibus tam regularibus quam saecularibus, ne inducant fideles, ut voveant, jurejurandove promittant sese sepeliendos in eorum ecclesiis. Electio tali modo facta foret nulla, et qui consuleret Sacerdos excommunicaretur, ac si cadaver sepeliisset, intra decem dies, restituere omnes fructus perceptos, sub poena interdicti ecclesiae et coemeterii attingentis, teneretur.

[2] De pollutione coemeterii videatur infra Appendix II. §. II. (pag. 730.)

ullo signo contritionis obierunt; infantibus mortuis sine Baptismo (R.), extractis ex sinu matris (AA.). Ubi vero in praedictis casibus dubium occurrerit, Ordinarius consulatur (R.).

Caput octavum.

De Benedictionibus.

§. I. Ordo ad faciendam aquam benedictam.

1. Diebus Dominicis (R.), exceptis Dominicis Paschae et Pentecostes (RM.), aqua benedici debet (AA.), et potest quandocumque opus fuerit (R.). Die Dominica, praeparato sale et aqua munda in sacristia vel [nempe extra Dominicam (Cav.)] in ecclesia (R.) aut in quovis alio loco (AA.), Celebrans aut alius presbyter ad illam benedicendam venit (R.). Si Celebrans (G. Cav. P.), induit albam et stolam (R.) conformem colori Missae; si alter (G. Cav. P.), induit superpelliceum et stolam violaceam (R.). Primo dicit: *Adjutorium nostrum in nomine Domini,* ℟. *Qui fecit coelum et terram,* et absolute incipit exorcismum salis, *Exorcizo te creatura salis* etc. Attamen quoties fit aqua benedicta, non toties sal est exorcizandum, sed adhiberi potest jam in hujusmodi functione exorcizatum, et in hunc usum servatum (S. C.). Deinde dicit absolute, *Exorcizo te creatura aquae* etc. Postea ter mittat sal in aquam in modum crucis manu quasi clausa (Brff. Cav. M. P.), dicendo semel: *Commixtio salis* etc. Sufficit, si adhibeantur tria grana salis (P.).

2. Post benedictionem aquae, Dominicis diebus (R.) nam in festis non fit aspersio (S. C.), neque dum Episcopus celebraturus est (Caer. Ep.), Sacerdos (R.) et nunquam alius, etsi contraria sit consuetudo (S. C.), induit super albam et stolam (R.) in modum crucis positam, pluviale coloris conformis officio (R.) aut Missae, si votiva dicenda sit (AA.), et accedit ad Altare (R.). Deinde agit, ut dictum est in prima parte operis.

3. Dum Sacerdos aspergit clericos et populum (R.), sinistra manu super pectus posita (M.), dicit alternatim cum mini-

stris Psalmum *Miserere* (R.), integrum (M. G.) vel solum durante aspersione (Cav.), cum Antiphona ante (M.) et post (AA.), aut solam Antiphonam ante et post cum primo Versiculo Psalmi et *Gloria Patri* (P.). Versiculus *Gloria Patri* non dicitur Dominicis Passionis et Palmarum (R.). Tempore paschali, eodem modo recitat *Vidi aquam* et Psalmum *Confitemini* (Cav.), solum de convenientia (M.), vel saltem primum Versiculum, uti a choro cantatur (P.) cum *Gloria Patri* et Antiphona, quam repetit (AA.). Reversus ad Altare, reverentia debita ei facta, Sacerdos cantat super librum a Diacono et Subdiacono ministratum (AA.) Versiculum *Ostende* etc., ac Orationem, ante infimum gradum Altaris, manibus junctis (R.). Tempore paschali addit *Alleluia* Versiculo *Ostende.*

4. Si Episcopus aliusve Praelatus assistat Missae in loco jurisdictionis suae, vel si Cardinalis, in quacumque ecclesia, Sacerdos solus accedens cum caeremonario et acolytho deferente vas aquae benedictae, profundam facit Praelato reverentiam, genuflectentibus ejus sociis, et porrigit aspersorium, quod osculatur, Praelato, cujus manum etiam osculatur. Confestim reversus ante Altare aspergit ministros, et accedit ad aspergendum, ut supra, clericos et populum (Caer. Ep.). Casu, quo expositum esset in Altari publicae venerationi sanctissimae Eucharistiae Sacramentum, Sacerdos non aspergeret gradus Altaris ob reverentiam Venerabili debitam (AA.), ac Diaconus non oscularetur neque aspersorium neque manum Sacerdotis (S. C.).

5. Postea Christifideles possunt de ipsa aqua benedicta in vasculis suis accipere et secum deferre ad aspergendos aegros, domos, agros, vineas, et alia, et ad eam habendam in cubiculis suis, ut ea quotidie et saepius aspergi possint (R.).

§. II. De benedictionibus domorum, fructuum etc.

1. Noverit Sacerdos aliique, quarum rerum benedictiones ad psum, et quae ad Episcopum vel Parochum suo jure pertineant, ne majoris dignitatis munera temere aut imperite umquam usurpet propria auctoritate (R.), aut committat culpam gravem incurratque

irregularitatem (Q. Brff.). In omni benedictione extra Missam, Sacerdos saltem superpelliceo et stola pro ratione temporis (R.), seu officio diei (AA.) utatur, nisi aliter in Missali notetur. Stando semper benedicat, et aperto capite. In principio cujusque benedictionis dicat *Adjutorium* (R.), se signans signo crucis (AA.). Deinde dicatur Oratio propria una, vel plures, prout suo loco notatum fuerit. Postea rem aspergat aqua benedicta; et ubi notatum fuerit, pariter incenset, nihil dicendo. Cum Sacerdos aliquid benedicturus est, habeat ministrum cum vase aquae benedictae et aspergillo, et cum Rituali libro, seu Missali (R.). Orationes profert manibus junctis, et inclinat caput ad *Oremus* et ad nomen *Jesu*. Si sit in Altari, stet ad cornu Epistolae (AA.).

2. Caveat ne, benedictionis causa, ponat aliquid indecens super Altare, veluti esculenta (R.), oleum, cineres, lapides, cereos, etc. (Brff.); sed quae ejusmodi sunt, ponantur super mensam, commodo loco paratam (R.), ut in sacristia vel ad latus Altaris (Brff.).

3. Illi soli libri adhibendi et in illis tantum benedictionibus, quae Rituali[1] Romano sunt conformes, nec aliae adhibeantur, dummodo non constet ab hac S. Cong. fuisse adprobatas (C. Indic.). Si adulteras vel mutas notabiliter Orationes aut formas Orationum, praeter peccatum, ipsam rem benedictione privares (AA.).

4. Omnes auctores docent, benedictionem esse tum invalidam tum illicitam, si fiat a non habente potestatem (G. Brff. M. Forn.). Haec autem opinio sua generalitate peccat: nam benedictio aut consecratio rerum minime renovanda est, cum benedictio aut consecratio sit de illis, quae delegari possunt (S. C.).

5. Tres sunt species benedictionis. Prima benedictio, quae est *simpliciter invocativa,* sacras non efficit res benedictas, neque illas destinat ad usum sacrum, sed solummodo petit

[1] Formulis Pontificalis utuntur soli Episcopi: S. R. C. 7. Sept. 1850, *in Rupellen.* Dum in Rituali deest formula ad rem benedicendam, producendum est signum crucis super illa, cum formula *In nomine Patris* etc., et deinde res ipsa absque cereo accenso, cum aqua benedicta aspergenda. *In Lucionen,* 12. Aug. 1854, ad 68.

auxilium divinum specialiter super usum praesentiamque rei benedictae. Re ita benedicta uti licet, non secus ac antea. Tales sunt benedictiones domorum, thalami, navis, esculentorum, ovium, aut ovorum paschalium, panis, olei, et cereorum extra festum Purificationis.

Secunda est *benedictio* dicta *consecrativa*, vi cujus res benedictae manent rigorose consecratae, neque adhiberi possunt absque sacrilegio ad usus profanos, licet honestos ac decentes. Tali modo benedicuntur calices, Altaria, lapides, arae, paramenta, *Agnus Dei* etc.

Tertia benedictio inter priores media, vocatur *media*, et per illam res benedicta rigorose non consecratur, sed aptatur ad usus pios, ita ut peccaret venialiter, qui easdem adhiberet ad usus profanos, licet decentes ac honestos, nisi haberet rationabilem causam taliter agendi, et ea benedictione donantur cineres, palmae, cereus paschalis, grana incensi, cerei in festo Purificationis, aqua benedicta etc. (Tetamo, Pavone.).

6. Diversimode amittunt benedictionem aut consecrationem res, quae strictam benedictionem, consecrativam nempe acceperunt; illudque evenit, cum res evadit inutilis aut inepta ad usum, ad quem benedictione fuerat destinata. Hinc calix amittit consecrationem, 1° si in fundo cuppae habeat foramen; 2° cum de novo deauratus fuit (S. C.), 3° si a pede cuppa separetur; excipitur tamen casus, quo pes aut cuppa sit tornatilis; 4° cum formam amiserit sive vi et ictibus, sive alia ratione (AA.).

Paramenta et linteamina, quae ad s. Sacrificium adhibentur, suam benedictionem amittunt, quando ita sunt detrita aut lacerata, ut usui esse non possint; vel quando forma, sub qua benedicta fuerant, mutata sit, sicque stola de casula facta, amictus ex alba non remanent benedicta etc. (AA.). Verum si reficeretur tantum per partes paramentum benedictum, non amitteret benedictionem, cum juxta adagium, major pars trahat ad se minorem. Quocirca haec opinio nobis arridet, quod palla, si de ea crassior charta extrahatur, aut mappa grandior in duas minores divisa non amittat suam benedictionem.

7. Solis Episcopis conceditur potestas benedicendi 1° ea,

in quibus res sacranda ungatur, videlicet campanas, calices etc.; 2° sacra paramenta sacerdotalia, mappas Altaris, corporalia etc.; 3° ecclesias, oratoria, coemeteria, illaque reconciliandi; 4° solemniter cruces, imagines etc. (R.), publicae fidelium venerationi exponendas (S. C.). Solae benedictiones, de quibus sub 3°, Sacerdotibus delegari possunt ab Episcopo jure ordinario, aliae autem delegari non possunt, nisi vi indulti a Sede apostolica concessi (S. C.).

8. Praeter benedictionem nuptialem, et mulierum post partum, soli Parocho competit facultas benedicendi 1° domos in Sabbato sancto (S. C. C.); agros etc., ac contra animalia maleficentia (S. C. C.); aquam fontis baptismalis (S. R. C.). Caeterae autem benedictiones fieri possunt a quovis Sacerdote (R.).

9. En simplices benedictiones, de quibus Rituale Romanum: — Benedictio candelarum extra diem Purificationis beatae Mariae virginis (R.), quae ex cera conficiuntur, serviuntque tempore fulguris et dum quis agonizatur (G. Brff.); — Benedictio domorum in Sabbato sancto Paschae. — Benedictio loci — Alia benedictio domus novae. — Benedictio thalami (R.) nuptialis (Brff.). — Benedictio novae navis — Benedictio communis super fruges et vineas (R.), verno tempore (Brff.). — Benedictio peregrinorum[1] euntium ad loca sancta (R.). — Benedictio peregrinorum post reditum. — Benedictiones esculentorum, praesertim tempore paschali, benedictio agni paschalis. — Benedictio ovorum paschalium, benedictio panis. — Benedictio panis omni tempore. — Benedictio novorum fructuum. — Benedictio ad quodcumque comestibile. — Benedictio olei simplicis (R.) adhibendi ad sanandos aegros, ac ad nutriendam lampadem sanctissimi Sacramenti (Brff. Q.). — Benedictio crucis ad usum privatum (S. C.).

10. Sequuntur benedictiones ab facultatem habentibus faciendae: benedictio sacerdotalium indumentorum[2] in genere

[1] Sacerdos peregrinans habeat litteras dimissorias Ordinarii, sibi alium substituat, si aliquo munere fungatur vel possideat beneficium ad residentiam obligans, utaturque vestibus a laicorum vestibus distinctis, licet brevioribus, ac tonsura clericali insignitus sit (S. Car.).

[2] Sub quibus comprehenduntur, casula, stola, manipulus, alba, amictus (AA.), cingulum (Ben. XIV. Cav.), dalmatica ac tunicella (Q. Cav.). Pluviale debet (Cav. V.) vel potest benedici (G. Q.), itemque superpelliceum (Brff.).

(R.). — Benedictio mapparum, sive linteaminum Altaris. — Benedictio corporalium (R.) ac pallarum (Q. G.), modo non adhibeantur formulae, quae sunt in Pontificali (S. C.). — Benedictio tabernaculi, seu vasculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda (R.), non autem ipsius tabernaculi lignei (Misc. theol.). — Benedictio novae crucis (R.), sine crucifixo, ponendae in coemeteriis, in viis et in monasteriis etc. (Brff.), qua facta benedictione Sacerdos genuflexus ante crucem devote adorat, et osculatur, quod idem faciunt quicumque voluerint (R.). — Benedictio imaginum Jesu Christi Domini nostri, beatae virginis Mariae, et Sanctorum (R.), ornamentis coloris congruentis Sancto mysteriove decoratarum (Brff.). Notandum est, quod liceat Praelatis regularibus benedicere omnes res, de quibus supra, imo quandoque res illas, in quibus benedicendis adhibentur unctiones, sed tantum ad usum ecclesiarum proprii ordinis (S. R. C.).

11. In novissima Ritualis Romani, typis Propag. Fidei, editione ad appendicem sequentes rejiciuntur Benedictiones, nempe: — Benedictio populi cum aqua benedicta, diebus Dominicis impertienda — vini in festo s. Joannis Evangelistae. — Alia Benedictio vini in praefato festo — Auri, myrrhae et thuris in die Epiphaniae — Cretae in festo Epiphaniae — Domorum in eodem festo — Candelarum in festo s. Blasii — Herbarum in festo Assumptionis B. M. V. — Seminum et segetum in nativitate B. M. V. — Instrumentorum organi in ecclesia — Vexilli processionalis — Metalli pro campana dum aere conflatur — Domus scholaris noviter erectae — Primarii lapidis aedificii — Viae ferreae et curruum — Pontis novi — Fontis — Putei — Ignis — Fornacis calcariae — Fornacis fusoriae metallicae, vel coctoriae laterum et tegularum — Seminum — Horrei, seu segetum demessarum — Pistrini — Adulti aegrotantis — Pro pluribus infirmis — Mulieris praegnantis in periculis partus — Infantis — Pueri ad obtinendam misericordiam Dei — Puerorum cum in ecclesia praesentantur — Puerorum aegrotantium — Vestium et cinguli, quae deferuntur in honorem B. M. V. — Linteaminum pro infirmis — Cujuscumque medicinae — Panis et placentarum — Cerevisiae — Casei et bu-

tyri — Laridi — Volucrum — Apum — Pecorum et jumentorum — Equorum et animalium — Animalium pesti laborantium — Pecorum et jumentorum gravi infirmitate vexatorum — Salis vel avenae pro animalibus — Stabuli equorum, boum etc. —

Benedictiones reservatae, ab Episcopo vel aliis Sacerdotibus facultatem habentibus faciendae:

Benedictio solemnior novae crucis — Ostensorii pro ss. Sacramento exponendo — Capsarum pro reliquiis Sanctorum — Vasorum pro sacris oleis — Vasorum et aliorum ornamentorum in genere — Simplex novae campanae non ad usum ecclesiae — Telegraphi — Viae ferreae et curruum — Contra mures, locustas, bruchos, vermes etc. — Habitus clericalis — Cingulorum in honorem s. Josephi Sp. B. M. V. — Puerorum et puellarum in festis Unionis a sancta Infantia, quibus additur Instructio pro Sacerdotibus, quibus S. P. delegat facultatem benedicendi coronas, cruces etc.

Sequuntur demum Benedictiones *propriae nonnullorum ordinum regularium*, ut scapularis, coronae, viae crucis, aquae s. Ignatii aut s. Vincentii Ferrerii; Absolutio in articulo mortis, quae ut plurimum, habentur in propriis manualibus quarumlibet religionum.

§. III. De nonnullis specialibus benedictionibus.

1. Ecclesiam ex Episcopi auctoritate tantum, juxta sacrorum canonum decreta, aedificari fas est. Si vero Sacerdos ejus aedificationis primarium lapidem benedicendi potestatem habens, ejusmodi functionem peragat, hunc ritum servabit. Pridie quam primarius lapis benedicatur, lignean crucem in loco, ubi debet esse Altare, figat ipse vel alius Sacerdos (R.), superpelliceo et stola indutus (Cav.). Sequenti vero die lapis in ecclesiae fundatione ponendus, qui debet esse quadratus et angularis (R.), naturalis vel testaceus (Baruff. Cav.), Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, stola et pluviali albi coloris, adhibitis aliquot Sacerdotibus et Clericis, sal et aquam benedicit, nisi prius in promptu habeat jam benedictam ordinaria

benedictione, uti superius dictum est, et interim dum cantatur a Clericis Antiphona *Signum salutis* cum Psalmo *Quam dilecta,* aspergit locum, ubi crux posita est, cum aqua benedicta. Finito Psalmo, Sacerdos versus ad locum per cum aspersum dicit Orationem *Domine Deus* etc. (ad litteram N. nominando Sanctum vel Sanctam, in cujus honorem ac nomen fundabitur ecclesia). Postea stans benedicit primarium lapidem (R.), super mensa decenti positum (AA.), dicens *Adjutorium* etc. etc. Tunc aspergit lapidem ipsum aqua benedicta, et accepto cultro sculpit in eum signum crucis per singulas partes (R.), id est per sex facies cubi, vel si cruces jam sculptae sint, illas tantum recognoscit (AA.), dicens: *In nomine Patris... Amen.* Postea dicantur Litaniae ordinariae (Omnium Sanctorum) sine Orationibus in fine positis, quibus dictis, parato caemento et caementario assistente (R.), aliisque operariis, si opus fuerit, lapidem deferentibus (AA.), Sacerdos inchoat, Clericis prosequentibus, Antiphonam *Mane surgens* etc. cum Psalmo *Nisi Dominus aedificaverit.* Quo dicto Sacerdos stans tangit et ponit ipsum primarium lapidem in fundamento, dicens: *In fide Jesu Christi* etc. Interim caementarius locat ipsum lapidem cum caemento; postea Sacerdos spargit super ipsum lapidem aquam benedictam, dicens: *Asperges me* etc., Psalmum *Miserere* etc., qui dicitur totus cum *Gloria Patri* etc. Quo dicto, Sacerdos spargit aquam benedictam per omnia fundamenta, si sunt aperta; si vero non sunt aperta, circuit aspergendo fundamenta ecclesiae designata. Et incipiens aspergere inchoat Antiphonam, Clero prosequente, *O quam metuendus est locus iste* etc., cum Psalmo *Fundamenta ejus in montibus.* Interim aspergendo procedit usque ad fundamenta aperta seu designata, et repetita Antiphona stans dicit: *Oremus,* ministri: *Flectamus genua,* ℟. *Levate,* Orationes *Omnipotens et misericors Deus* etc., *Deus, qui ex omnium* etc. (R.).

2. Sequitur Ritus benedicendi novam ecclesiam, seu oratorium publicum, ut ibi sanctissimum Missae sacrificium celebrari possit (R.). Oratoria enim privata non habent benedictionem, nisi communem loci (S. C.), quae item saepissime oratoriis semipublicis congruit (Rev. théol.). Sacerdos novam ecclesiam

de licentia Episcopi benedicturus, ut in ea divinum sacrificium Missae rite celebretur, stola ac pluviali albi coloris indutus, aliquot Sacerdotibus et Clericis adhibitis, praelata cruce media inter duos Clericos deferentes cereos accensos, mane procedit ad primariam ecclesiae vel oratorii januam; ubi stans capite aperto, conversus ad eam dicit absolute Orationem *Actiones nostras* etc. Deinde inchoat Antiphonam *Asperges me* etc. et Clerus alternatim dicit Psalmum *Miserere mei Deus* etc., in fine *Gloria Patri* etc. Interim circumdant exterius (R.), saltem in quantum fieri potest (S. C.), ecclesiam, quae intus debet esse vacua et nuda, et pariter Altaria nuda, excluso populo, donec absoluta sit benedictio, et Sacerdos accepto aspergillo ex herba hyssopi (R.), vel ex ruta, absinthio, lactuca agresti, origano, serpyllo, aut ex alia herba prae se ferente sensum mysticum (Baruff. Cav.), ad ejus dexteram se convertens, parietes ecclesiae in superiori parte, et in fundamentis, cum aqua benedicta aspergit, dicens: *Asperges me, Domine, hyssopo* etc. (R.) illudque repetens, donec absolverit (Cav.). Reversi ad locum, unde processio initium habuit, repetita Antiphona a Clero, Sacerdos stans ut prius versus ecclesiam dicit *Oremus* (et ministri: *Flectamus genua,* ℟. *Levate) Domine Deus, qui licet coelo* etc. Qua finita Oratione omnes bini in ecclesiam intrantes ad Altare majus procedunt, Litanias decantantes. Ubi dictum fuerit: *Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris, te rogamus, audi nos,* surgit Sacerdos, et intelligibili voce dicit: *Ut hanc ecclesiam et Altare ad honorem tuum et nomen Sancti tui N., purgare et benedicere digneris, te rogamus, audi nos.* Cum dicit, *bendicere,* manu dextera benedicit ecclesiam et Altare, deinde ut prius genuflectit, donec perficiantur Litaniae, et cantores prosequuntur: *Ut nos exaudire digneris, te rogamus* etc. Dicto ultimo *Kyrie eleison* Sacerdos stans dicit: *Oremus* (ministri: *Flectamus genua,* ℟. *Levate.). Praeveniat nos, quaesumus* etc. Tum distans ab Altari congruenti spatio (R.), ut medius sit inter Clerum se ipsum circumdantem (Baruff.) genuflexus, et se signans, dicit: *Deus, in adjutorium meum intende,* et statim surgit, Clero respondente: *Domine, ad adjuvandum me festina,* ipse vero stans

dicit: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto,* chorus respondet: *Sicut erat in principio* etc. Postea Sacerdos dicit: *Oremus* (ministri: *Flectamus genua,* ℟. *Levate). Omnipotens et misericors Deus* etc. (R.). Dum Sacerdos illam Orationem dicit, chorus surgit (Cav.). His dictis Sacerdos inchoat Antiphonam *Benedic, Domine* etc. cum tribus Psalmis sequentibus, videlicet Psalmo 119 *Ad Dominum* etc., Psalmo 120 *Levavi oculos* etc. et Psalmo 121 *Laetatus sum* etc. cum Antiphona *Benedic* etc. Interim aspergit interius parietes in parte superiori et inferiori, inchoans aspersionem a parte Evangelii, dicens: *Asperges me, Domine* etc. Tum ad Altare reversus, dicit: *Oremus* (ministri: *Flectamus genua,* ℟. *Levate.). Deus, qui loca* etc. His peractis dicitur Missa de tempore occurrente, vel de Sancto.

Ecclesia vero quamvis a simplici Sacerdote, ut supra, sit benedicta, ab Episcopo tamen consecranda est (R.). Similiter Altare consecrandum est, ut super illo Missa celebrari queat (Caer. Ep.).

3. A praefato vix differt ritus reconciliandi ecclesiam violatam, modo non fuerit ab Episcopo consecrata. Sacerdos enim nonnisi ex privilegio Sedis apostolicae, potest ecclesiam ab Episcopo consecratam reconciliare. Et tunc utatur ritu in Pontificali praescripto, cum aqua ab Episcopo ad hunc usum rite benedicta (R.).

4. Sequitur ritus benedicendi novum coemeterium per Sacerdotem ab Episcopo delegatum. Pridie quam fiat benedictio, ponitur in medio coemeterio lignea crux, alta ad staturam hominis (R.), in cujus parte superiori et duobus brachiis figuntur cuspides ferrei (Cast. Cav.); et ante ipsam crucem in terra figitur paxillus tridens ligneus altus ad cubitum unum, aptus ad affigendum illi tres candelas (R.).

Sequenti die mane Sacerdos in sacristia paratus amictu, alba, cingulo, stola et pluviali albi coloris, adhibitis aliquot Sacerdotibus et Clericis indutis superpelliceis, qui deferant vasculum aquae benedictae, aspergillum et thuribulum cum incensi navicula, et Rituali libro, et tribus candelis cereis, procedit ad coemeterium benedicendum, ante crucem in medio positam, et affiguntur et accenduntur tres candelae super

ligneum paxillum, et Sacerdos ante crucem et candelas, stans discooperto capite dicit: *Oremus, Omnipotens Deus, qui es custos* etc. (R.) Notandum cruciferarium incedere debere inter acolythos deferentes candelabra (Cav.). Mox ante ipsam crucem omnes genibus flexis dicunt Litanias ordinarias, incipiente cantore, caeteris respondentibus; et cum dictum fuerit *Ut omnibus fidelibus...*, Sacerdos surgit, et clara voce dicit, producens manu signum crucis: *Ut hoc coemeterium purgare et benedicere digneris, te rogamus, audi nos.* Deinde Sacerdos ut prius genuflectit, et Litaniae perficiuntur (R.), usque ad ultimum *Kyrie eleison* inclusive (AA.). Quibus finitis surgunt omnes, et Sacerdos crucem aspergit aqua benedicta, dicens Antiphonam *Asperges me, Domine..., dealbabor,* cum Psalmo *Miserere mei, Deus* etc., qui dicitur totus ab adstantibus cum *Gloria Patri* etc. Quo dicto repetitur Antiphona. Dum dicitur Psalmus, Sacerdos circuit et perambulat totum coemeterium (interius tantum AA.), incipiens ad ejus dexteram, aspergens ubique aqua benedicta; quo facto redit ante crucem, et ad ipsam respiciens, dicit Orationem *Deus, qui es totius orbis conditor* etc. Tunc figit in summitate crucis unam ex tribus candelis ardentibus, et alias duas similiter ardentes in duobus brachiis ejusdem crucis. Deinde incensat ipsam crucem, et aspergens aqua benedicta (R.) crucem (Baruff.) vel loca, per quae transit (Cav.), redit cum ministris in sacristiam (R.), eodem ordine quo venerat. Candelae cereae accensae remanent usque dum exstinguantur (Cav. Baruff. Cast.).

5. Sequitur ordo reconciliandi coemeterium violatum, sive ecclesiae contiguum sit, sive separatum, ubi ecclesia non est polluta. Mane diei, qua facienda est reconciliatio,[1] Sacerdos, si ab Episcopo facultatem habeat, adhibitis aliis Sacerdotibus et Clericis indutis superpelliceis, in sacristia, aut alio decenti loco, vestitus amictu, alba, cingulo, stola et pluviali albi coloris, accedit ad medium coemeterii, Clerico vasculum aquae benedictae et aspergillum deferente, et ibi super tapete genu-

[1] Unus ergo est reconciliandi modus, una causa, pollutio coemeterii. Hinc, ubi non evenit vere dicta pollutio, neutiquam reconciliandum est coemeterium.

flectit una cum ministris; et cantores aliique omnes genibus flexis, dicunt Litanias. In quibus cum dictum fuerit: *Ut omnibus fidelibus defunctis* etc. *Te rogamus, audi nos,* Sacerdos surgit, et manu dextra producens signum crucis super coemeterium, clara voce dicit: *Ut hoc coemeterium reconciliare et sanctificare digneris.* ℟. *Te rogamus, audi nos.* Quibus dictis, ut prius genuflectit, cantoribus Litanias perficientibus. Quibus finitis surgunt omnes, et Sacerdos accepto aspergillo cum aqua benedicta inchoat Antiphonam *Asperges me, Domine, hyssopo,* Clero prosequente *et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.* Psalmus *Miserere mei, Deus* etc. dicitur totus sine *Gloria Patri.* In fine repetitur Antiphona *Asperges.* Dum haec dicuntur, Sacerdos circuit totum coemeterium, incipiens ad ejus dexteram, aspergens ubique aqua benedicta, praesertim in loco, ubi violatio commissa est. Quo peracto redit ad locum, ubi Litaniae dictae fuerunt, et ibi stans dicit: *Oremus* (et ministri: *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*). *Domine pie, qui agrum figuli* etc. ℟. *Amen* (R.).

6. In Rituali Romano jussu Benedicti XIV. edito, continentur quoque *Ritus absolvendi et benedicendi populos et agros,* caeremoniaeque servandae a regularibus, qui certis diebus habent facultatem impertiendi benedictionem papalem, quam facultatem Clemens XIII. concessit omnibus Episcopis, Archiepiscopis atque Praelatis, etiam inferioribus (Baruff.).

7. Est et altera Benedictio quotidie adhibenda, saltem a Sacerdotibus, tum adinstar exempli Domini nostri Jesu Christi, tum ratione consuetudinis generalis, quae viget ab incunabulis Ecclesiae, *Benedictio mensae,* cujus formulae praescribuntur in Breviario Romano. Quae autem formulae plures sunt. Discrimen imo est inter benedictionem prandii et benedictionem coenae. Notandum 1° dum Sacerdos celebrans dicit *Benedicite,* respondendum esse *Benedicite,* non autem *Dominus;* 2° in diebus jejunii, in prandio, adhibendam esse formulam coenae; 3° illas benedictionis mensae formulas variari in nonnullis Domini festis, nempe in festivitatibus Natalis ac Epiphaniae, Paschatis, Psalmum autem *Laudate Dominum omnes gentes* semper substitui posse Psalmo proprio; 4° in feria quinta et sexta majoris

hebdomadae formulam benedictionis mensae omnino differre ab aliis; nam in his feriis recitandum est *Christus factus est* cum Psalmo *Miserere;* 5° Versiculos festo proprios continuo recitandos per totam octavam ejusdem festi (R. Brev.), non autem dicendos esse in prandio Vigiliae (Cav. Tet. adversus By.).

Caput nonum.

De processionibus.[1]

1. Publicae sacraeque processiones seu supplicationes, quibus ex antiquissimo ss. Patrum instituto catholica Ecclesia vel ad excitandam fidelium pietatem, vel ad commemoranda Dei beneficia, eique gratias agendas, vel ad divinum auxilium implorandum uti consuevit, qua par est religione celebrari debent; continent enim magna ac divina mysteria, et salutares christianae pietatis fructus eas pie exsequentes a Deo consequuntur; de quibus fideles praemonere et erudire, quo tempore magis opportunum fuerit, Parochorum officium est (R.).

2. Videant in primis Sacerdotes, aliique ecclesiastici ordinis, ut in his processionibus ea modestia ac reverentia tum ab ipsis, tum ab aliis adhibeatur, quae piis et religiosis hujusmodi actionibus maxime debetur. Omnes decenti habitu superpelliceis vel aliis sacris vestibus (R.), si sint saeculares, si vero monachi, habitu ordinis (Cav.), sine galeris, nisi pluvia cogente, induti, graviter, modeste ac devote bini suo loco procedentes, sacris precibus ita sint intenti, ut remoto risu, mutuoque colloquio et vago oculorum aspectu, populum etiam ad pie devoteque precandum invitent (R.).

3. Edendi ac bibendi abusum, secumve esculenta et poculenta deferendi in sacris processionibus, agrisque lustrandis, et suburbanis ecclesiis visitandis, tollere Parochi studeant; ac

---

[1] Quod ad antiquitatem, finem, originem etc. processionum attinet, lectorem remittimus ad *Miscellanea theologica*, 5. ser. 4. fascic. pag. 533.

fideles, praesertim die Dominica, quae proxime Rogationes antecedit, quam haec dedeceat corruptela, saepius admoneant (R.).

4. Processiones autem quaedam sunt ordinariae, quae fiunt certis diebus per annum (R.) etsi non sint obligatoriae in ecclesiis parochialibus de jure communi (Misc. theol.), ut in festo Purificationis beatae Mariae semper Virginis, et in Dominica Palmarum, et in Litaniis majoribus in festo sancti Marci, et in minoribus Rogationum triduo ante Ascensionem Domini, et in die festo Corporis Christi, vel aliis diebus pro consuetudine ecclesiarum (R.). Quaedam vero sunt extraordinariae, ut quae variis ac publicis Ecclesiae de causis in dies indicuntur.

5. Ad Ordinarium pertinet, praefinire quo, quando, et qua dirigendae ac deducendae sint processiones tam ordinariae, quam extraordinariae (S. C.), etsi fiant intra ecclesiam. Parochus tamen potest autoritate propria transferre in alium diem processionem die suo impeditam (Misc. theol), imo solemniorem, si statuta talem ipsi facultatem non concedant (S. C.). Ubi processio ss. Sacramenti in ejus festo die, vel per octavam, ea quae decet solemni pompa, nequiverit haberi, designabit Episcopus pro suo arbitrio, et prudentia unicuique ecclesiae, aliquam ex sequentibus Dominicis, in qua solemnis illius processio peragi possit (S. C.). Item ex consuetudine immemorabili liceret Parochis, processiones privatas antiquitus institutas, non vero solemnes continuare.

6. Ad processiones particulares seu privatas convenire nulli compellantur, nisi ecclesiastici addicti ecclesiae, in qua hae fiunt. Ad processiones autem generales seu publicas, Episcopo jus tribuitur compellendi omnes Sacerdotes beneficium possidentes vel exercentes functiones in dioecesi, alumnos seminarii, non vero Pastores ruricolas, neque simplices Sacerdotes, nonnullis exceptis casibus. Clerici regulares quicumque, licet exempti, etiam monachi, ad publicas processiones vocati, accedere compellantur; iis tantum exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt, aut qui ultra dimidiam leucae habitant a civitate, aut qui habent indultum a sanctissima Sede (S. C.), ipsis personaliter et nominatim concessum (Ferr.), et id, non obstante quacumque contraria consuetudine, communicatione

privilegiorum etc. (S. C.). Generales seu publicae processiones, ad quas conveniunt Clerici omnium ecclesiarum illius loci seu civitatis, sunt processiones Litaniarum majorum in festo s. Marci et minorum, seu Rogationum, solemnitatis ss. Corporis Christi, et aliae extraordinariae pro publico bono indictae, ut ad lucrandas Jubilaei indulgentias, ad avertenda flagella, calamitates, non autem processio, quae fit occasione primi accessus Episcopi in suam dioecesim (S. R. C.)

7. Quoad regulares et confraternitates, hi possunt facere publicas processiones in festo et per octavam ss. Corporis Christi, non petita Parochi vel Episcopi venia. Quoad alias autem processiones servandum est decretum gen. Cong. S. C. Ep. et Rit. 21. Augusti 1628., scilicet: „Regularibus et con„fratribus in ecclesiis regularium esse permissum intra eorum „ecclesias et claustra tantum processiones facere, et non extra: „si vero ecclesiae claustro careant, eisdem regularibus et „confraternitatibus licere processiones facere intra ambitum „dumtaxat earumdem ecclesiarum, hoc est prope muros eccle„siae, sive exeundo a janua ecclesiae, et intrando per aliam, „sive per eamdem januam, et semper prope muros ecclesiae, „et non extra dictum ambitum, nisi de licentia, et consensu „Ordinarii, aut cum cruce Parochi:[1] privilegiis apostolicis con„trarium disponentibus per hoc decretum minime censeatur „derogatum.“ Neque eisdem fas est absque licentia mutare vias processionis semel electas (Ferr.).

8. Clerus et populus hora statuta mane in ecclesia congregentur (R.), nec exspectent per vias, seu alio loco (S. C.), similiter omnes redeant in ecclesiam cum Sacerdote, nec ex illa exeant antequam processio absolvatur (S. C.). Processiones prius fieri debent, deinde Missa solemniter celebrari: nisi aliter ob gravem causam interdum Ordinario vel clero videatur (R.).

9. Ante omnes[2] incedere debent confraternitates laicorum (Caer. Ep.), cum cruce, si induantur habitu distincto

---

[1] *Cum cruce Parochi*, id est de licentia, consensu aut cum cruce Parochi (S. C.).

[2] Expediret, ut omnino praeirent bini infantes scholam catechismumve frequentantes, primo masculi, deinde puellae, praelato eorum vexillo sacris imaginibus insignito (Vinitor.).

(S. C.), et secundum ordinem antiquitatis, ita ut recentius in loco seu civitate institutae primae eant (S. C.), excepta tamen confraternitate ss. Sacramenti, cui praecedentia debetur in processione ejusdem ss. Sacramenti (S. C.). Controversias omnes de praecedentia, quae persaepe maximo cum scandalo oriuntur inter ecclesiasticas personas, tam saeculares quam regulares etc., Episcopus, amota omni appellatione, et non obstantibus quibuscumque, componat (Conc. Trid. Sess. 25. cap. 13.).

Secundo loco incedere debent regulares secundum ordinem antiquitatis ut supra dictum est (S. C.), quisque ordo elevans crucem cum velo pendente, a fratre converso delatam (S. C.). Sequuntur magistratus (Caer. Ep.), qui tamen, si consuetudo loci ferat, possunt incedere post celebrantem (S. C.).

10. Clero saeculari praecedentia debetur (Caer. Ep.). Praeferatur crux (R.), a clerico superpelliceo induto, quando rubricae aliter non disponunt (S. C.), inter duos acolythos cum candelabris et candelis accensis in honorem crucis et crucifixi. Crux vero deferenda est cum imagine crucifixi non ad celebrantem aut ad deferentem conversa, sed ut eisdem tergum vertat, quasi Christus praeire videatur (S. C.). Deinde crucem sequuntur 1° clerici seminarii, 2° Sacerdotes exteri, 3° curati ecclesiarum parochialium,[1] superpelliceis induti (Caer. Ep.), dum unum corpus efficiunt, nam si unusquisque ex ipsis elevat crucem, anteire debent seminarii alumnos (S. C.), 4° clerus ecclesiarum collegiatarum, et ecclesiae cathedralis, digniores ultimi (Caer. Ep.), omnes bini et bini (R.), 5° et ultimo Celebrans, medius inter Diaconum et Subdiaconum; nisi Subdiaconus crucem deferat, tuncque Diaconus semper a sinistris Celebrantis incedit (R.). Et ultimo loco processionem sequuntur laici, et quantum fieri potest, feminae a viris separatae (R.), primo scilicet viri, et deinde feminae (AA.).

11. Si adsit societas choristarum, se sistit ad arbitrium

[1] S. R. C. declaravit: In praecedentia Parochorum attendendam esse antiquitatem, et dignitatem ecclesiae parochialis, non autem ipsorum Parochorum, ita ut decanus, qui foret Parochus paroeciae recentius erectae, cedere deberet praecedentiam caeteris.

Episcopi, semper autem praeit clero regulari. Caeremoniarius incedit apud Celebrantem et ejus assistentes, et ubique discurrit, quando opus est, ad dirigendam processionem. Cantores pluvialibus induti non possunt incedere ante baldachinum, sub quo defertur ss. Sacramentum (S. C.).[1]

12. In processionibus deferri possunt statuae imaginesque Sanctorum. In processione autem ss. Sacramenti hoc prohibetur, nisi forte vigeret consuetudo antiqua et sat generalis. Utut sit, prohibetur illas deferri a puellis. Plures Episcopi auctoresque, qui ut strictiores non habentur, reprobant tanquam abusus *detestabiles et consuetudinem damnandam,* usum quorumdam locorum, in quibus puellae deferunt statuam beatae Mariae Virginis (Misc. theol.).[2] Imagines statuaeve non possunt deferri sub umbella, exceptis tamen reliquiis crucis aut instrumentis Passionis Salvatoris nostri (S. C.). Dum instituitur processio in honorem alicujus Sancti, ejus imago praeferatur celebranti, nisi iste gestet ss. Sacramentum, tunc enim inter utrumque distantia congruens intercedere debet (AA.).

13. In processione ad petendam pluviam aguntur omnia, ut in Litaniis majoribus, usque ad finem Litaniarum, in quarum precibus bis dicitur: *Ut congruentem pluviam fidelibus tuis concedere digneris, te rogamus audi nos;* in processione ad postulandum serenitatem bis dicitur: *Ut fidelibus tuis aëris serenitatem concedere digneris, te rogamus audi nos;* in precibus dicendis tempore penuriae et famis, bis dicitur: *Ut fructus terrae dare et conservare digneris;* in processione tempore mortalitatis et pestis bis dicitur: *A peste et fame, libera nos Domine,* et infra suo loco, *Ut a pestilentiae flagello nos liberare digneris* etc.; in precibus dicendis in Litaniis tempore belli, si bellum est contra Turcas et alios infideles, vel haereticos, inter preces Litaniarum bis dicitur: *Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris, te rogamus audi nos,* et addatur, *Ut*

[1] Juxta regulas cantores deferunt tantum superpellicea et procedunt ita, ut dividant corpus aliquod, v. g. seminarii clericos.

[2] Die 7. Decemb. 1844, S. Congregatio mandavit Brixiensi Episcopo, ut prohiberet, ne in processione cum ss. Sacramento adsint adolescentes cum veteris legis habitu, deferentes figuras ss. Eucharistiae, nempe arcam foederis, mensam et panes propositionis, candelabrum etc. Prohibitiones de eadem re antea latas ad ipsius memoriam revocavit. V. *Processio,* n. 6.

Turcarum (vel *haereticorum*) *conatus reprimere, et ad nihilum redigere digneris, te rogamus* etc. In omnibus istis processionibus absolutis Litaniis, dicuntur Psalmus, Versiculi, Orationesque propriae et speciales in Rituali Romano praescriptae (R.).

14. Dum dicuntur preces ad repellendam tempestatem, pulsantur campanae (R.), quae in sua benedictione acceperunt virtutem specialem ad avertenda flagella aeris (AA.), et qui adesse possunt, in ecclesiam convocatis, dicuntur Litaniae ordinariae, in quibus bis dicitur: *A fulgure et tempestate* etc., et post Litanias, Oratio Dominica, Psalmus 147, *Lauda Jerusalem Dominum* cum Versiculis et Orationibus Ritualis. Quibus dictis, aspergatur aqua benedicta (R.) terra et aër (Brff.). Praedictus Psalmus *Lauda Jerusalem Dominum* cum sequentibus precibus dicitur ad januam Ecclesiae, signumque crucis in quarta Oratione, *Domine Jesu, qui imperasti ventis et mari* etc., produci potest tam cum sacris reliquiis quam manu (Brff.), quod tamen signum crucis cum sacra pyxide producere omnino vetitum est (Ben. XIV. Bull.).[1]

15. In processione pro gratiarum actione adhibeantur paramenta albi coloris (R.). Initio processionis cantatur Hymnus *Te Deum,* deinde dici poterunt Psalmi *Jubilate* (65), *Exsultate* (80), *Cantate* (95), *Jubilate* (99), *Benedic* (102), *Laudate* (116), et *Laudate Dominum de coelis,* cum duobus sequentibus, Canticum *Benedicite omnia opera Domini* etc. Canticum *Benedictus Dominus Deus Israel* etc. Haec autem praedicta, prout longitudo itineris postulaverit, vel omnia, vel ex parte cantari possunt. Deinde in ecclesia, ubi fit statio, ante Altare dicuntur Versus et Orationes, *Benedictus es, Domine* etc. etc., *Deus, cujus misericordiae* etc. etc. ex Rituali Romano.

16. Translatio solemnis sacrarum reliquiarum Sancti fieri nequit sine licentia Ordinarii (Jus. can.), et quidem reservatur Episcopis (AA.), ac tantum adhibetur pro insignibus reliquiis

---

[1] Benedicere populum manu, aut cum imagine, reliquia, seu crucifixo non est illicitum; sed talis benedictio non datur nisi finita aliqua functione, quae relationem habet circa rem, cum qua benedicitur. Ad has partes implendas, Sacerdos vestietur superpelliceo et stola imo pluviali, sed nihil dicet, praeterquam dum manu benedicit.

Vetitum tamen esset uti cereō paschali, sanctis oleis, rebusque ejusmodi ad benedicendum populum. *Rev. theol.*, tom. I. pag. 621.

(R.). Prius Episcopus ipse, aut ab illo delegatus verificet authenticitatem sacrarum reliquiarum, illamque verificationem rite probatam includat in dictarum reliquiarum theca, aut in capsula clave obserata ad hunc usum destinata (Cast. Cors. By.). Ecclesia et viae, per quas transeundum est, quam fieri potest, decentius ornentur (R.), et desuper ecclesiae portam deponatur imago Sancti Sanctorumve, quorum sanctae reliquiae transferuntur. Pridie translationis sacrarum reliquiarum, delegatus ab Episcopo Sacerdos iterum illas verificatas deponat super Altare, et post meridiem cantet solemniter Vesperas hujus translationis. Tum accedit, comitantibus clericis, ad sacras reliquias, quas genuflexus veneratur. Deinde facta Oratione, illas incensat. Tum cantatis Hymnis et Psalmis, defert sacras reliquias super Altare ad hunc finem ornatum, populo publice venerandas, cantatque Antiphonam cum Versiculo et Oratione Sancti Sanctorumve, clericis candelas accensas tenentibus, totaque nocte continuo orantibus ante sacras reliquias, et sibi invicem succedentibus. Sequenti die mane cantetur solemniter Missa Sancti, aut saltem in Missa fiat ejus commemoratio, juxta rubricas, habeaturque concio de meritis ac virtutibus Sancti, ut fideles ipsum venerentur. Sub die, extra processionis tempus, sacrae reliquiae remaneant super Altare publicae venerationi fidelium expositae. Hora congruenti, sive ante, sive post processionem, decantentur solemniter Vesperae in honorem Sancti, et expletis Vesperis, sacrae reliquiae includantur in sua capsula a Sacerdote ab Episcopo delegato, praesentibus clericis, et de omnibus peractis testimonium publicum signetur (Cast. Cors.).

Quaenam sint caeremoniae in tali processione servandae, jam in priore parte (pag. 268.) exposuimus.

Caput decimum.

De exorcizandis obsessis a daemonio.

1. Sacerdos, seu quivis alius legitimus ecclesiae minister, vexatos a daemone exorcizaturus, ea qua par est pietate, prudentia, ac vitae integritate praeditus esse debet: qui non sua, sed divina fretus virtute, ab omni rerum humanarum cupiditate alienus, tam pium opus ex charitate constanter et humiliter exsequatur. Hunc praeterea maturae aetatis esse decet, et non solum officio, sed etiam morum gravitate reverendum (R.), qui insuper habeat licentiam Ordinarii (Ben. XIV. Bull.), etiamsi esset regularis (S. C. Ep. apud *Ferr.*).

2. Ut igitur suo munere recte fungatur, cum alia multa sibi utilia documenta, quae brevitatis gratia hoc loco praetermittuntur, ex probatis auctoribus (R.), ut Delrio, Monacelli, Brognolo (Ferr. Brff.), et ex usu noscere studeat, tum haec pauca magis necessaria diligenter observabit (R.).

3. In primis, nota habeat signa obsessionis (R.), nam ab hoc incipiendum, res enim maximi momenti est (Ben. XIV. Bull.), quibus obsessus dignoscitur ab iis, qui vel atra bile, vel morbo aliquo laborant. Nec facile credat aliquem a daemonio obsessum esse (R.), nam pauci vere obsessi sunt (Brff. Monac.).[1] Signa autem obsidentis daemonis sunt, ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere; distantia et occulta patefacere; vires supra aetatis seu conditionis naturam ostendere; et id genus alia, quae cum plurima concurrunt, majora sunt indicia (R.). Magnum signum erit, si medici jurejurando asserant, in vanum adhibita fuisse remedia naturalia (S. C. Ep.). Addi adhuc possunt signa sequentia: Si exorcizandus se objiciat locis praecipitibus; si corpus ejus in-

[1] „Si omnes, qui daemoniaco morbo se laborare dicunt, vere daemoniaci essent, pene totus orbus esset a daemone obsessus, et praecipue totus feminarum grex," ait Baruffaldi, et Monacelli: „Ex centum corporibus, quae a daemone obsessa dicuntur, vix duo erunt vere maleficiata, et haec ut plurimum erunt femellarum, quae plurimis morbis obnoxiae esse solent, et fingunt se esse daemoniacas, licet non sint." P. 3, t. I., form. 47, n. 4.

tumescat in uno loco, statimque restituatur sanitati; deinde si tacitae interrogationi respondeat, vel jussioni non expressae obediat; si alias ignorans omnia optime calleat; si respuat pronuntiare voces sacras; si exsecretur Sacerdotes, praesertim ex orcistam; si nolit intrare in ecclesiam vel ex illa confestim aufugiat; si dedignetur imagines Sanctorum ac crucifixum; si clamet, dum super caput ejus ponuntur, licet occulte, reliquiae Sanctorum etc. (Ferr. Monac.).

4. Haec autem ut magis cognoscat, post unum aut alterum exorcismum interroget obsessum, quid senserit in animo, vel in corpore, ut sciat etiam, ad quaenam verba magis diaboli conturbentur; ut ea deinceps magis inculcet ac repetat (R.).

5. Advertat, quibus artibus ac deceptionibus utantur daemones ad exorcistam decipiendum: solent enim ut plurimum fallaciter respondere, et difficile se manifestare, ut exorcista diu defatigatus desistat, aut infirmus videatur non esse a daemonio vexatus. Aliquando postquam sunt manifesti, abscondunt se, et relinquunt corpus quasi liberum ab omni molestia, ut infirmus putet, se omnino esse liberatum: sed cessare non debet exorcista, donec viderit signa liberationis. Aliqui ostendunt factum maleficium, et a quibus sit factum, et modum ad illud dissipandum; sed caveat, ne ob hoc ad magos, vel ad sagas, vel ad alios, quam ad Ecclesiae ministros confugiat, aut ulla superstitione, aut alio modo illicito utatur. Quandoque diabolus infirmum quiescere, et suscipere sanctissimam Eucharistiam permittit, ut discessisse videatur. Denique innumerabiles sunt artes et fraudes diaboli ad decipiendum hominem, quibus ne fallatur, exorcista cautus esse debet. Quare memor, Dominum nostrum dixisse, genus esse daemoniorum, quod non ejicitur nisi per orationem et jejunium: haec duo potissimum remedia ad impetrandum divinum auxilium, daemonesque pellendos, exemplo sanctorum Patrum, quoad ejus fieri poterit, tum per se, tum per alios curet adhiberi (R.). Quod autem uno die non perficitur (Brff.), ideoque ad id exorcista saltem die praecedenti se praeparet (S. Car.).

6. In ecclesiam, si commode fieri potest, vel in alium religiosum et honestum locum seorsum a multitudine perductus

energumenus, exorcizetur (R.), praesentibus parentibus ac aliquo Sacerdote (S. C. Ep. Ferr.), sed si fuerit aegrotus vel persona nobilis, vel alia honesta de causa, in domo privata exorcizari poterit. Mulierem exorcizans, semper secum habeat honestas personas, quae obsessam teneant, dum exagitatur a daemonio: quae quidem personae sint patienti, si fieri potest, cognatione proximae: atque honestatis memor exorcista caveat, ne quid dicat vel faciat, quod sibi aut aliis occasio esse possit pravae cogitationis (R.). Non exorcizet mulieres praegnantes (Brff.), nec moniales in earum claustris, sed deducantur ad ecclesiam, ac statim a daemonio liberatae fuerint ad cellulas statim reducantur (S. C. Mon. Ferr. Barb.).

7. Admoneatur obsessus, si mente et corpore valet, ut pro se oret Deum, ac jejunet, et sacra confessione et Communione saepius ad arbitrium Sacerdotis se communiat; et dum exorcizatur, totum se colligat, et ad Deum convertat; ac firma fide salutem ab eo deposcat cum omni humilitate. Et cum vehementius vexatur, patienter sustineat, nihil diffidens de auxilio Dei. Caveat proinde exorcista, ne ullam medicinam infirmo vel obsesso praebeat, aut suadeat; sed hanc curam medicis relinquat (R.).

8. Habeat prae manibus, vel in conspectu crucifixum. Reliquiae quoque Sanctorum, ubi haberi possint, decenter ac tuto colligatae et coopertae, ad pectus vel ad caput obsessi reverenter admoveantur; sed caveatur, ne res sacrae indigne tractentur, aut illis a daemone ulla fit injuria. Sanctissima vero Eucharistia super caput obsessi, aut aliter ejus corpori non admoveatur ob irreverentiae periculum (R.).

9. Exorcista ne vagetur in multiloquio, aut supervacaneis vel curiosis interrogationibus, praesertim de rebus futuris et occultis, ad suum munus non pertinentibus; sed jubeat immundum spiritum tacere, et ad interrogata tantum respondere: neque ei credatur, si daemon simularet, se esse animam alicujus Sancti, vel defuncti, vel angelum bonum. Necessariae vero interrogationes sunt, ut de numero et nomine spirituum obsidentium, de tempore, quo ingressi sunt, de causa, et aliis hujusmodi. Caeteras autem daemonis nugas, risus, et ineptias

exorcista cohibeat, aut contemnat; et circumstantes, qui pauci esse debent, admoneat, ne haec curent, neque ipsi interrogent obsessum; sed potius humiliter et enixe Deum pro eo precentur (R.).

10. Exorcismos vero faciat ac legat cum imperio et auctoritate, magna fide, et humilitate, atque fervore: et cum viderit spiritum valde torqueri, tunc magis instet et urgeat. Et quoties viderit obsessum in aliqua corporis parte commoveri aut pungi, aut tumorem alicubi apparere, ibi faciat signum crucis, et aqua benedicta aspergat, quam exorcizando in promptu habeat. Observet etiam, ad quae verba daemones magis contremiscant, et ea saepius repetat; et quando pervenerit ad comminationem, eam iterum et saepius proferat, semper poenam augendo: ac si videat, se proficere, in ipsa perseveret per duas, tres, quatuor horas, et amplius, prout poterit, donec victoriam consequatur[1] (R.).

Dum exorcizat, utatur sacrae Scripturae verbis potius, quam suis aut alienis. Jubeatque daemonem dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut malefica signa, vel instrumenta; quae si obsessus ore sumpserit, evomat; vel si alibi extra corpus fuerint, ea revelet, et inventa comburantur (R.). Non tamen in hoc fides adhibeatur daemonis responsis (Brff.). Moneatur etiam obsessus, ut tentationes suas omnes exorcistae patefaciat. Si vero obsessus liberatus fuerit, moneatur, ut diligenter sibi caveat a peccatis, ne occasionem daemoni praebeat in ipsum revertendi, ne fiant novissima hominis illius pejora prioribus (R.).

11. Itaque Sacerdos, sive alius exorcista, rite confessus, aut saltem corde peccata sua detestans, peracto, si commode fieri potest, sanctissimo Missae sacrificio, divinoque auxilio piis precibus implorato, superpelliceo et stola violacca, cujus extrema pars ad obsessi collum circumponatur, indutus, et coram se habens obsessum ligatum, si fuerit periculum, eum, se et astantes communiat signo crucis, et aspergat aqua bene-

[1] Maximo cum fructu lector adibit eximium opus P. Brognoli *Alexicacon*, tom. 1. et 2.; aut ejus *Manuale exorcistarum*. Auctor ille per longum tempus exorcistae munus adimplevit, ac plurimos energumenos liberavit.

dicta, in genibus flexis, aliis respondentibus, dicat Litanias ordinarias usque ad preces exclusive (R.).

12. Exorcista ad amussim adhibeat praescripta in Rituali Romano (Bened. XIV. Bull.), exorcismos et preces, quibus nihil vel minimum licet demi, addi atque mutari absque peccato (S. Car.). Caeterum Clemens XI. prohibuit exorcistis, ne a praescriptis devient (Ben. XIV.), formulaeque ab iisdem alienae stricte prohibentur (Index.).

Caput undecimum.

Formulae scribendae in libris habendis a Parochis.

§. I. De libro baptizatorum.

1. Liber baptizatorum habeatur in ecclesiis, in quibus confertur Baptisma (R.), ita ut, si in quibusdam civitatibus fons baptismalis existat tantum in ecclesia cathedrali, in ipsa, non autem in quacumque ecclesia parochiali, liber baptizatorum habeatur (Baruff.).

2. Forma describendi baptizatos in libro haec est: „Anno.... „Domini die.... mensis...., ego N., Parochus hujus ecclesiae „S. N. civitatis *vel* loci N. baptizavi infantem, natum (natam) „die.... ex N. et N. conjugibus hujus parochiae *vel* parochiae „S. N. et ex tali patria et familia, cui impositum est nomen „N. Patrini fuerunt N. filius N., ex parochia seu loco N., et N., „conjux N. filia N. ex parochia *seu* loco N.“

Advertat in primis Parochus, ut in libris tam baptizatorum et confirmatorum, quam matrimoniorum et defunctorum, exprimat semper non solum nomen personarum, quae ibi nominantur, sed etiam familiam (R.), ut in posterum praecaveatur omnis confusio, et veritas omnino eluceat in testimonio faciendo.

3. Si infans non fuerit ex legitimo matrimonio natus, nomen saltem alterius parentis, de quo constat, scribatur (omnis tamen infamiae vitetur occasio); si vero de neutro constat, ita

scribatur: *Baptizavi infantem, cujus parentes ignorantur, natum die* etc. ut supra (R.), et si nomen patris scribatur, addatur: *ut dicitur, ut relatum fuit, ut institerunt scribi.* Si autem infans natus fuerit ex adulterio, nec quidquam particulare Parochus scribat, quippe cum ipsius non sit judicare de ejus legitimatione (Baruff.)

4. Si expositus sit infans, exprimatur quo die, ubi, et a quo repertus, et quot dierum verisimiliter sit, et baptizetur sub conditione, si ignoratur fuisse baptizatum (R.).

5. Si infans domi ob imminens mortis periculum baptizatus sit (R.), casu quo supervixerit (Baruff.), et etiamsi immediate mortuus fuerit (Monac.), tunc ita scribatur: „Anno...., „die.... mensis, natus est N. filius, N. et N. conjugum etc. *ut „supra,* quem ob imminens periculum, in domo rite baptiza„vit N., obstetrix probata, *vel* N. filius M. ut mihi retulit N.“ Si supervixerit infans, et ei adhibitae sint in ecclesia sacrae caeremoniae, ita additur: „Die.... ejusdem mensis ad ecclesiam „portatus est infans praedictus, ipsique ego Parochus sacras „caeremonias et preces adhibui et N. nomen imposui“ (R.).

6. Si forte non Parochus, sed alius baptizaverit, id exprimatur. Si fuerit baptizatus sub conditione (si non est baptizatus etc.), id pariter exprimatur (R). Similiter in baptismo adulti exprimuntur omnes particulares circumstantiae, videlicet, an fuerit Judaeus, infidelis etc. (Baruff.)

§. II. De libro confirmatorum.

1. Hic liber habeatur in ecclesiis, ubi Sacramentum confirmationis confertur. Forma describendi confirmatos est sequens: „Anno...., die.... mensis...., qui fuit dies.... N. filius N. „et N. conjugum, *vel* N. filia N. *(et si fuerit nupta, addatur,* „uxor N.), Sacramentum Confirmationis accepit a Reverendis„simo D. N. Episcopo N. in ecclesia S. N., civitatis N. *vel* „loci N. Compater fuit N., filius N., parochiae S. N. civita„tis N. *vel* loci N. (R.).“ Congruum est etiam, ut describatur aetas confirmatorum (Monac.). Patrinus autem necessario adhibetur (S. C. C.), licet unus possit esse compater, non tamen plurium quam decem confirmatorum (AA.).

2. Marium descriptio in una pagina, seu prima facie folii, feminarum vero in altera sejunctim notetur. Si confirmatus non constet, an ex legitimo matrimonio genitus sit, vel parentes ignorentur, servetur, quod in libro baptizatorum praescriptum est (R.).

§. III. De libro matrimoniorum.

1. Quilibet Parochus habeat librum Matrimoniorum. Forma describendi conjugatos in hoc libro est sequens: „Anno...., „die.... mensis...., denuntiationibus praemissis tribus continuis „diebus festivis, quarum prima die...., secunda die...., tertia „die...., inter Missae parochialis solemnia habita est, nulloque „legitimo impedimento detecto, ego N., rector hujus ecclesiae „parochialis N. civitatis *vel* loci N., filium N., parochiae S. N. „et N. filiam N. (seu relictam quondam N., *si vidua fuerit)* „hujus *seu* parochiae S. N. in ecclesia N. interrogavi, eorum- „que mutuo consensu habito, solemniter per verba de prae- „senti matrimonio conjunxi, praesentibus testibus notis N., „filio N., qui habitat in parochia S. N. et N., filio N. etc. „Postea eis ex ritu sanctae Matris ecclesiae *(si tamen nuptias „benedixerit),* in Missae celebratione benedixi (R.).“ Exprimat etiam semper non solum nomen personarum, quae ibi nominantur, sed etiam familiam (R.).

2. Si unus ex iis, qui Matrimonium contrahere voluerint, alterius parochiae fuerit, antequam admittatur, Parochus, in cujus ecclesia Matrimonium celebrari debet, denuntiationum in ejus parochia rite factarum fidem scriptam habeat, quae asservetur, et res tota exprimatur in ipsomet libro Matrimoniorum, hac ratione: „Denuntiationes ejus Matrimonii factae sunt „etiam a R. D. N., Parocho ecclesiae S. N., sub cujus „cura dictus N. *vel* dicta N. habitat, ut ex ipsius Parochi „scripto servato apud me apparet. Denuntiationum autem prima „facta est die....; secunda, die....; tertia, die...., inter Missae „parochialis solemnia, nullumque impedimentum canonicum de- „tectum est“ (R.).

3. Si autem alteruter sit diversae dioecesis, testimonium Parochi affirmantis denuntiationes esse rite praestitas, nullius

roboris censeatur, nisi ab Episcopo, vel ab ejus Vicario generali illius dioecesis subscriptione et sigillo comprobatum, et ab Episcopo, seu ejus Vicario loci, ubi contrahitur Matrimonium, recognitum sit, ab eoque licentia contrahendi fuerit obtenta (R.).

4. Ubi vero Ordinarii concessu (quod scripto constare debet) denuntiationes aliquae differendae, aut omittendae interdum sint, ita notentur: „Anno Domini...., die.... mensis...., de„nuntiationum una die festo.... rite facta, reliquis vero dilatis „post Matrimonii celebrationem, ex facultate scripto concessa „a Rev. N. *seu* Vicario N., sub die.... datis etc. infrascripti te„noris, quam penes me servo, cum aliis hujusmodi facultatibus, „nulloque prorsus impedimento allato, ego etc.“ *ut supra.* Si autem denuntiationes omnes omittendae sint aut differendae, ita scribatur: „Denuntiationibus omnibus omissis, vel dilatis etc., „ex facultate etc., ego rector N. etc. *ut supra.*“ Denuntiationes vero, quae post contractum Matrimonium fient, ita scribantur: „Anno...., die.... mensis...., qui fuit festus.... etc., et „sequenti, qui fuit dominicus etc., ejusdem mensis, ego N., „rector hujus ecclesiae S. N., inter Missarum solemnia, denun„tiationes habui matrimonii, jam praevia opportuna dispensa„tione initi inter N. et N. die prima hujus mensis, nullum „tamen canonicum impedimentum ab aliquo allatum est, quo„minus hujusmodi Matrimonium ratum ac firmum esse debeat.“

5. Caeterum, si alteri Presbytero ab Ordinario, vel a Parocho ipso facultas facta sit conjungendi aliquos, id in libro proprii Parochi sic annotetur, ipsius Parochi manu: „N. Pres„byter vel capellanus ecclesiae N., de licentia RR. Episcopi N., „seu ejus Vicarii N. aut mea, quae penes me exstat, N. fi„lium N. et N. etc., in Matrimonium conjunxit etc. ut supra. „Et ego N. Parochus N. subscripsi, et testor, rem ita se ha„bere (R.).“ Ex quo videtur licentiam ipsiusmet Parochi scripto dandam esse (Baruff.).[1]

6. Quod si ex denuntiationibus compertum sit, conjuges

[1] Quare tamen licentia ab ipso Parocho data, qui subscribit in libro instrumentum Matrimonii, debeat esse in scriptis, non facile intelligitur, cum ipsemet rem testetur.

aliquo consanguinitatis aut affinitatis gradu conjunctos esse, et nihilominus ad contrahendum fuerit cum ipsis apostolica auctoritate dispensatum, adnotetur gradus consanguinitatis vel affinitatis dispensatae, et compendium decreti super ea relati cum die et anno, ac notarii de illo rogati nomine, hoc modo: „Anno Domini...., die.... mensis...., praemissis denuntiationibus „ac comperto impedimento secundi, vel tertii, aut quarti gra- „dus consanguinitatis, *vel* affinitatis, *seu alio quovis* etc., inter „N. et N., obtentoque per eos Apostolicae Sedis mandato de „dispensando, et cum eis per RR. Episcopum N. auctoritate „dispensato sub die.... anno, ut constat ex actis Notarii Officii „praedicti Episcopi, eos Matrimonio conjunxi etc.“ *ut in praedicta formula.*

7. Denuntiationes autem factae in diversis parochiis, sponsi videlicet et sponsae, ab utroque Parocho in libro notari debent, etiamsi Matrimonium non sequatur (R.). Notandum, negligentiam in hoc facilius mortale peccatum esse (Baruff.).

§. IV. De libro status animarum.

1. Quilibet Parochus habeat librum status animarum (R.), et quidem in aliquibus dioecesibus tenetur illum quotannis renovare, ac illius apographum ad sedem episcopalem tempore paschali mittere (Baruff.). Familia quaeque distincte in libro notetur, intervallo relicto ab unaquaque ad alteram subsequentem, in quo singillatim scribantur nomen, cognomen, aetas singulorum, qui ex familia sunt, vel tanquam advenae in ea vivunt.

2. Qui vero ad sacram Communionem admissi sunt, hoc signum *C.* in margine e contra habeant; qui Sacramento Confirmationis sunt muniti, hoc signum habeant *Chr.,* qui ad alium locum habitandum accesserint, eorum nomina subducta linea notentur.

3. Hac igitur ratione fiat, videlicet:

Anno...., die.... mensis...., in via *seu* platea *vel* pago, in propriis aedibus Pauli N. *vel* in aedibus N. a Paulo conductis habitant:

Chr. Paulus N. Petri filius, annorum etc.
Chr. Apollonia, ejus uxor, filia Jacobi N., annorum etc.
C. Dominicus eorum filius, annorum etc.
Lucia eorum filia, annorum etc.
C. Chr. Antonius, filius N., famulus, annorum etc.
C. Catharina N. filia N. ancilla, annorum etc.
Martinus, filius N., annorum etc.

Alia adhuc adnotentur, et quidem utiliter signo particulari status animarum sive virtutes sive vitia quorumdam parochianorum. Talis liber perutile est non tantum parocho, qui illum scripsit, sed etiam ejus successoribus in animarum cura. Caute tamen, nostro praesertim infausto aevo, quae reprehensione digna sunt scribenda, ne Parochus de calumnia, coram judice laico postuletur.

§. V. De libro defunctorum.

Hunc librum defunctorum quilibet Parochus habeat. Describatur quis, et quae, et cui Sacramenta ministraverit, quando quis mortuus fuerit, et ubi sepultus, quod hoc pacto fieri poterit.

„Anno...., die.... mensis.... N. filius, *vel* filia N. ex loco N. „aetatis N. *(si haec sciri possunt)* in domo N. in Communione „S. Matris Ecclesiae animam Deo reddidit, cujus corpus die.... „sepultum est in ecclesia S. N. — mihi N. *vel* N., confessario „probato, confessus die.... sanctissimoque Viatico refectus die.... „et sacri Olei unctione roboratus per me die.... etc.“ (R.).

Parochus igitur annotare curet in libro defunctorum, si qui ex parochianis e vita decesserit subito, vel casu aut crimine (Baruff.), nec omittat subsignare actus Baptismi, Confirmationis etc., quod si non fecerit diligenter, isti actus non habebuntur authentici, nec ulla vi fruentur (AA.).

Appendix I.

Instructio Clementina pro Oratione XL Horarum.

Ex italico sermone in latinum versa.

Instructio et Ordo servandus in Oratione Quadraginta Horarum continua, cum expositione ss. Sacramenti pro Ecclesiae necessitate, juxta piam ss. Pontificum mentem, de mandato Sanctitatis Suae Clementis XII. confirmata atque iterum promulgata.

Prosper Marefoschi, tituli s. Silvestri in capite Cardinalis, Sanctitatis Suae Vicarius Generalis etc.

Cum ab ipso tempore, quo introducta est ss. Sacramenti expositio pro 40 Horarum Oratione continua, datae fuerint plures ordinationes hujusmodi sacrae functionis decorem spectantes, cumque easdem apprime observare, necnon abusus in quibusdam ecclesiis irrepentes tolli curandum sit, de speciali mandato Sanctitatis Suae, vivae vocis oraculo nobis dato, in omnibus almae Urbis ecclesiis, tam patriarchalibus quam collegiatis et parochialibus, sicuti et in quavis alia ecclesia, sive saecularium, sive regularium, quolibet modo privilegiata, ac speciali mentione digna, in qua praedicta 40 Horarum Oratio obtinebit, sub infrascriptis poenis, quaecumque in hac novissima instructione praescribuntur, inviolabiliter observare ordinamus et praecipimus:

1. Supra januam ecclesiae, in qua fit expositio, et a capite vicinae viae, ponatur signum ss. Sacramenti sertis festivis

ornatum, ut transeuntibus innotescat inibi fieri ss. Sacramenti expositionem.

2. SS. Sacramentum exponendum erit in Altari majori (exceptis tamen basilicis patriarchalibus, in quibus in alio Altari exponi consuevit), cooperianturque imagines vel statuae quae ibidem reperiuntur, item tribunae, parietes, Altariaque vicina, deficientibus ornamentis fixis, pannis cooperiantur; verum caveatur, ne inter apparatus sint historiae resve profanae.

In Altari non ponantur Sanctorum reliquiae aut statuae (non exclusis tamen Angelorum statuis, quae candelabrorum vicem gerunt); multo minus ponantur animarum purgatorii figurae, cujusvis sint materiae; quod etiam prohibetur in omnibus expositionibus particularibus, imo etiam in iis, quae in illarum animarum suffragium quandoque instituuntur.

3. Super Altare praedictum et in eminenti situ, sit tabernaculum, sive thronus cum baldachino proportionato albi coloris; supra cujus pedem ponatur corporale ad reponendum ostensorium aut custodiam radiis circumfulgentem; contra vero quivis absit ornatus, ex quo ss. Sacramenti aspectus impediatur.

4. Ad Altare continuo ardeant viginti saltem lumina, sex nempe candelae unius librae, quarum tres ab unoquoque latere crucis, et octo candelae in superiori parte, cum aliis quatuor a partibus ostensorii, in cujus parte anteriori nullum omnino ponatur lumen; adsint tandem duo candelabra cum cereis, quorum unusquisque trium saltem sit librarum. Idem quoque, clausa ecclesia, per noctem retineatur luminum numerus, quorum decem saltem sint ex cera; tempore autem vespertino, tot in ecclesia ponantur lumina, quot ad vitandam confusionem sufficiant, accensaque remaneant usquedum januae claudantur. Fenestrae Altari expositionis vicinae, etiam per diem claudi aut cooperiri poterunt, ad fovendam fidelium in Oratione recollectionem.

5. Nemo saecularis, etsi cujusvis societatis sacco vestitus, ad Altare circumire audeat ad lumina curanda aut ad aliud quid agendum; sed adesse debet Sacerdos aut saltem Clericus, cum superpelliceo, quod super propriam vestem regulares

etiam cujuslibet religionis induent; notandum praeterea, ex decreto S. R. C. *Urbis 19. Augusti 1651,* a quibuscumque personis cujusvis conditionis et ordinis, transeuntibus ante ss. Sacramentum expositum, in accessu et recessu, faciendam esse, flexis duobus genibus, reverentiam. Quod attinet ad Sacerdotem, Missam privatam celebrantem, sciendum, dari ejusdem s. Congregationis decretum *Urbis 7. Septembris 1638,* quo praescribitur ut, transiens ante Altare, in quo expositum manet ss. Sacramentum, adorationem faciat flexis genibus et capite detecto, dein surgat caput tegendo.

6. Durante expositione, in ecclesiae porta sive ad intra, sive ad extra, prout commodius erit, appendatur tapetum in veli forma, cum aliquo tamen spatio a lateribus, pro populi commoditate, illudque ita disponatur, ut a via nunquam possit aspici ss. Sacramentum.

7. Per vices unus aut alter Sacerdos, vel saltem aliqui in alio sacro ordine constituti, superpelliceo vestiti, si fieri potest, (etsi regulares sint), continuo adsint genuflexi, non supra genuflexoria, sed ad aliquod scamnum, tapeto pannove rubro, aut alterius coloris et decentis qualitatis coopertum, prope infimum Altaris gradum, orantes die ac nocte. Ubi autem existit aliqua confraternitas, suis vicibus pariter, assistant saltem duo confratres ad scamnum panno viridi alteriusve decentis coloris coopertum, sed extra presbyterium atque a dictis Sacerdotibus distantes, et cum omni devotione in adstantium aedificationem orent, sed submissa voce, ne caeteris distractiones afferant.

8. In sacristia sit horologium, saltem pulveritium, ad singulorum adorationis tempus dignoscendum; de quo omni diei ac noctis hora dabitur signum cum majori campana.

9. Pridie expositionis vespere, dato signo pro *Ave Maria*, ad commonendum populum, solemni modo campanae pulsentur; idemque fiat mane sub aurora, et, durante expositione, post alia omnia signa salutationis *Ave, Maria:* pariterque triplici vice de more pulsentur ante Missas solemnes.

10. In Altari, ubi est expositum ss. Sacramentum, nulla alia celebretur Missa praeter solemnem in expositione et

repositione. Hisce diebus[1] praeter conventualem (in ecclesiis, in quibus datur obligatio eam cantandi), celebretur post Nonam Missa ss. Sacramenti votiva *pro re gravi,* exceptis tamen omnibus Dominicis 1ae aut 2ae classis, et omnibus diebus, in quibus juxta calendarium tam universale quam particulare illius ecclesiae, in qua fit expositio, pariter fit officium 1ae aut 2ae classis, item excepta feria 4a Cinerum, feria 2a, 3a et 4a majoris Hebdomadae, omnibus diebus per octavas Paschae et Pentecostes, vigiliis festorum Natalis Domini et Pentecostes, atque per octavam Epiphaniae;[2] in hisce Dominicis, aliisque diebus, et feriis exceptis, canetur Missa conventualis cum adjuncta Oratione ss. Sacramenti *sub una conclusione,* quae omnia in omnibus ecclesiis, tum saecularium, tum regularium servabuntur.

Die autem medio, praeter Missam conventualem, post Nonam cantari debet votiva Missa *pro pace* vel alia a Sua Sanctitate praescripta, prout in elencho 40 Horarum expressum fuerit, sed semper sub eadem exceptione quoad dies supra relatos, et sub eadem quoad Orationem.

Verum in ecclesiis non collegiatis, et ubi non datur obligatio Missam conventualem cantandi; in praefato die medio solemniter canenda est praedicta Missa votiva, cum Oratione et sub regula supra exposita pro Missa ss. Sacramenti. Ea tamen Missa canenda est in Altari, ab eo in quo fit expositio, et ab eo, in quo adsit tabernaculum cum incluso Sacramento, diverso. In ecclesiis autem, quae obligationem habent Missam conventualem cantandi, ea cantabitur in alio Altari, uti dictum est.

Expresse jubetur, ut in diebus expositionis, medio, et repositionis, cum ministris paratis Missae canantur, et non aliter, etiam in ecclesiis regularium, non obstante quocumque eorum usu aut praetensa consuetudine in contrarium.

In Missis autem privatis, quae, durante expositione, celebrantur, non pulsetur campanula ad elevationem, sed tantum

---

[1] Prima et tertia scilicet.

[2] Sic intelligendus est textus Instructionis subobscurus, ut bene probat Gardellini.

in egressu Celebrantis e sacristia, detur tenue signum cum solita campanula.

Non celebrentur Missae *de Requiem* tempore, quo peragitur Oratio 40 Horarum; et Missae ss. Sacramenti, quae diebus a rubrica permissis celebrabuntur, pariter votivae sint sine *Gloria* et *Credo*. In aliis vero Missis currentis diei, post Orationes a rubrica praescriptas, addatur Oratio ss. Sacramenti, ita mandante Sua Sanctitate.

11. Celebrans, ss. Sacramentum in processione delaturus, pluviali albo indutus erit, quando non celebraverit cum paramentis alterius coloris, nam in hoc casu color Missae retineretur. Velum autem humerale erit albi coloris in quocumque casu, et sacrorum ministrorum paramenta ejusdem coloris ac celebrantis, ut supra. Pariter pallium Altaris, in quo fit expositio, semper erit albi coloris, quamvis diversi coloris sint paramenta Missae solemnis, quae in hoc die celebratur. Item baldachinum inserviens processioni albi coloris esse debet.

12. Finita Missa solemni pro expositione, Celebrans et ministri, factis Sacramento debitis reverentiis, ad latus Epistolae recedunt, ibique Celebrans manipulum (pariterque ministri) deponit, planetam exuit pluvialeque assumet; incensum postea in duobus thuribulis ponet, illud non benedicendo, et cum ministris, in medio genuflexis, ter Sanctissimum adolebit. Postquam processio fuerit ordinata (quae ordinari incipiet, facta elevatione, aut prius, prout magis aut minus erit numerosa), Diaconus, congruo tempore, facta super scabellum genuflexione, Sacramentum assumet, illudque stans genuflexo dabit Sacerdoti, statimque, Diacono genuflectente, Celebrans, manibus ab extremitate veli humerali coopertis, illud assumet et surget.[1] Incepto dein a cantoribus Hymno *Pange lingua* etc., sub baldachino procedit, submissa voce Psalmos et Hymnos recitans cum ministris pluvialis fimbrias sustinentibus.

13. Processio ex toto ecclesiae Clero componetur, crucifer in hac functione, non subdiaconali habitu, sed superpelliceo erit indutus. Intererunt, superpelliceo induti, et cum cereis

[1] Tunc non datur benedictio.

ardentibus in manu, octo Sacerdotes, qui hinc inde a lateribus ante baldachinum ibunt, post ipsos subsequentur duo acolythi cum thuribulis, continuo per viam Sanctissimum incensantes; et, durante processione, campanae solemniter pulsabuntur.

14. Intra ecclesiam fiet processio; quod si ecclesiae angustia exigat, per plateam exire poterunt, sed non longius; et priusquam ab ecclesia egrediatur, curandum erit, ut plateae via nitide fuerit mundata. Ubi vero occurrit officina, tempore processionis erit claudenda.

15. Quod si existant saecularium confraternitates, sive sacco sint induti, sive non, tam eorum guardiani et officiales, quam confratres, omnes simul ii capitulariter progredientur ante ibi praesentem saecularem et regularem Clerum, cui semper digniorem locum cedere debebunt. Imo prohibetur districte, ne earum guardiani aliique officiales, sub quovis praetextu consuetudinis aliove quocumque, audeant post baldachinum incedere, sub poena etc. Possunt tamen dicti officiales hastas baldachini portare, officium sane magni honoris, ut ait *Caeremoniale Episcoporum,* lib. II. cap. 33: *Deputentur nobiles viri, barones* etc.

Quinimo dicto clero tam saeculari quam regulari praecipimus, ut in propriis ecclesiis usum contrarium non permittant, sub poenis in edicto anni 1689. expressis.

16. Cum processio in ecclesiam regressa fuerit, jamque ad infimum Altaris majoris gradum Celebrans pervenerit, Diaconus genuflexus Sanctissimum recipiet ab eodem Celebrante (qui statim ipse genuflectet, velum humerale deponens), illudque infra throno reponet ac ad suum locum redibit, factis debitis reverentiis: statim vero cantores (cum mora) cantabunt *Tantum ergo* etc., et, dum intonant *Genitori Genitoque,* Celebrans, cum ministris erectus, ibidem in medio et absque benedictione incensum ponet in thuribulo, et genuflexus ter Sacramentum adolebit. Hymno autem finito omissoque *Panem de coelo* etc., canentur Litaniae positae in libro pro 40 Horarum Oratione edito. (Quo libro jure et absque ulla immutatione utendum erit in alia quavis Sanctissimi expositione particulari.) Precibus jam dictis, Celebrans (cui librum sustinebunt ministri)

erectus, et absque nova genuflexione, manibus junctis, cantabit *Dominus vobiscum*, cum Orationibus subsequentibus; quibus finitis, omnes genuflexi brevem instituent Orationem, post quam recedunt, teguntque caput, dum e conspectu ss. Sacramenti recesserint; sicque incipiunt Preces 40 Horarum.

17. Juxta S. R. C. Celebrans uti non debet cubiculari sede, sed scammo (brachia non habente) cujus ornetur pars posterior rubri alteriusve decentis coloris panno, et in quo simul cum ministris sedeat. Multo minus sedibus cubiculariis uti debent in ecclesiis guardini, deputati et officiales confraternitatum, societatum aut congregationum laicalium; sed sedebunt in scamno cum dorso, brachia tamen a lateribus non habente, et absque ullo usu cussinorum, sicuti et absque gradino et genuflexorio coram ipsis; illud autem scamnum omnino extra presbyterium collocabitur, quando praedicti Missis aut Vesperis solemnibus assistent, aut quando in presbyterio a clero celebrabitur aliqua sacra caeremonia, aut quando concio erit in ecclesia, juxta pluries declarata a S. R. C. et in particulari, per Decretum generale diei 13. Martii 1688. Attamen, si ob ecclesiae formam conveniens locus non daretur extra presbyterium, tunc concedi poterit, ut guardianorum scamnum collocari possit in unius lateris facie, extra terminum presbyterii. Viris et mulieribus cujuslibet status aut conditionis (exceptis regiis personis, ubi adsunt) districte prohibetur, ne in presbyterio seu circuitu Altaris, in quo expositum est Venerabile, ingrediantur et orent, cum praefatus locus occupari solum debeat ab ecclesiasticis, divino ministerio aut adorationis officio addictis. Idque observandum est non solum in ecclesiis, in quibus ordinaria recurrit expositio, sed etiam in aliis omnibus, in quibus ex Indulto Apostolico, aut ex alia legitima facultate, expositio fieri, licet per breve tempus, contingat. Rem ita fieri providebunt superiores aut sacellani, etiam adhibita scamnorum congerie, si opus fuerit. Mandamus praeterea ac praecipimus rectoribus et superioribus cujusvis ecclesiae, tam saecularibus quam regularibus, ut, durante expositione, non praesumant quodlibet sedium genus cuipiam personae cujusvis sexus, gradus et conditionis, et reverentiae concedere.

18. Tempore expositionis, licet particularis, non apponantur in ecclesiis, lances ad eleemosynas deponendas, neque stabunt ad eas recipiendas religiosi aliive ecclesiastici, neque laici; sicuti neque clerici, confratres, mandatarii aliaeve personae quaestuantes per ecclesiam circuibunt. Multo minus id agere poterunt pauperes, qui ab ecclesiae januis decem cannis distantes stabunt, sub poenis etc. Idcirco cura pariter erit superioribus et sacellanis aliisque assistentibus custodibus, orantium scilicet fidelium distractionis vitandae gratia, invigilare, ne ecclesiam ingrediantur pauperes (eleemosynam petentes); cum rite possint benefici extra ecclesiam eleemosynas dare, prout ordinavit S. Sanctitas Clemens XI, in speciali edicto, in quo omnibus fidelibus prohibet, ne in ecclesiis eleemosynam distribuant.

19. Notandum Orationi finem in una ecclesia dari non licere, nisi postquam eadem in altera jam incoeperit; idque servabitur ab unaquaque ecclesia, etsi basilica aut collegiata, aut quolibet modo privilegiata.

20. Finita repositionis Missa, Celebrans assumet pluviale (observando ritum respective supra descriptum pro Missa expositionis), et cum ministris coram ss. Sacramento in medio super infimum Altaris gradum genuflectet. Cantores statim intonabunt Litanias, quae continuabuntur usque ad *Domine, exaudi orationem meam,* inclusive. Deinde erectus Celebrans, cum ministris in medio, ponet incensum absque benedictione, et genuflexus ter ss. Sacramentum adolebit, atque assumet velum humerale.

Incensatione peracta Diaconus, cum debitis reverentiis, Sacramentum e throno levabit, statimque stans genuflexo Celebranti illud consignabit, ipso genuflectente Diacono statim ac Sacramentum consignaverit. Caeterum observanda veniunt respective quae supra, ubi de expositione agebatur, de caeremoniis ac ritu processionis, dicta fuere, etc.

21. Post processionem, Celebrante ad infimum Altaris gradum regresso, Diaconus genuflexus ab ipso stante recipiet Sanctissimum, coram quo Celebrans immediate genuflectet, velumque humerale deponet.

Diaconus autem ss. Sacramentum in medio Altaris supra cor-

porale reponet, et ad suum locum redibit. Celebrans vero, sub *Genitori genitoque* cum ministris erectus, absque benedictione incensum ponet, ut supra, et Sacramentum incensabit. Cantores dicent Versiculum *Panem de coelo* etc., (cui adjiciendum *Alleluia,* tempore paschali ac per totam octavam *Corporis Christi* in qualibet expositione), tum Celebrans erectus, nec iterum genuflecteus, sustinentibus librum ministris (omisso *Dominus vobiscum,* ex decreto S. R. C.), Orationes, manibus junctis, cantabit; quibus finitis, genuflexus humerale velum assumet, atque solus ad Altare ascendens, debitis factis reverentiis, in manibus, uti dictum jam fuit, cum veli humeralis extremitatibus, ostensorium capiet, quocum populo benedictionem impertietur, atque Sacramento supra corporale reposito, descendet suoque loco genuflexus manebit. Statim Diaconus aut Sacerdos cum stola, debitis factis reverentiis, Sacramentum includet in tabernaculo, quod ad hunc finem in Altari expositionis retinendum erit, hostia autem consecrata in Missa consumenda est, sive in hac, sive in sequenti die. His peractis, recedunt, sicque finem obtinebit Oratio 40 Horarum.

22. Tempore quo durabit eadem Oratio, districte interdicitur praedicare; verum si quis, ad fovendam fidelium erga ss. Sacramentum devotionem, brevem concionem post Vesperas instituere velit, licentiam a Nobis, aut a s. Excell. Nostro Vice-Gerente, etiam pro ecclesiis regularium, et quomodocumque privilegiatis petere debebit, et non modo in expositione 40 Horarum, sed etiam in qualibet expositione: quae licentia dari debet in scriptis. Praedicaturus autem in ordine saltem diaconali erit, atque superpelliceo indutus, quamvis regularis sit, sed sine stola, capite discooperto, prope Altare, in quo Sanctissimum manet expositum, atque tandem in eo situ, ut auditores non adducat ad actus irreverentiae, convertendo terga ad Sacramentum.

23. Ecclesiae, in quibus instituetur 40 Horarum Oratio, vespere donec aderit populus ad orandum, apertae manere debebunt; quoniam tamen hac in re aliqua determinatio horae stabiliri nequit, tum ob ecclesiarum situm, tum ob temporum mutationem, ideo circa horam tertiam in aestivo, et circa

quintam in hiemali tempore claudi poterunt. Advertendum interea, quod, etiam januis clausis, continuari debet Oratio, prout dictum fuit n° 8., cum dicta Oratio nunquam interrumpi potest, ex decreto S. R. C.

24. Romae in qualibet ecclesia, ad informationem fidelium, in apparenti loco affixus remanebit Elenchus 40 Horarum.

25. Pariter in quavis ecclesia, in qua expositionem institui statutum est, in sacristia continuo affixa erit praesens Instructio, ut nemo valeat regularum ac praescriptorum in ea traditorum ignorantiam praetendere.

26. Extra ordinem in Elencho 40 Horarum assignatum, nullus rector, curatus aut sacellanus, exponere ss. Sacramentum audeat, sub quovis praetextu, aut consuetudine, ob causam gravem, aut pro infirmis, absque speciali Breve Sanctitatis Suae, aut saltem absque licentia a Nobis, vel a s. Excell. Vice-Gerente et a Deputato 40 Horarum subscripta: qua obtenta, exponetur Venerabile in Altari aut in capelia obducto velo, et servato supradicto 20 luminum numero. Observandum item ad amussim tempus, quo expositio durare potest, prout in dicta licentia assignatur, sub poenis etc.

27. Tandem districte praecipitur, ut omnia supra enuntiati Ordinis mandata inviolabiliter observentur.

Datum ex solita residentia Nostra, hac 1ª die Septembris 1736.

P. Card. *Vicarius.*

Carolus Guazzuglia, *Deputatus.*

Nicolaus Antonius *Canonicus* Cuggio *Secretarius.*

Appendix II.

De nonnullis materiis canonicis ad s. Liturgiam spectantibus.

§. I. De Sodalitatibus.

1. Parochus, cum vult in sua ecclesia confraternitatem erigere, suum Episcopum adeat, ut ab eo facultates necessarias obtineat; si vero agatur de confraternitate sub regimine superioris regularis posita, iste adi debet cum litteris testimonialibus Ordinarii, ac demum decretum approbationis Ordinario submittendum. Unica tantum ejusdem generis et instituti confraternitas potest institui et aggregari in eadem ecclesia aut eodem loco. Excipiuntur sodalitates ss. Sacramenti, doctrinae christianae, et illae, quae institutae fuerunt ante bullam Clementis VIII. [1] In monasteriis monialium vero erigi non possunt laicorum confraternitates.

2. Cum Ordinarii jurisdictioni subsint confraternitates, Episcopus jus habet, illarum visitare oratoria aut capellas, administratores et oeconomos confirmare, computuum rationes exigere, congregationibus per se ipsum aut per delegatum assistere, ideoque de istis omnibus certiorari debet (S. C. C.). Si confraternitatis oratorium sit a parochiali independens, nullam a Parocho dependentiam habet pro functionibus ecclesiasticis non parochialibus, nec Parochus se ingerere potest in administrationem oblationum vel eleemosynarum ibi collectarum (S. C. C.).

3. Sodalitates extinguuntur aut per auctoritatem Episcopi, in cujus potestate est ad illud medium devenire, si id neces-

[1] Concessiones recentiores non secus excipiunt confraternitates ss. Cordis Jesu, et s. Cordis Mariae. -- Die 29. Nov. 1865. S. Rit Congreg. decrevit, duas confraternitates sub titulo paululum diverso, et ad finem distinctum erectas, simul in eodem loco coexistere posse, non obstante Bulla *Quaecumque* Clementis VIII.

sarium judicet ad tollendos graves abusus, aut per extinctionem omnium confratrum. Tunc eorum bona ad illam parochiam redeunt, in cujus territorio erectum erat oratorium. Caeterum ab una ecclesia ad aliam recedere valet confraternitas, quin pereant indulgentiae illi concessae (S. C. C.).[1]

§. II. De ecclesiarum consecratione, pollutione etc.

1. Relate ad ecclesiam haec habetur differentia consecrationem inter et benedictionem, quod ista nempe pavimento, illa vero parietibus adhaereat; ita ut ecclesia solo aequata ut reaedificetur, desineret esse consecrata, non autem benedicta. Ipse Episcopus loci Ordinarius censecrare debet ecclesias suae dioecesis; ad id tamen delegare potest alium Episcopum, non vero simplicem presbyterum; item potest in hac functione assistentes adhibere Episcopos. Extra diem festum haec consecratio licite fit, ast inter solemnem Missam, quam cantat ipse Episcopus, aut, si nimis sit defatigatus, aliquis Sacerdos.

2. Execratur ecclesia, cum parietes vel in totum vel pro majori parte corruerunt, item si igne ita comburatur, ut parietes interiores sint devastati ex majori parte vel abrasi, quamvis non corruant. Quando ecclesia ampliatur, si nova pars addita sit minor veteri remanente, non indiget nova consecratione. Eodem modo, quando per partes reparatur, ita ut generaliter dici queat eadem remanere, nova consecratione non indiget (AA.).

3. Polluitur ecclesia, si in ea aliquid eveniat tam oppositum ecclesiae sanctitatis, ut prohibeant s. canones, quin in ea offeratur s. sacrificium; tuncque reconciliari debet. Porro ecclesia polluitur: 1° per homicidium publicum, voluntarium, culpabile et in ipsa commissum; 2° per effusionem voluntariam, injustam et graviter peccaminosam sanguinis humani, in quantitate notabili, modo crimen sit publicum; 3° per effusionem voluntariam, graviter culpabilem et publicam seminis humani;

[1] Pleniorem de hac materia instructionem invenies in quinta editione libri, cui titulus: „Die Ablässe, ihr Wesen und ihr Gebrauch, von P. Maurel, übersetzt von Jos. Schneider S. J. Paderborn, 1874.“

4° per sepulturam infidelis non catechumeni, non vero, ut probabilius multi tenent, per sepulturam infantis decedentis absque Baptismate; 5° item per sepulturam excommunicati, qui nulla ante mortem dedit signa poenitentiae, modo res sit notoria; porro sub nomine excommunicati venit haereticus notorius. Cum polluitur ecclesia, non possunt in ea celebrari officia divina, ipsaque Altaria fixa (non tamen portatilia) sunt polluta, itemque coemeterium ecclesiae contiguum. Polluta ecclesia nonnisi ab Episcopo, aut a Sacerdote ex delegatione apostolica, reconciliari potest, si antea fuerat consecrata.

4. Praefatis legibus et regulis subjiciuntur ecclesiae minores et oratoria vere publica. Porro dicitur publicum oratorium, cum ejus aditus patet in via publica, aut saltem cum dominus praedii, atrii etc., per quod fit ingressus, instrumento publico se obligat, semitam, qua itur ad capellam, liberam in perpetuum servare cuicumque, saltem tempore divinorum officiorum. Insuper requiritur, ut sit erectum assentiente Episcopo, ad utilitatem non familiae, sed alicujus communitatis. Privati oratorii cum non sit benedictum, exsecrationi aut pollutioni locus non datur.

§. III. De Altari fixo construendo.

1. Equidem licet consecrare Altare aut Altaria, quin consecretur ecclesia, sed haud licet ecclesiam consecrare, quin simul unum Altare fixum,[1] quod in casu erit Altare majus cum ea consecretur: „Sane dicendum, a jure canonico statu„tum, ecclesiae consecrationem fieri nequire, quin altera Alta„ris accedat; immo ab hac sacra Congregatione firmatum, „decreto diei 19. Septembris 1665, *in una Urbis,* debere cum „ecclesia omnino consecrari Altare majus, nam istud est prin„cipale; et si hoc tantum sit in ecclesia, sufficit. Alia vero „accessoria, pro quibus datur consecratio distincta, sine eccle„siae consecratione.“ Ita S. Rituum Congregatio, die 25. Januarii 1850 in Brugen. Et ratio patet, cum caeremoniae con-

[1] Hinc opponitur Altare *fixum* Altari seu arae *portatili,* quae basi firmiter non adhaeret, sed de loco moveri potest. Talis ara satis pateat, ut in ea saltem ponatur, tum hostia, tum major pars pedis calicis. Digitos 20 in longitudine et 16 in latitudine requirit Gavantus pro ipso lapide, praeter marginem.

secrationis ecclesiarum, prout in Pontificali continentur, constituant totum indivisibile, quod in partes separari nequit absque sedis apostolicae indulto. Porro cujuslibet Parochi est, in Altaris constructionem invigilare, ut juxta regulas fiat, quas hic breviter recensuimus.

2. Altare majus, ait Gavantus, ita constitui debet, ut ab ipsius Altaris gradu infimo (tres autem gradus esse debent), usque ad cancellos, spatium saltem intersit cubitorum octo, vel ad minimum quatuor. Sit autem a scabelli solo altitudine cubitorum duorum et unciarum octo, longitudine cubitorum quinque, ac plurium pro ecclesiae magnitudine, latitudine vero cubitorum saltem duorum et unciarum duodecim. Quos autem inter gradus, bradella lignea numeratur, quae a fronte Altaris cubitos duos producta, uncias sexdecim late pateat, altitudo vero singulorum graduum sit unciis octo.

Porro ut ad mensuras notas praefatae reducantur, scire oportet cubitum dividi in 24 uncias. Cubitus vero, de quo Gavantus, aequivalet 44 centimetris, ut probe novimus. Hinc Altare habet *metrum unum* altitudinis, 2, 20 metr. in longitudine, et 1, 10 in latitudine seu profunditate.

3. *Basis Altaris* seu *stipes* est totum opus coementatum, sive ex lateribus, sive ex lapidibus structum, in quo ponitur petra seu mensa Altaris. Sit hoc opus bene aedificatum, plenum, haud vacuum, et ita a pariete disjunctum, ut circumiri possit. Figura est quadratum longum, ut erui videtur ex Pontificali, etsi, juxta usum modernum saepe construatur in forma tumuli. Ad ejus mensuram applicari possunt, quae de ipso Altari superius dicta fuere.

4. *Mensa,* seu *ara,* seu *tabula* Altaris ex uno et integro lapide constare debet. Quae confici potest ex marmore, vel alius generis lapide. Haec tabula sit apte caesa, imo in parte superiori decet esse perpolita. Quod si hoc fiat, aliquo modo provideatur ne facilius decidant mappae Altaris. Ex usu, in hoc lapide quinque inciduntur cruces, in iis locis, ubi fiunt unctiones, una in medio, reliquae ad singulos angulos. Sit ejus longitudinis, ut totam basim operire queat. Quod videtur



erui ex Pontificali, ubi legitur: „Tum Pontifex inungit in „modum crucis conjunctiones mensae, seu tabulae Alta„ris, et tituli, sive stipitis, in quatuor angulis, quasi illa „conjungens.“ Porro ut hae juncturae ungi queant, necesse est, ut tota stipes a mensa sit cooperta.[1] Item est de latitudine. Verumtamen si columnae aut tabernaculum aut alia ornamenta in posteriori parte basis jam essent posita, non foret necessarium haec destruere, nec inserere lapidem sub his ornamentis. Sufficit si mensa reliquam basim operiat. Porro latitudo saltem 60 centimetrorum necessaria videtur, ut Missa convenienter celebrari possit. Cum de ejus crassitudine nihil disponat rubrica, sufficit quod mensa sit firma et stabilis. Videtur tamen necessariam esse crassitudinem 12 aut 15 centimetrorum in primo modo infra exponendo reliquias inserendi, et 5 aut 6, pro aliis modis. Casu, quo stipiti tabula marmorea aut lignea induceretur, cavendum est, ne illa tabula nimium emineat aut latior sit. Regula est, ut non nisi uno centimetro emineat supra Altaris mensam, et ad summum late pateat decem centimetris.[2] Si secus egeris lapis seu mensa nimis distabit, et aegre admodum servabuntur Missalis rubricae. Ita Celebrans, qui osculari Altare tenetur, ipsam coronidem, seu partem superiorem tabulae contra frontem Altaris inductae oscularetur.

5. Sic habet rubrica Pontificalis Romani: „Ordo praedictus „consecrandi Altare semper servatur, quando sepulchrum reli„quiarum est in medio tabulae Altaris, a parte superori, vel „in stipite a parte anteriori aut posteriori. Si vero sepulchrum „est in medio summitatis stipitis, supra autem sit ponenda „ipsa tabula, sive mensa Altaris.....“

Hinc triplex habetur modus ad collocandum sepulchrum reliquiarum. 1° in medio tabulae Altaris a parte superiori, 2° in parte anteriori aut posteriori basis seu stipitis, 3° in

---

[1] Si tamen amplius pateret Altare, posset tolerari mensa, quae totam stipitem non contegeret. Sic non raro videre est antiqua altaria consecrata quibus ex utroque latere minor additus est lapis.

[2] Juxta Gavantum a fronte distare potest lapis sexdecim centimetris. Tale intervallum justo longius videtur.

medio summitatis stipitis, ita ut supra sit ponenda ipsa mensa Altaris.

[A] Si primus eligatur modus, fodiatur in medio tabulae vel inter medium et frontem tabulae,[1] parva fovea in qua deponi possint vasculum cum reliquiis, grana incensi, et instrumentum consecrationis. Hoc in casu fossula erit circiter profunditatis 8 aut 10 centimetrorum. Haec fossula sit quadrata decem centim. patens; nihil tamen impedit, quin longius quam late pateat. Insuper erit, quantum fieri poterit, bene perpolita interius. Demum parari debet parvulus lapis, bene perpolitus quo facile obturetur praefatum sepulchrum. Qui lapis sit levigatus tum supra cum infra, ad unctiones recipiendas, et forma declivi, aut simili, ita ut de loco moveri nequeat. Rimulae, si quaedam sint, signino obturentur.

[B] Si secundo modo locetur sepulchrum scilicet in parte basis anteriori, aut posteriori, fovea grandior et aditu facilis excavari potest. Cujus apertura sit sufficiens, ut per eam Episcopus manum intromittat, ibique reponat sepulchrum reliquiarum. Haec fossula sit gypsata, aut ipsius parietes lapidi instructae. Imo valde congruum est, ut ipsa fovea sit ex uno lapide confecta cum alio lapide obturante; qui porro ita parari debet, ut supra dictum est. Tandem sat longe in basi fodiatur sepulchrum, ut solide obturari possit ad praecavendum omne violationis periculum.

[C] Si vero anteponatur tertius modus, plura ex iis, quae in secundo dicta sunt, servanda veniunt. Sane ex hoc modo securius praecaventur pericula, sed ex alia parte multa nascuntur incommoda. Primum quidem, quod tabula sit ponenda in stipite, inter ipsas caeremonias consecrationis. Nam si Altare longe lateque pateat, ac mensa regulis non sit difformis, ipsa pergravis erit et motu difficilis. Si e contra non ea sit crassitudine, quam res postulat, equidem minoris erit ponderis, sed periculum subibit, ut confringatur, sive eam ponendo, sive postea, praesertim dum aliquo modo claudicat.

Secundum incommodum in eo situm est, quod omnino di-

[1] Quia ex usu in medio parva crux incisa est.

versus sit ordo caeremoniarum ab eo, qui exponitur in libro, quo utuntur Sacerdotes et alii, qui Episcopo consecranti assistunt. Inde impossibile est, quod non oriatur perturbatio in tam splendida ac pia functione.

6. De capsula cum reliquiis paucissima sunt dicenda. In Pontificali legimus, reliquias esse ponendas *in decenti et mundo vasculo,* quod Episcopus diligenter sigillat; sed nihil ultra praescribitur. Hinc videtur, quoad materiam, eligendum non esse metallum vulgare, aut quod facile aeruginem incidat; quoad formam, sit rotunda, aut quadrata, modo sigillum facile apponi queat et in ea haud dubie permaneat; demum quoad mensuram, ita patere debet, ut teneat reliquias ss. Martyrum, grana tria incensi, et instrumentum consecrationis in pergamena charta scriptum. Caeterum magis minusve patere potest juxta modum, quo effodietur sepulchrum.

Notationes.

Cum locum vix obtinuissent in corpore libri, omnia decreta, quorum mentio occurrit cum die, anno et causa, huc ad calcem ea referre summo studio curavi. Praeterea, ut ipsa decreta in suo tenore quivis legere posset, verbum et numerum, sub quo reperitur in „Collectione alphabetica“, quam pridem edidi, indicare non omisi. Cujus Collectionis titulus est: *Sacrorum Rituum Congregationis decreta*, quae ex collect. auth. selegit ac alphab. ordine disposuit J. B. S. Leodii. Tres priores editiones Leodii, sed quarta multo auctior, anno 1862. Parisiis e praelo exivit.

Pag. 1, lin. ultima Decret. 7 Sept. 1816, in *Tuden,* ad 35, in dicta Collectione *S. R. C. Decretorum* relatum, sub Verbo *Missa,* § VI, n. 13.

Pag. 5, n. 5. 7 Dec. 1844, in *Mechlinien,* ad 11; 12 Aug. 1854, in *Lucionen,* ad 65; V. *Horae,* § I; 24 Sept. 1842, in *Neapolit.,* ad 1. V. *Missa,* § VI.

Pag. 7, n. 4. 7 Sept. 1816. in *Tuden,* ad 14. V. *Missa,* § VII. n. 9. N. 1. 12 Aug. 1854, in *Briocen,* ad 17. V. *Missa,* §. VI.

Pag. 8, n. 8, 9 et 10. 24 Julii 1638, in *Urbis;* 7 Maii 1744, in *Varsavien,* ad 12; et 5 Julii 1698, in *Collen,* ad 19. V. *Missa,* § VI, n. 8.

Pag. 9. 7 Julii 1612, in *Cremonen,* 27 Aug. 1836, in *Veronen,* ad 10; 23 Nov. 1602, in *Egitanien,* ad 7, 12 Aug. 1854, in *Lucionen,* ad 17; 14 Junii 1845, in *Leodien;* V. *Calix;* 7 Sept. 1850, in *Tiburtina;* 12 Sept. 1857, in *Molinen,* ad 7, 8, 9. V. *Missa.* §. II. et VI.

Si in ecclesia non esset sacristia, sacerdos sumeret paramenta de mensa, prope Altare posita; nam ea in Altari disponere esse abusum impraescriptibilem declaratum fuit, die 17 Junii 1673, in *Patavien.* V. *Missa,* §. IV. n. 7. Vixque hoc liceret in casu impossibilitatis transeuntis, ac tunc paramenta ponerentur non in medio, quod solis Praelatis reservatum est, sed in cornu, ubi legitur Evangelium.

Pag. 10. 26 April 1834, in *Imolen;* 1 Sept. 1703, 13 Sept. 1704, in *Pisauren;* 15 Maii 1819, *Decret. gen.;* 7 Sept. 1816, in *Tuden,* ad 26; V. *Missa,* §. III et VI; 13 Jan. 1674, in

Ravennaten, V. *Archidiaconus;* 16 Maii 1744, in *Triasonen,* ad 5 et 6. V. *Episcopus.*

Pag. 11. 8 Junii 1709, in *Bracharen,* ad 4, V. *Missa,* §. IV; 22 Jan. 1701, in *Congreg. Montis Coronae,* ad 7. V. *Missa,* §. III.

Pag. 12 et 13. 27 Martii 1759, in *Ord. minor.,* ad 14; 22 Julii 1848, in *Adjacen,* ad 3; 8 Aprilis 1808, in *Compostellana,* ad 5; 12 Nov. 1831, in *Marsorum,* ad 51; 7 Sept. 1816, in *Tuden,* ad 11 et 12. V. *Missa,* § VI.

Pag. 14; 16 Junii 1633, in *Granaten,* ad 4, V. *Missa,* § VI; 11 April 1840, in *Hydruntina,* V. *Missa,* § 1; 12 Aug. 1854, in *Lucionen,* ad 70 et 71. V. *Missa,* § VI.

Pag. 19. 12. Nov. 1831, in *Marsorum,* ad 30. V. *Missa,* § VI.

Pag. 20. *nota.* 3 Dec. 1701, in *Urbis;* 7 Sept. 1816, in *Tuden,* ad 40.

Pag. 22. 7 Sept. 1816, in *Tuden,* ad 5. V. *Missa,* § VI.

Pag. 23. 22 Aug. 1818, in *Hispalen,* ad 10; 12. Nov. 1831, in *Marsorum,* ad 30. V. *Missa,* § VI.

Pag. 25. 12 Aug. 1854, in *Lucionen,* ad 70 et 71. V. *Missa,* § VI.

Pag. 26. 7 Sept. 1816, in *Tuden,* ad 28; 7 Sept. 1851, in *Rupellen.* V. *Missa,* § VI.

Pag. 28. 4 Aug. 1663, in *Dalmatiarum,* ad 4. V. *Missa,* § VI.

Pag. 32. 12 Nov. 1831, in *Marsorum,* ad 30. V. *Missa,* § VI.

Pag. 34. 4 Aug. 1663, in *Dalmatiarum,* ad 5. V. *Missa,* § VI.

Pag. 38. 7 Sept. 1816, in *Tuden,* ad 35. V. *Missa,* § VI.

Pag. 42. 24 Julii 1683, in *Albiganen,* ad 5. *Ibid.*

Pag. 43 et 44. 7 Sept. 1816, in *Tuden,* ad 35; 4 Aug. 1663, in *Dalmatiarum,* ad 6; 24 Sept. 1842, in *Neapolit.,* ad 1. V. *Missa,* §. VI.

Pag. 46. Arbitrio Episcopi servari potest usus campanulam pulsandi ad *Domine, non sum dignus.* 17. Febr. 1853.

Pag. 47. 24 Sept. 1842, in *Neapolit.* ad 1; 12 Aug. 1854, in *Lucionen,* ad 71. *Ibid.*

Pag. 48 et 49. 22 Julii 1858, in *Tornacen;* 1 Mart. 1698, in *Pragen,* ad 1. V. *Missa,* § VI.

Pag. 52. 12 Nov. 1831, in *Marsorum,* ad 51. V. *Missa,* §. VI.

Pag. 54. 11 Sept. 1847, in *Veronen,* ad 12; 7. Sept. 1816, ad 42, V. *Missa,* § VI.

Pag. 55. 12 Nov. 1831, in *Marsorum,* ad 53; V, *Missa,* §. VI; 22 Jan. 1678, in *Urbis,* V. *Missa,* § V.

Pag. 56. Si in Altari, ubi exponitur SS., recitari debeat *Flectamus genua,* non debet Celebrans sub his verbis genuflectere versus SS. expositum, sed modo consueto. 18. Febr. 1843, in *Neapolit.* V. *Euchar.,* § II.

Pag. 60. 12 Mart. 1836, in *Valentinen,* ad 1 et 2. V. *Funct. pontif.*

Pag. 66. 12. Aug. 1854, in *Lucionen,* ad 19. V. *Missa,* § VI.

Pag. 88. Uno tantum casu Passio legitur in cornu Epistolae, nempe, cum a tribus Diaconis cantatur. 12 Mart. 1836, in *Tridentina,* ad 2 et 3; 10 Jan. 1852, in *Montis Politiani,* ad 2. V. *Passio.*

Pag. 100. Arundo sit decem palmarum circiter altitudinis, floribusque ornetur. Post hanc functionem amoveri debet. Cereus paschalis quotannis renovari debet. Ubi talis viget usus, benedicatur aqua in latiori vase, unde in fontem baptismalem mittatur. 19. Maii 1607, in *Placentina,* ad 13; 12 Aug. 1854, in *Lucionen,* ad 78. V. *Cereus* et *Aqua,* § I.

Pag. 107, n. 13. 12 Aug. 1854, in *Lucionen,* ad 49.

Pag. 107. *Ibid.,* ad 48, 50; 25 Sept. 1852, in *Sorana;* 27 Mart. 1779, in *Ord. minor,* ad 17. V. *Eucharistia,* § II.

Ibid., n. 1 et 2. 18. Dec. 1784, in *Salutiarum,* ad 1; 2 Dec. 1690, in *Cajetana,* ad 1. V. *Processio.*

Pag. 108. 12 Aug. 1854, in *Lucionen,* ad 61. V. *Def.,* § II.

Pag. 118, n. 12. 12 Nov. 1831, in *Marsorum,* ad 33. V. *Missa,* § V; 8 Mart. 1738, in *Ulixbonen,* ad 5. V. *Missa,* § VII; 19 Maii 1607, in *Placentina,* ad 19.

N. 13. 12 Mart. 1678, in *Mexicana,* ad 11. V. *Organa;* 11 Sept. 1847, in *Angelopol,* ad 6; 22 Julii 1848, in *Senen,* ad 4.

Pag. 120, n. 3. 12 Aug. 1854, in *Lucionen,* ad 45. V. *Euchar.,* § II, n. 4; 3 Aug. 1839, in *Bobien,* ad 4.

N. 5. 25 Sept. 1852, in *Sancti Miniati,* ad 3; *nota,* 29 Nov. 1856, in *Salutiarum,* ad 6. V. *Thurificatio.*

N. 6. 3 Junii 1617, in *Lucerina. Ibid.*

Pag. 122, n. 10. 23 Maji 1840, in *Tuden,* ad 9. V. Missa, § VII.

Pag. 123, n. 13. In *Lucionen,* ad 45, cit. p. 107; 22 April 1690; in *Urbis,* et 31 Maii 1817, in *Dubiorum,* ad 5. V. *Missa* et *Canonicus,* § II.

Ibid., n. 1. 12 Julii 1628, in *Vicentina.* V. *Canonicus,* § I.

Non licet habitum choralem deferre in iis functionibus, quae ipsum non exigunt, v. g. implendo munus sacristae, caeremoniarii etc. 8 April 1854, in *Pinerolien.* V. *Mansionarius.*

Servari debet, si vigeat, usus salutandi praefectum chori ad initium cujuscumque horae canonicae. 25. Sept. 1852, in *Januen.* V. *Horae,* § 1.

Pag. 123, n. 2. 7 Maii 1746, in *Varsavien,* ad 9. V. *Eucharistia,* § II; n. 12 Sept. 1857, in *Molinen,* ad 29, et ad dub. addition. 8. V. *Canonicus,* § I.

Pag. 124 et 125, n. 4. 12. Aug. 1854, in *Lucionen,* ad 65. V. *Horae.*

N. 5. 31 Julii 1665, in *Nullius Treviren,* ad 14; 11 Mart. 1820,

in *Mazarien,* ad 4; 29 Martis 1851, in *Adrien,* ad 1; 8 Martis 1738, in *Ulixbonen,* ad 5. V. *Horae, Missa,* § VII; 13 Febr. 1677, in *Majoricen;* 19 Julii 1659, in *Cusentina;* 5 Mart. 1667, in *Senarum,* ad 4; 17 Aug. 1836, in *Veronen,* ad 12; 21 Julii 1855, in *Rhedonen,* ad 2. V. *Canonicus,* § II; 12 Aug. 1854, in *Briocen,* ad 2. V. *Missa,* § VII.

Pag. 126, n. 6. *Symbolum s. Athanasii laudabilius in choro recitatur stando.* 23 Dec. 1624, ap. *Dalf;* 12. Nov. 1831, in *Marsorum,* ad 45; 22 Aug. 1818, in *Hispalen,* ad 8; 16. April. 1853, in *Ord. minor.,* ad 30; 10 Sept. 1796, in *Bracharen,* V. *Horae* et *Eucharistia,* § II; 12 Aug. 1854, in *Briocen,* ad 1. V. *Aqua,* §. II.

Pag. 127 et 128. In *Bracharen supra;* 12 Nov. 1831, in *Pisana,* ad 13; 21 Nov. 1665, in *Faren;* 15 Sept. 1753, in *Casalen,* ad 11; 10 Sept. 1701, in *Cortonen,* ad 1; 23 April. 1708, in *Bracharen,* ad 4. V. *Pileolus;* 25 Sept. 1852, in *Basil. Later.,* ad 3. V. *Horae.*

N. 2. 29 Mart. 1779, in *Ord. min.,* ad 11; 22 Mart. 1817, in *Tuden,* ad 8. V. *Martyrologium.*

Pag. 128, n. 3. 16 Jan. 1617, in *Asculana* ap. *Ferraris.*

Pag. 137, n. 5. 17. Sept. 1822, in *Dubiorum,* ad 6 et 7. V. *Missa,* § VII.

N. 8. 27 Sept. 1828, in *Mazarien,* ad 1, 2, 3; 19 Maii 1838, in *Senen.* V. *Eucharistia,* § II.

N. 9. 12 Aug. 1854; in *Briocen,* ad 7. V. *Funera.*

Pag. 141. V. *nota,* pag. 10.

Pag. 142. V. *nota,* pag. 15 et pag. 8, n. 4.

Pag. 145. V. *nota,* pag. 127, n. 5.

Pag. 148. 3 Oct. 1852, cit. a Le Vavasseur; 21 Mart. 1676, in Collen, ad 1. V. *Missa,* § VII.

Pag. 150. 18 Dec. 1779, in *Ord. min.,* ad 18. V. *Missa,* § VII.

Pag. 152. 15 Mart. 1591, in *Oscen,* ad 6. *Ibid.*

Pag. 155. V. *not.,* pag. 124.

Pag. 158, *nota.* 12 Aug. 1831, in *Marsorum,* ad 21. V. *Concio.*

Pag. 160. 12 Aug. 1854, in *Briocen,* ad 2. V. *Missa,* § VII.

Pag. 161. 23 Maii 1846, in *Tuden,* ad 8. V. *Missa,* § VII.

Pag. 161. 12 Aug. 1854, in *Briocen,* ad 1. *Ibid.* V. *not. citat.,* pag. 107.

Pag. 166, *nota.* 21 Mart. 1744, in *Bergomen,* ad 4. V. *Thurificatio.*

Pag. 168. V. *nota,* pag. 122; 12 Nov. 1831, in *Marsorum,* ad 32. V. *Missa,* § VII.

Pag. 174. 23 Maii 1846, in *Tuden,* ad 9. *Ibid.*

Pag. 177. 7. Sept. 1816, in *Tuden,* ad 36. *Ibid.*

Pag. 180. *Nota* 3. V. *novum decretum in Cameracen. Ibid.*
Pag. 182—184. 12. Nov. 1831, in *Marsorum*, ad 52, 53. V. *Missa*, § VII; 12 Aug. 1854, in *Lucionen*, cit. pag. 124, ad 45.
Pag. 188—192. Supra, ubi de Missa privata, relata fuere decreta.
Pag. 194. 27 Dec. 1698, in *Leodien*, ad 1. V. *Aqua;* § II.
Pag. 196—198. In *Lucionen*, supra; cfr. ad 20, 21, 22, 23. V. *Communio*, § II.
Pag. 198. 12 Sept. 1857, in *Molinen*, ad 10; 16 April. 1853, in *Ord. minor.*, ad 24. V. *Communio*, § II et *Missa*, § VI; 14. Nov. 1676, in *Bituntina*, ad 6. V. *Funct. episc.*
Pag. 202. 13 Mart. 1700, in *Arichipae*, ad 4. V. *Missa*, § VII.
Pag. 204. 14 Febr. 1705, in *Capucc. Gall.*, ad 6. V. *Bened.*, § I.
Pag. 206. 31 Mart. 1629, in *Pientina, ibid.;* 18 Maii 1765, in *Jadren*, ad 1. V. *Processio.*
Pag. 208. Decretum cit. pag. 206; 17. Julii 1734, cit. a Baldeschi. *Nota.* 10 Maii 1643, in *Mediolan*, ad 7. V. *Bened.*, § I.
Pag. 209. 23 Maii 1603, in *Egitanien*, ad 6. *Ibid.*
Pag. 212. Decreta sunt cit. pag. 88.
Pag. 215. 12 Aug. 1854, in *Amerina.* V. *Feria*, § I.
Pag. 216, *nota.* 15 Sept. 1736, in *Toletana*, ad 3. V. *Feria*, § II.
Pag. 217. 6 Aug. 1591, decret. Congreg. episcopor. et regular. apud Cavalieri.
Pag. 218. 12 Nov. 1831, in *Marsorum*, ad 60, V. *Aqua;* 20. Dec. 1783, in *Lusitana*, ad 4. V. *Feria*, § I.
Pag. 223. 11 Sept. 1847, in *Taurinen*, ad 3. V. *Feria*, § I; 15 Maii 1745, in *Lucana.* V. *Communio*, § II.
Pag. 224. 31 Aug. 1839, in *Meliten;* 14 Junii 1845, in *Maceraten*, ad 3; 15 Sept. 1736, in *Toletana*, ad 3. V. *Feria.* § II.
Pag. 228, *nota.* 12 Sept. 1857, in *Molinen*, ad 4. V. *Feria*, § II.
Pag. 234. 5 Julii 1698, in *Panormit.*, ad 1, 2, 3. *Ibid.*
Pag. 236. 7 Aug. 1626, in *Urbis*, ad 5; 25 Sept. 1706. in *Urbis et Orbis. Ibid.*
Sabb. Sanct. 13 Jul. 1697, in *Januen*, ad 1 et 2; 22 Jul. 1848, in *Ord. carmel.*, ad 5; 12 April. 1775, in *Lucana*, ad 1, 2, 3, 4. V. *Sabbatum S.;* 23. Sept. 1837, in *Oriolen;* 12 Aug. 1854, in *Lucionen*, ad 78, 79, 80. V. *Baptisma* et *Aqua;* 12 Nov. 1831, in *Marsorum*, ad 60. *ibid.;* 23 Sept. 1837, in *Mutinen*, ad 2; 22 Mart. 1806, in *Tiphernen;* 7 Sept. 1850, in *Veronen*, ad 15. V. *Communio*, § I.
Pag. 238. Supra citatum.
Pag. 242. 7 Dec. 1844, in *Mechlinien*, ad 6. V. *Sabbatum.*
Pag. 245. 22 Jul. 1848, in *Florent.*, ad 3. *Ibid.*

Pag. 247. n. 1. Die 14. Junii 1845.

Pag. 247. 13 Julii 1658, in *Ragusina,* ad 3; 12 Aug. 1854, in *Lucionen,* ad 35. V. *Horae; nota,* 17 Febr. 1853, in *Briocen.* V. *Missa.*

Pag. 248. In *Lucionen,* cit., ad 45.

Pag. 249. 12 Aug. 1854, in *Lucionen,* ad 39; *nota,* 4 Aug. 1708, in *Parmen,* ad 2; 31 Jul. 1665, in *Nullius Treviren;* 7 Maii 1746, in *Varsavien.* V. *Thurificatio.*

Pag. 250. *Varsavien,* cit.; 31 Aug. 1793, in *Asculana;* 12 Nov. 1831, in *Marsorum,* ad 53. V. *Euch.,* § II. *Missa,* § VII.

Pag. 254. 8 Aug. 1835, *Ord. min., cap.* ad 3. V. *Horae.*

Pag. 258. 11 Aug. 1853, in *Montispessulan.* V. *Eucharistia,* § II.

N. 4. 12 Nov. 1831, in *Tarentina,* V. *Communio,* § II; 9 Aug. 1670, in *Bononien;* 11 Mart. 1837, in *Feretran,* V. *Missa,* § I; V. *notas* pag. 127; 23 Sept. 1837, in *Mutinen,* ad 4; 22 Dec. 1753, in *Wilnen,* ad 3. V. *Eucharistia,* § II.

Pag. 259. V. *notas,* pag. 107; 12 Aug. 1854, in *Lucionen,* ad 47, 48, 49. *Ibid.*

Pag. 259. 11 Sept. 1847. V. *Eucharistia,* § II.

Pag. 260—261. 29 Mart. 1851, in *Congreg. Oratorii,* ad 1; 16 Dec. 1828, in *Mexicana;* 9 Julii 1698, in *Taggen;* 20 Sept. 1806, in *Toletana,* ad 1; 12 Aug. 1854, in *Lucionen,* ad 51; 7 Dec. 1844, in *S. Severi,* ad 4; *ibid.* et *Bened.,* § IV.

Pag. 262, n. 11 et 12. 27 Martii 1779, in *Ord. min.,* ad 17; 7 Sept. 1850, in *Rupellen,* ad 18 et 19; 16 Dec. 1828, in *Volaterana,* ad 5; 11 Aug. 1853, in *Montispessulan.;* 18 Febr. 1843, in *Florent.,* V. *Eucharistia,* § II; 12 Aug. 1654, in *Briocen,* ad 8. V. *Benedictio,* § IV.

Pag. 263, n. 1. 6 Maii 1826, in *Alexandrina,* ad 1. V. *Processio.*

N. 2. 12 Aug. 1954, in *Lucionen,* ad 75. *Ibid.*

Pag. 263, n. 4. 2 Sept. 1690, in *Cajetana,* ad 1, 2, 3; 2 April. 1667, in *Castellaneten. Ibid.*

N. 5. 7 April. 1598, in *Legionen. Ibid.*

Pag. 265, n. 6. 7 Maii 1853, in *Congreg. ss. Redempt.,* ad 2; 8 Mart. 1631, in *Regien;* 31 Mart. 1821, *Decret. gener.,* ad 8; 11 Sept. 1847, in *Veronen,* ad 1. V. *Litaniae.*

N. 7. 10 Jul. 1677, in *Albinganen,* V. *Processio;* 23 Sept. 1820, in *Volaterrana,* V. *Benedictio,* § IV; 3 Aug. 1839, in *Triventina,* ad 1, et alia relata. V. *Processio,* n. 8.

Pag. 266, n. 8. 22 Julii 1848, in *Syracusana;* 12 Aug. 1854, in *Briocen,* ad 20; 16 Febr. 1726, in *Viterbien:* 20 Maii 1741, in *Nucerina Pagan.,* ad 1. *Ibid.* Per ultimum horum decretorum videtur innui crucem ferendam esse a Subdiacono;

tamen non hoc praecise statuit, sed solum permittit, ut crux a Subdiacono deferatur.

N. 9. 22 Jan. 1701, in *Congreg. montis coronae,* ad 5; 18 Dec. 1784, in *Salutiarum,* ad 1; 12 Aug. 1854, in *Lucionen,* ad 49; 10 Jan. 1852, in *Cenomanen, ibid.,* et V. *Euchar.,* § II.

Pag. 267, n. 10. 21 Julii 1855, in *Vicar. Constant,* ad 1; 23 Sept. 1837, in *Mutinen,* ad 5; 12 Aug. 1854, in *Lucionen,* ad 51; 21 Mart. 1656, in *Collen,* ad 2; 6 Febr. 1762, in *Caputaquen,;* 22. Maii 1835, in *Capucc. Helvet.,* ad 3; 11 Sept. 1847, in *Veronen,* ad 9. V. *Consuetudo* et *Benedictio.*

Pag. 268, *nota.* 23 Febr. 1839, in *Meliten.;* 11 Sept. 1847, in *Ariminen. Ibid.*

Pag. 269, n. 1. 9. Aug. 1670, in *Nicien,* ad 1.

Pag. 270. 19 Sept. 1831, in *Sabinen;* 11 Sept. 1802, in *Tiburtina;* 5 Junii 1614, in *Eugubina;* 21 Julii 1855, in *Briocen;* ad 1; 23 Maii 1846, in *Tuden,* ad 10; 20 Sept. 1681, in *Altamurae.* V. *Funera.*

Nota. 21 Julii 1855, in *Briocen,* ad 2; 19 Dec. 1671, ad 4 et 5, in *Savonen. Ibid.*

Pag. 271, n. 3. Praeter decreta adducta, V. 20 Maii 1741, in *Nullius Fasanen;* 12 Aug. 1854, in *Lucionen,* ad 59. *Ibid.*

N. 4. 12 Aug. 1854, in *Briocen,* ad 4 et 5, et in *Lucionen,* ad 58, 61; *ibid.;* 14 Junii 1845, in *Limburgen,* ad 1 et 2. V. *Absolutio,* § II.

Pag. 272, n. 5. 3 Sept. 1746, in *Massae* et *Popul.,* 21 Jan. 1741, in *Calaguritana.* V. *Absolutio.*

Pag. 273, n. 7. 22 Jan. 1678, in *Urbis,* V. *Missa,* § V; 21 Julii 1855, in *Veronen.,* ad 1 et 2, V. *Funera;* 28 Julii 1832, in *Brixien,* ad 2. V. *Absolutio.*

Pag. 274. 28. Aug. 1762, in *Ord. s. Bened.* V. *Defuncti,* § II.

N. 9. 21 Julii 1855, in *Veronen,* ad 3, V. *Funera;* 2 Dec. 1684, in *Canon. Lateran.,* ad 11; 28 Julii 1832; in *Ord. min.,* V. *Absolutio;* 31 Julii 1665, in *Nullius Treviren,* ad 7. *Ibid.*

Pag. 275, n. 10. 21 Junii 1632, in *Barchinonen;* 23 Martii 1709, in *Camerinen;* 7 Sept. 1850, in *Interamnen.* V. *Funera.*

Ibid. Nota. 7 Sept. 1850, in *Astoricen,* ad 6; 23 Maii 1846, in *Tuden,* ad 15; 4 Aug. 1708, in *Picena;* 12 Sept. 1857, in *Molinen,* ad 21. V. *Funera, Absolut., Def.* § II.

Pag. 284, *nota.* 12 Aug. 1854, in *Lucionen,* ad 55. V. *Funct. pontific.*

Pag. 288, n. 14. 9 Maii 1705, in *Amalphitana;* 18 Sept. 1666, in *Orestan. Coton,* ad 7. V. *Archiepiscopus.*

Ibid., n. 15. 24 Jan. 1660, in *Ravennaten,* ad 2. *Ibid.*

N. 2. 10 Dec. 1740, in *Melphiten,* ad 1, 2. V. *Canonicus,* § I.
Pag. 296, 297. 28 April. 1708, in *Bracharen.* V. *Pileolus, Funct. pontif.* 5 Mart. 1667, in *Senarum,* ad 4. *Ibid.*
Pag. 304, *nota.* 23 Sept. 1837, in *Burgi s. Domnini,* ad 3. V. *Canonicus,* §. II.
Pag. 310, *nota.* 12 Aug. 1854, in *Lucionen,* ad 56; 12 Junii 1660, in *Mediolanen.* V. *Funct. episc.* et *Concio.*
Nota 3. 7 Dec. 1844, in *s. Severi,* ad 2. V. *Funct.*
Pag. 315, n. 4. 12 Sept. 1857, in *Molinen,* dub. 9 addit. V. *Concio.*
Pag. 315, *nota.* 12 Nov. 1831, in *Marsorum,* ad 19. V. *Funct. pontif.*
Pag. 321, n. 2, et pag. 322. 23. Sept. 1837, in *Mutinen,* ad 13. V. *Funct. pontif.*
Pag. 325, n. 2, et *nota.* 16 April. 1853, in *Ord. min.,* ad 31, et 10 Januar. 1852, in *Sorana.* V. *Aspersorium.*
Pag. 342. 29 Mart. 1783, in *Nullius;* 20. Sept. 1806, in *Brixien,* ad 16. V. *Officium.*
Pag. 342. 17 Junii 1673, in *Dubium. Ibid.*
Pag. 344, n. 9. 23 Maii 1835, in *Numurcen,* ad 2; 27. Aug. 1836, in *Minoricen,* ad 7; 12 Aug. 1854, in *Lucionen,* ad 13. V. *Occurrentia,* § I.
Pag. 345, n. 11. 12 Nov. 1831, in *Marsorum,* ad 31; 5 Mart. 1643, in *Dubium;* 11 Junii 1605, pro *Regulari;* 23 Mart. 1846, in *Tuden,* ad 5; 14 Maii 1803, in *Carmel. Lusitan.;* 31. Aug. 1839, in *Ord. minor.,* ad 1. V. *Officium;* 7 Sept. 1850, in *Adrien,* ad 1 et 2. V. *Calendarium.*
Pag. 345, n. 12. 22 Maii 1841, in *Cameracen.* V. *Canon.* § I.
N. 15. 20 Mart. 1660, in *Nolana;* 2 Sept. 1741, in *Aquen,* ad 9.
Pag. 346. 26 April. 1834, *Decret. gener,* V. *Libri liturg.*
Pag. 357. In capite libri post bullam Sixti V.
Pag. 379, n. 2. 27 Aug. 1836, in *Sedunen,* V. *Missa,* § I; 20 Sept. 1749, in *Januen,* ad 7; 11 Mart. 1820, in *Civitaten,* ad 10, et *S. C. Concilii,* 23 Jan. 1847, in *Monasterien.* V. *Oratoria.*
N. 4. 20 Jan. 1725, et 23 Maii 1835, in *Namurcen,* ad dub. 14, n. 8. *Ibid.*
N. 5. 27 Mart. 1847, *ibid.;* 8 April. 1854, in *Bosanen.* V. *Capella.*
Pag. 380. 25 Sept. 1649, in *Tornacen,* ad 1. V. *Missa,* § I.
N. 7. 9 Aug. 1670, in *Bononien;* 11 Mart. 1837, in *Feretrana;* 2 Mart. 1620, in *Oscen. Ibid.*
N. 8. 7 Julii 1670, in *Venetiar.* V. *Altare,* § I.
Pag. 381. 11 Febr. 1690, *Decret. gener.;* 31 Aug. 1839, in *Ord.*

s. Franc., ad 1, *ibid.;* 27 Mart. 1773, in *Ord. Carmel.,* ad 9; 7 Sept. 1850, in *Rupellen,* ad 16. V. *Feria,* § I.

N. 2. 13 Aug. 1847, in *Soc. Jesu.* V. *Missa,* § I.

N. 3. 18 Sept. 1781, in *Aretina;* 15 Sept. 1668, in *Januen,* ad 11; 7 Sept. 1850, in *Rupellen. Ibid.*

N. 4. 28 Jan. 1640 et 25 Maii 1652. V. *Oratoria.*

N. 5. 20 April. 1822, in *Cotronen,* ad 1; 31 Maii 1815, in *Dubior,* ad 1. V. *Missa,* § VIII.

N. 6. 12 Aug. 1854, in *Lucionen,* ad 9. V. *Missa,* § IX.

Pag. 383, n. 3 et 4. 16 Mart. 1805, in *Oriolen;* 12 April. 1823, in *Panormit.;* 12 Nov. 1806, in *Corduben,* ad 5; 11 Sept. 1847, in *Angelopol.* ad 8; 23 Febr. 1839, in *Congreg. oblat.,* ad 1; 18 Mart. 1654, in *Calagurit*; 2 Julii 1661, in *Pisauren.* V. *Missa,* § I.

Pag. 383, n. 5. 13 Sept. 1670, in *Benevent.,* ad 2; 11 April. 1840, in *Hydruntin. Ibid.*

N. 6. 10 Dec. 1823, in *Carpen. Ibid.*

Pag. 384. 16 Nov. 1849, in *Bellicastren;* 13 Aug. 1737, in *Urbevetana.* V. *Canonicus,* § I.

N. 4. 18 Julii 1689, in una *Urbis, ibid.;* 31 Mart. 1708, in *Viterbien;* 12 Nov. 1831, in *Marsorum,* ad 20. V. *Missa,* § VIII.

Pag. 385, n. 5—8. 7 Dec. 1844, in *Quebecen,* ad 4; 14 Junii 1855, in *Monasterien;* 22 Julii 1848, in *Dubii* et *S. C. C.;* 11 Maii 1720, in *Comen;* 11 Martii 1843, in *Holland.;* 25 Sept. 1847, in *Mechlinien; Decretum* Pii IX, 3 Maii 1858; 7 Sept. 1850, in *Astoricen;* 25 Sept. 1858, in *Cameracen;* anno 1860 in *Petrocoren, ibid.;* 10 Jan. 1693, in *Galliarum,* ad 13; 11 Mart. 1690, *Decret. gen.* V. *Translatio,* § III.

Pag. 386. 12 Martii 1678, in *Mexicana,* ad 8; 19 Maii 1614, *Decret. gen.,* V. *Missa,* § XI; 12 Sept. 1840, in *Mechlinien,* ad 2, et 1 Sept. 1538, in *Mechlinien,* ad 3. V. *Missa,* § V.

Nota. 7 Sept. 1850, in *Asturicen,* ad 3. *Ibid.,* § XI.

N. 2. 22 Dec. 1753, in *Wilnen,* ad 5. *Ibid.*

N. 3. 11 Sept. 1847, in *Angelopolit.,* ad 18; 2 Dec. 1684, in *Canon. Lateran;* 3 Sept. 1661, in *Urbis;* 21 Julii 1855, in *Basil. Vatic. Ibid.,* § X et XI.

Pag. 387. 27 Mart. 1779, in *Ord. min.,* ad 20; 19 Maii 1607, in *Placentina,* ad 14; 24 Julii 1683, in *Ruremund.,* ad 5; 16 April. 1853, in *Ord. min.,* ad 26. *Ibid.,* § X.

N. 6. 24 Julii 1848, in *Tornacen,* ad 4, V. *Missa,* § X; 12 Sept. 1840, in *Mechlinien,* ad 4; 7 Dec. 1844, in *Mechlinien,* dub. 3, n. 4. 22 Maii 1841, in *Mechlinien,* ad 2; 23 Maii 1835, in

Namurcen, ad 14, n. 10; 21 Junii 1855, in *Suessionen* ad 1, V. *Occurrentia*, § II; *Tornacen cit.*, ad 1; et 12 Aug. 1854, in *Lucionen*, ad 5. V. *Missa*, § X.

Pag. 388. 28 Febr. 1818, *Decret. gener.;* 20 April. 1822, in *Derthonen*, ad 5; 7 Sept. 1850, in *Veronen*, ad 4. *Ibid.*, § XIII.

N. 9. 14 Aug. 1858, 17 Sept. 1785, in *Portugall.*, ad 3; 12. Sept. 1840, in *Mechlinien*, ad 3, et in *Cenomanen*, ad 3. V. *Anniversarium.*

N. 10. 16 April. 1853, in *Ord. min.*, ad 23; 17 Aug. 1709, in *Bergomen*, ad 1. V. *Missa*, § X.

N. 11. 11 Mart. 1754, in *Ord. min.*, ad 1; 22 Dec. 1753, in *Wilnen*, ad 6; 13 Aug. 1651, in *Urbis*, ad 1; 7 Sept. 1850, in *Asturicen*, ad 2. *Ibid.*, § XI.

Pag. 390, n. 1. 2 Sept. 1741, in *Aquen*, ad 4; 20 Sept. 1687, in *Tridentina*. V. *Defunct.*, § I.

N. 2. 23 Maii 1846, in *Tuden*, ad 13; 29 Jan. 1752, in *Ord. Carmel.*, ad 13; 23 Maii 1835, in *Namurcen*, ad 14, n. 6; 8 April. 1808, in *Compostell.*, ad 1 et 2; 23 Sept. 1837, in *Sutrina*, ad 2; 2 Sept. 1741, in *Aquen*, ad 4; 7 Maii 1746, in *Varsavien*, ad 9; 20 Jan. 1793, in *Santanderien*, ad 7. V. *Missa*, § XII.

N. 3. 25 April. 1781, in *Florentina;* 7 Sept. 1816, in *Tuden*, ad 43; 27 Aug. 1836, in *Veronen*, ad 9; 23 Sept. 1847, in *Sutrina*, ad I. *Ibid.*

Pag. 391. 27 Mart. 1779, in *Ord. minor.;* 11 Maii 1754, in *Ord. minor.*, ad 3. *Ibid.*

N. 5. 22 Dec. 1753, in *Wilnen*, ad 1; 4 Maii 1686, in *Canon. Lateran.*, ad 1; 3 Dec. 1751, in *Bergomen;* 2 Aug. 1783, in *Lucana;* 8 Mart. 1738, in *Ulixbonen*, ad 4; 8 Aug. 1835, in *Eugubina:* 12 Nov. 1831, in *Marsorum*, ad 55; 19 Junii 1700, in *Curien*, ad 9 et 10; 23 Aug. 1766, in *Carthaginen*, ad 2. *Ibid.*

Pag. 391, n. 5. Cum pro anniversario a suo die translato cantatur Missa de requiem, etiamsi translatio ad longum tempus fiat, Missa cantatur ut in ipso anniversario, cum sequentia et Oratione *Deus indulgentiarum. Misc. theol.* tom. IV. pag. 650—652.

